





VAN DER

PHILOSOPHIA



3




B839

A2

v. 3


009660



EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis



1080014405



PRAELECTIONUM

PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE

BREVIS CONSPECTUS.


UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



na
aria



PRAELECTIONUM
PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE

BREVIS CONSPECTUS

AUCTORE

J. VAN DER AA S. J.

PHILOSOPHIAE PROFESSORE
IN COLLEGIO SOCIETATIS JESU LOVANIENSIS.

EDITIO ALTERA.

VOLUMEN TERTIUM
PSYCHOLOGIA ET THEOLOGIA NATURALIS



LOVANI

TYPIS CAROLI FONTEYN, BIBLIOPOLAE
VIA BRUXELLENSI, 6.

1888.




Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
Biblioteca Valverde y Tollez

46117

B839
A2
v.3



FONDO EDITORIAL
VALVERDE Y TELLEZ

LIBER QUINTUS.

PSYCHOLOGIA.

PROOEMIUM.

Praesuppositis illis omnibus quae libris superioribus de corporeo mundo, deque vita organica disputavimus, perpauca jam praemonenda in hujus libri quinti limine manent. Quid enim generica vitae notio importet, quomodo vitam vegetativam tum sensitivam in homine sese habeant atque exercentur, nota nunc retinentur; et de tertio vitae gradu, intellectivo nimirum, superest inquisitio instituenda.

1° *Finis* hujus libri est scientiae de hominis vita intellectiva varias quaestiones dilucidare, quae non paucis difficultatibus, iisque non parum in varias partes distractis ac disputatis, ansam praebent.

2° *Objectum* hujus libri est vita intellectiva, non quidem qualiscumque, puta spirituum purorum, angelorum bonorum vel malorum, vel entium intellectualium qualia praeter species nunc creatas, creare forsitan Deus posset; sed vita intellectiva humani generis quale nunc in nostro mundo creatum videmus.


3° *Medium* in hoc libro, sicut in cosmologia et organologia erit, ut factis experientiae comprobatis ac perpensis, ab effectibus ad causas, ab obviis phaenomenis ad facultates, a facultatibus ad principium hujusque naturam concludamus.

4° *Comparatio* hujus Metaphysicae partis ad alias partes aliasque scientias:

LIB. V.

009660

B839
A2
v.3



FONDO EDITORIAL
VALVERDE Y TELLEZ

LIBER QUINTUS.

PSYCHOLOGIA.

PROOEMIUM.

Praesuppositis illis omnibus quae libris superioribus de corporeo mundo, deque vita organica disputavimus, perpauca jam praemonenda in hujus libri quinti limine manent. Quid enim generica vitae notio importet, quomodo vitam vegetativam tum sensitivam in homine sese habeant atque exercentur, nota nunc retinentur; et de tertio vitae gradu, intellectivo nimirum, superest inquisitio instituenda.

1° *Finis* hujus libri est scientiae de hominis vita intellectiva varias quaestiones dilucidare, quae non paucis difficultatibus, iisque non parum in varias partes distractis ac disputatis, ansam praebent.

2° *Objectum* hujus libri est vita intellectiva, non quidem qualiscumque, puta spirituum purorum, angelorum bonorum vel malorum, vel entium intellectualium qualia praeter species nunc creatas, creare forsitan Deus posset; sed vita intellectiva humani generis quale nunc in nostro mundo creatum videmus.

3° *Medium* in hoc libro, sicut in cosmologia et organologia erit, ut factis experientiae comprobatis ac perpensis, ab effectibus ad causas, ab obviis phaenomenis ad facultates, a facultatibus ad principium hujusque naturam concludamus.

4° *Comparatio* hujus Metaphysicae partis ad alias partes aliasque scientias:

LIB. V.

009660

in his omnibus res a nobis ipsis distinctas consideramus, nunc vero ad nostram ipsam intimam essentiam nostrasque etiam maxime reconditas operationes contemplandas atque dijudicandas convertimur: gratissimum quidem et utilissimum, non tamen facillimum studium.

5^o *Divisio* hujus libri secundum indicatam superius methodum erit:

Sectio I. De actibus et facultatibus intellectualibus.

Sectio II. De principio vitae intellectivae.

Quibus *appendicis* instar nonnulla subuectentur particularia de naturalibus animae humanae defectionibus.

SECTIO I.

DE ACTIBUS ET FACULTATIBUS INTELLECTUALIBUS.

Omnes istae facultates, prout in ipso tractationis decursu amplius patebit, apte ad duas revocari possunt. Unde duo de illis capita sectionem istam dividant:

Caput I. De intellectu seu cognitione intellectuali.

Caput II. De voluntate seu appetitu intellectuali.

CAPUT I.

DE INTELLECTU.

De priore illa facultate ita disputandum est, ut ejus existentia stabilita, objecto proprio determinato, actus etiam varii tum primarii tum secundarii analytice perpendantur, ac tandem ortam ex ipsa hac analysi difficultatem de prima origine idearum pro viribus solvere nitamur. Quamobrem erunt:

Quaestio 1. De existentia intellectus.

Quaestio 2. De objecto intellectus.

Quaestio 3. De actibus intellectus primariis.

Quaestio 4. De ejusdem actibus secundariis.

Quaestio 5. De origine idearum.

QUAESTIO I.

De existentia intellectus.

Propositio 1.

Praeter sentiendi facultatem, est in homine superior quaedam cognoscendi facultas, quae intellectus dicitur.

Stat. quaest. 1) Omnes quascumque cognitiones in homine habitas, ad solas sensitivas facultates esse reducendas dicunt *materialistae*, qui praeter

materiam nihil existere putant, et *sensistae*, qui praeter materiam sensum quidem et sensibilem animam sed nihil aliud admittunt (Locke, Condillac).

2) *Lockii doctrina*: a) anima ex se est *tabula rasa*; sed experientia accedente: *ideas simplices* passive accipit e sensatione; dein ex his *ideas complexas* efficit active; — b) ideas simplices per sensus et per reflexionem recipit; scilicet *per sensus* ideas qualitatum corporearum; *per reflexionem* ideas operationum animae; *per utrumque simul* ideas voluptatis, existentiae, unitatis, etc; — c) ideas complexas facit *per synthesim* seu conjunctionem plurium simplicium; ideas relationum *per juxtapositionem* et comparisonem plurium; ideas generales *per analysim* seu separationem plurium quae sunt reipsa unitae, quarum alteram negligit, alteram retinet communem pluribus.

3) *Doctrina Condillac*: a) omnis animae operatio est vel pura sensatio, vel sensatio varie modificata; — b) ergo: *attentio* est sensatio exclusiva; *comparatio* est duplex attentio; *judicium* est perceptio identitatis vel discrepantiae inter duas sensationes; *reflexio* est congeries sensationum; *imaginatio* est reflexio diversas sensationes in unum objectum colligens; *ratiocinium* est eductio unius iudicii impliciti ex alio illud continente. Harum autem facultatum complexus est intellectus.

Prob. Homo in cognitionibus suis: 1) objecta attingit quae sensibilia nullo modo sunt; — 2) ipsa objecta sensibilia modo attingit non sensibili; — 3) objecta etiam sensibilia ea attingit quae sensui non apparuerunt; — 4) de objectis sensuum attingit correctionem faciendam ut iudicium verum sit; — a. haec omnia per sensitivam facultatem nullam attingere potest; e.

Ad maj. 1) Talia sunt: possibilitas, impossibilitas; necessitas, contingentia; negationes, privationes; simplicitas; aeternitas; honestas, turpitudine; jus, officium; libertas, obligatio, licentia; spiritus, Deus et divina quaeque; relationes; certitudo, probabilitas, suspicio, dubium; etc.

Ad 2) Tales modi sunt: abstractio ab omni singularitate (universale directum et reflexum); ab omni existentia actuali (essentiae metaphysicae et physicae); ab omni conditione existentiae (a tempore et spatio, a subjecto inhaesionis); etc.

Ad 3) Talia sunt: alia multa individua huic singulari cognito similia vel dissimilia; effectus futuri, sive necessarii sive contingentes, ex causa cogita; causa ex effectu; significatum e signo arbitrario; etc.

Ad 4) Ita illusionem sensuum corrigit quoties subjectiva organi inordinatio adest; vel quoties medii dispositio vel distantia influunt; v. c. si baculus aquae immersus apparet fractus, si turris alba quadrata longinqua videtur nigra rotunda; si aegroto mel sapit quasi amarum.

Prob. min. (per nullam sensitivam). Omnis explicatio harum cognitionum per facultatem sensitivam esset: 1) aut Lockiana: experientia haberi primas notiones sensibiles, quae jam per compositionem, comparisonem, abstractionem, in eisdem facultatibus sensibilibus ortum dent novis cognitionibus iis superioribus; — aut 2) Condillaciana: experientia haberi primas notiones

in his omnibus res a nobis ipsis distinctas consideramus, nunc vero ad nostram ipsam intimam essentiam nostrasque etiam maxime reconditas operationes contemplandas atque dijudicandas convertimur: gratissimum quidem et utilissimum, non tamen facillimum studium.

5^o *Divisio* hujus libri secundum indicatam superius methodum erit:

Sectio I. De actibus et facultatibus intellectualibus.

Sectio II. De principio vitae intellectivae.

Quibus *appendicis* instar nonnulla subuectentur particularia de naturalibus animae humanae defectionibus.

SECTIO I.

DE ACTIBUS ET FACULTATIBUS INTELLECTUALIBUS.

Omnes istae facultates, prout in ipso tractationis decursu amplius patebit, apte ad duas revocari possunt. Unde duo de illis capita sectionem istam dividant:

Caput I. De intellectu seu cognitione intellectuali.

Caput II. De voluntate seu appetitu intellectuali.

CAPUT I.

DE INTELLECTU.

De priore illa facultate ita disputandum est, ut ejus existentia stabilita, objecto proprio determinato, actus etiam varii tum primarii tum secundarii analytice perpendantur, ac tandem ortam ex ipsa hac analysi difficultatem de prima origine idearum pro viribus solvere nitamur. Quamobrem erunt:

Quaestio 1. De existentia intellectus.

Quaestio 2. De objecto intellectus.

Quaestio 3. De actibus intellectus primariis.

Quaestio 4. De ejusdem actibus secundariis.

Quaestio 5. De origine idearum.

QUAESTIO I.

De existentia intellectus.

Propositio 1.

Praeter sentiendi facultatem, est in homine superior quaedam cognoscendi facultas, quae intellectus dicitur.

Stat. quaest. 1) Omnes quascumque cognitiones in homine habitas, ad solas sensitivas facultates esse reducendas dicunt *materialistae*, qui praeter

materiam nihil existere putant, et *sensistae*, qui praeter materiam sensum quidem et sensibilem animam sed nihil aliud admittunt (Locke, Condillac).

2) *Lockii doctrina*: a) anima ex se est *tabula rasa*; sed experientia accedente: *ideas simplices* passive accipit e sensatione; dein ex his *ideas complexas* efficit active; — b) ideas simplices per sensus et per reflexionem recipit; scilicet *per sensus* ideas qualitatum corporearum; *per reflexionem* ideas operationum animae; *per utrumque simul* ideas voluptatis, existentiae, unitatis, etc; — c) ideas complexas facit *per synthesim* seu conjunctionem plurium simplicium; ideas relationum *per juxtapositionem* et comparisonem plurium; ideas generales *per analysim* seu separationem plurium quae sunt reipsa unitae, quarum alteram negligit, alteram retinet communem pluribus.

3) *Doctrina Condillac*: a) omnis animae operatio est vel pura sensatio, vel sensatio varie modificata; — b) ergo: *attentio* est sensatio exclusiva; *comparatio* est duplex attentio; *judicium* est perceptio identitatis vel discrepantiae inter duas sensationes; *reflexio* est congeries sensationum; *imaginatio* est reflexio diversas sensationes in unum objectum colligens; *ratiocinium* est eductio unius iudicii impliciti ex alio illud continente. Harum autem facultatum complexus est intellectus.

Prob. Homo in cognitionibus suis: 1) objecta attingit quae sensibilia nullo modo sunt; — 2) ipsa objecta sensibilia modo attingit non sensibili; — 3) objecta etiam sensibilia ea attingit quae sensui non apparuerunt; — 4) de objectis sensuum attingit correctionem faciendam ut iudicium verum sit; — a. haec omnia per sensitivam facultatem nullam attingere potest; e.

Ad maj. 1) Talia sunt: possibilitas, impossibilitas; necessitas, contingentia; negationes, privationes; simplicitas; aeternitas; honestas, turpitudine; jus, officium; libertas, obligatio, licentia; spiritus, Deus et divina quaeque; relationes; certitudo, probabilitas, suspicio, dubium; etc.

Ad 2) Tales modi sunt: abstractio ab omni singularitate (universale directum et reflexum); ab omni existentia actuali (essentiae metaphysicae et physicae); ab omni conditione existentiae (a tempore et spatio, a subjecto inhaesionis); etc.

Ad 3) Talia sunt: alia multa individua huic singulari cognito similia vel dissimilia; effectus futuri, sive necessarii sive contingentes, ex causa cogita; causa ex effectu; significatum e signo arbitrario; etc.

Ad 4) Ita illusionem sensuum corrigit quoties subjectiva organi inordinatio adest; vel quoties medii dispositio vel distantia influunt; v. c. si baculus aquae immersus apparet fractus, si turris alba quadrata longinqua videtur nigra rotunda; si aegroto mel sapit quasi amarum.

Prob. min. (per nullam sensitivam). Omnis explicatio harum cognitionum per facultatem sensitivam esset: 1) aut Lockiana: experientia haberi primas notiones sensibiles, quae jam per compositionem, comparisonem, abstractionem, in eisdem facultatibus sensibilibus ortum dent novis cognitionibus iis superioribus; — aut 2) Condillaciana: experientia haberi primas notiones

sensibiles, quae jam paulatim per novas experientias transformentur in novas cognitiones superiores; — *a.* neutra explicatio sufficit; *e.*

ad min. 1) (*novis cognitionibus superioribus*). Primae istae notiones (quas Locke ideas vocat!) erunt, sensibilia phantasmata vel sensationes; *a.* circa ea operans facultas sensitiva eorum tamen naturam non mutabit; *v. c. componendo* sensibilia, habebit compositum sensibile, i. e. ejusdem naturae, singulare, concretum, etc; *comparando* sensibilibus sensibilia, habebit unius totius sensibilis partes varias sensibiles, ejusdem naturae, *v. c. caput, pedes, ramos, viride.*

ad min. 2) (*iisdem cognitionibus transformatis*). Talis transformatio non fiet sine causa efficiente; *a.* haec causa erit: a) potentia activa, distincta a suo effectu, b) sed ei proportionata, ac proinde sensu superior; *e.*

Propositio 2.

Discrimen essentiale inter brutum et hominem est intellectus.

Stat. quaest. 1) Hoc discrimen *alii* posuerunt in organismi sola aptiore et perfectiore compositione, *v. c.* in cerebri pondere, volumine, structura, involutionibus; — *alii* in sensuum majore perfectione, *v. c.* tactu magis delicato, omnium sensuum majore concordia et attemperamento; — *alii* in aliis humanis proprietatibus, *v. c.* religiositate, moralitate, libertate, perfectibilitate seu progressu indefinito.

2) *Nos* cum peripateticis concedimus haec omnia vera esse discrimina, veras proprietates hominis; sed contendimus essentiale et radicale discrimen, quod radix sit totius differentiae hominem inter et bruta, esse intelligendi facultatem et principium.

Prob. Illud constituit essentiale discrimen inter hominem et brutum, quod: 1) est specialis gradus elevationis supra materiam brutam, 2) est radix omnium facultatum et proprietatum quae in homine sunt, in brutis desunt, 3) est fundamentum totius diversitatis quae in vita etiam vegetativa et sensitiva inter hominem et bruta est: *a.* de intellectu haec omnia valent; *e.*

Ad argum. N. B. Idem hoc argumentum, applicatione mutata, latius explicatum cfr. organolog. de vita sensit. prop. 24.

QUAESTIO 2.

De objecto intellectus.

Propositio 3.

Objectum intellectus est aliquomodo quidquid habet rationem entis, dum modo rite ei proponatur.

Stat. quaest. 1) Inter intellectum et objectum potest duplex esse proportio: a) *absoluta*, ita ut ex essentia intellectus non repugnet ut aliquomodo

cognoscat tale objectum; — b) *relativa*, ut attingere illud possit hic et nunc.

2) In propositione agimus de absoluta proportionem quam affirmamus, et ex qua sequetur affirmanda etiam altera.

3) *Objectum*: non motivum sed terminativum.

Aliquomodo: immediate vel mediate; explicite, vel implicite; perfecte vel imperfecte; per conceptus proprios vel analogos.

Proponi generatim possunt objecta: per seipsa intuitive cognoscenda; per auctoritatem; per ascensum ex effectu ad causam; etc.

Prob. Objectum terminativum, absolute proportionatum intellectus, illud est ad quod intellectus, spectata sua natura, potest absolute se porrigere; *a.* ad omne ens potest se porrigere intellectus; *e.*

Prob. min. 1) Intellectus potest attingere ipsam notionem entis, ut sic; *a.* haec notio est in omni ente; *e.* saltem sub hac notione potest intellectus eius quodcumque attingere.

2) Teste experientia, intellectus variis modis attingit divisiones contradictorias entis, *v. c.* existentia, non existentia; possibile, impossibile; substantias, accidentia; materialia, spiritualia; finita, infinitum; — *a.* inter contradictorias divisiones non datur tertium intercalabile; *e.*

Coroll. 1^m Ergo omne ens potest dici objectum materiale intellectus.

Coroll. 2^m Ergo ens rationis, quod non in se, sed per ordinem ad ens reale cognoscitur, est objectum intellectus, non per se, sed per accidens.

Coroll. 3^m Ergo *intellectus intelligendo fit omnia*, i. e. omnium rerum species seu formae existunt in intelligente, ac proinde ipse fit intentionaliter omnia, seu assimilatur repraesentative omnibus.

Propositio 4.

Objectum intellectus proportionatum pro praesentis vitae statu, est ens sensibile.

Stat. quaest. 1) *Proportionatum*: proportione relativa ad statum praesentem hominis.

2) *Sensibile*, i. e. quod prius aliquomodo per sensus attingitur, hoc solum erit postea intellectui proportionatum, seu ut objectum formale cognoscibile.

Prob. Illud est objectum proportionatum intellectus, quod per speciem propriam cognoscitur; *a.* sic sensibilia, eaque sola cognoscuntur; *e.*

Ad maj. Per speciem propriam cognosci, est ita in cognitione repraesentari ut propriae notae rei exhibeantur intentionaliter tales quales in se sunt; — huic opponitur cognitio per species *alienas* seu *analogas*, qua rei notae exhibentur non quales in se sunt, sed quales ab aliis rebus mutuatae, tribuantur rei nunc cognoscendae per aliquam comparisonem, compositionem, abstractionem, negationem, etc; — *a.* sola ratio cur aliae res per speciem propriam, aliae per speciem alienam debeant repraesentari, est quia priores habent tales

notas ad quas in se possit attingere intellectus, aliae non; i. e. quia priores sunt proportionatae, aliae non; e.

Ad min. 1 part. (sensibilia). Patet experientia.

Prob. 2 part. (eaeque sola). Teste experientia, ut nobis exhibeamus v. e. spiritualia, abstracta, petimus species ex sensibilibus (componendo, negando, etc.); e. non propriis, sed alienis speciebus concipimus.

Schol. Alia passim afferuntur argumenta :

1) Unio animae cum corpore ideo naturalis est, ut intellectus animae per species a sensibus haustas cognoscat; a. a sensibus haurire species nequit nisi sensibilibus; e.

2) Unio naturalis animae cum corpore perficit exercitium operationis propriae humanae (i. e. intellectualis); a. perficere operationem intellectus non potest sensus nisi necessaria ministrando, scilicet species sensibilibus (secus non perficeret sed potius impediret ministrando inutilia et aliena); e.

3) Modus operandi sequitur modum essendi; a. anima nostra naturaliter exigit conjunctionem cum corpore sensibili; e. proxime agit circa sensibilia.

4) Si objectum proportionatum non esset ens sensibile, intellectus non indigeret sensibus, neque ab eis ullo modo penderet; a. contra est; e.

Sed R. Haec omnia vera sunt, sed quoad vim probandi, in philosophia caveas petitionem principii; nam haec omnia supponunt animae existentiam, et spiritualitatem, et unionem substantialem immediatam cum corpore; et ipsius intellectus immaterialitatem, etc; a. ista omnia debent probari ex suis effectibus, i. e. ex intellectuali cognitione, ejusque proprietatibus; et haec iterum ex objecto suo proprio specificante; e. — (Aliter utique theologi cum S^o Thoma procedunt, et quidem quia ex revelatione primo statuta hominis natura, exinde postea facultates et actuum objecta deducunt).

Coroll. 1^m Ergo quoties agit intellectus, agit etiam phantasia.

Coroll. 2^m Phantasia debet praevie ad intellectionem agere, et comitari operationes intellectus, eas vestiendo sensibilibus imaginibus; quod saepe usitato axiomate exprimitur : *nihil est in intellectu quod non prius fuerit in sensu.*

Coroll. 3^m Ergo homini non sufficiebant sensus externi, sed requirebantur sensus interni.

Coroll. 4^m Ergo intellectus non immediate apprehendit sensationes sensuum externorum.

Coroll. 5^m Ergo etiam actus suos, et seipsum, et animae substantiam intellectus attingere non potest nisi concurrente aliquo sensibili.

Propositio 5.

Intellectus rerum essentias penetrat.

Notiones. 1) *Essentia* est id quo res constituitur ut haec res, seu quo est id quod est.

Essentia sumitur aut ut est a parte rei : *physice*; aut ut nobis exhibetur : *metaphysice, logice.*

2) Essentia physice spectata, definitur ex effectibus, ut principium proprietatum. Logice spectata est id quod primum in re, quocum comparata reliqua omnia sunt secundaria; et exprimitur per genus et differentiam specificam.

3) Hic agimus de essentia utroque modo spectata; magis tamen attendimus ad physicam essentiam.

Prob. 1^o Intellectus ea attingit quae sibi sunt proportionata, et sufficienter proposita; a. plurimae essentiae tales sunt; e.

Ad min. 1) Sunt absolute proportionatae, nam sunt entia (efr. sup.);—2) relative sunt proportionatae, nam a) sunt aliquomodo sensibiles; et b) simul abstrahunt a conditionibus materiae concretae; —3) sunt sufficienter propositae, nam se manifestant per effectus, et actiones, et proprietates.

Prob. 2^o Essentia rei est principium proprietatum et actionum ejus; a. hoc potest intellectus cognoscere; e.

Ad min. Intellectus potest a) abstrahere; b) distinguere ea quae in rebus variant (accidentia mobilia), et ea quae iis semper competunt (proprietates); c) inter ipsas proprietates distinguere eas quae primariae sunt et fundamenta aliarum; d) ex ipsis primariis proprietatibus concludere principium radicale ultimum earum omnium; a. haec est essentia; e.

Prob. 3^o Intellectus habet naturale intrinsecum desiderium cognoscendi quid sint res, i. e. essentias; a. hoc desiderium indicat intellectum natura sua posse essentias penetrare; e.

Ad min. Naturale desiderium est naturalis inclinatio facultatis in objectum; a. haec fluit ex naturali capacitate facultatis; e.

Coroll. 1^m Ergo recte sensit Plato formas, sive rationes rerum, esse id quo res fiunt intelligibiles (erravit solum has formas existere a rebus separatas).

Coroll. 2^m Ergo res non per suam existentiam tantum (ut dicebant Nominales), nec per esse quoddam universale (ut dicebat Scotus), i. e. qua universale commune, intelligibiles sunt; sed per suam essentiam, i. e. per aliquid quod eatenus universale est quatenus logice distinctum ab individuatione, potest logice communicari pluribus; quod non sensus percipit sed solus intellectus.

Coroll. 3^m Ergo intellectus res omnes secundum earum esse immateriale, ideale, seu intelligibile, abstractum, percipit; nam immateriale, ideale, abstractum est aliquomodo illud quod cum hac individua materia non est omnino identicum et sine ea concipi potest.

Coroll. 4^m Ergo intellectus rem materialem quam concipit evehit ad altiore, i. e. immaterialem et idealem existendi modum, nullam tamen mutationem in ipsa re efficiendo; quem modum existendi res actu in intellectu acquirit specie intelligibili.

Coroll. 5^m *Operatio notior est quam substantia.*

Propositio 6.

Licet intellectus singularia proprie et distincte percipiat, proprium tamen et immediatum objectum ejus est universale.

Stat. quaest. Praescindimus hic a distinctione inter universale directum et reflexum; priore parte discedimus a S^o Thoma, cfr. de verit. q. 2. a. 6; et summ. 1 p. q. 86. a. 1.

Prob. 1^a pars (singularia). Intellectus noster: 1) de singularibus judicat et ratiocinatur; 2) plane distinguit hominem a Joanne, arborem a ficu ista; a. hoc non potest nisi singularia proprie et distincte percipiat; e.

Ad min. 1) Judicare nequit nisi duos terminos comparans, nec ratiocinari nisi tres terminos comparans, ac proinde singulos proprie ac distincte cognoscens; — 2) inter ignota, vel confuse nota, non posset distinguere.

Prob. 2^a pars (universale). Proprium et maxime proportionatum, et immediate notum objectum intellectus, est ens sensibile quidem, sed abstractum a sua materialitate concreta et a sua individuatione; a. ens ita abstractum est universale; e.

Ad maj. Nota rei, prout ab intellectu immediate percipitur, non necessario ad hanc individuum unicam rem refertur, sed potest ad alia individua etiam applicari.

Schol. Ex eo ipso quod objectum ejus sit ideale et exemplare rerum, potest intellectus unico conceptu multa repraesentare; non autem sensus potest, qui requirit immutationem organi, quod affici nequit nisi a singulari corpore.

Objic. 1^o Singulare est aliquid materiale, intellectus est immaterialis; a. materiale nequit esse vel agere in immateriali; e. — *R. d. maj. 1 part.* materiale in se, in essendo, *tr.* in cognoscente, *sd.* in sensu, *c.* in intellectu, *n.* — *c. maj. 2 part.* — *e. d. min.*

Objic. 2^o Intellectus humanus medium tenet inter sensum et intelligentiam separatam; a. sensus cognoscit singularia, intelligentia separata cognoscit singularia et universalia; e. intellectus humanus sola universalia. — *R. c. maj.* — *c. min. 1 part.* — *d. min. 2 part.* modo altiore quam intellectus humanus, *c.* eodem modo, *n.*

Objic. 3^o Species intelligibiles communium naturarum sufficiunt cum phantasmate ad percipienda singularia; e. non requiruntur species singularium. — *R. d. ant.* ad cognitionem aliqualem, confusam, *e.* propriam et distinctam, *n.*

QUAESTIO 3.

De actibus primariis intellectus.

Primarios actus intellectus nostri illos dicimus quos in priore parte logices enumeravimus, nimirum simplicem apprehensionem seu ideam, iudicium,

ratiocinium. Ideo vero primarii dicuntur, quia sine illis nullus alius intellectus nostri actus perficitur, ad eos omnis alius reducitur. Eo autem differt studium praesens a studio circa eosdem actus jam in logica instituto, quod in logica subjectiva quidem eorum varietates, divisiones, usus in nostro intellectuali processu quaerebatur; in logica objectiva vero eorum valor objectivus atque efficacia ad veritatem certitudinemque acquirendam proponebatur et discutiebatur; nunc autem ipsa eorum intima essentia, modus oriundi et existendi, ipsius denique facultatis natura a qua procedunt, investigantur.

Articulus 1. De idea.

Articulus 2. De iudicio.

Articulus 3. De ratiocinio.

ARTICULUS 1.

De idea.

Propositio 7.

Idea quae per reflexionem percipitur ut objectum, habet necessario, quatenus est idea, objectum a se distinctum.

Stat. quaest. 1) Idea est simplex rei cujuscumque apprehensio intellectualis, quae nihil affirmat aut negat. Et quidem, secundum generalem analysim omnis cognitionis, superius, ubi de vita sensitiva, factam, novimus hanc simplicem apprehensionem esse ipsam *speciem expressam repraesentativam* rei in mente cognoscente; unde etiam dici potest *forma rei praeter ipsam existens*, scilicet forma intentionalis, rem in mente repraesentans, seu intentionaliter praesentem iterum sistens in cognoscente, praeter ejus realem existentiam extra mentem.

2) Novimus proinde etiam, ideam non esse cognitionis objectum, non id quod cognoscitur, sed id quo objectum cognoscitur, quum sit formalis actus cognitionis. Sed haec omnia de idea directa dicebantur, qua objectum distinctum cognoscitur. Nec difficultas jam, opinor, manet.

3) Sed quid si ipsa idea reflexe percipitur? Quomodo idea directa reflexe repraesentatur? nonne tunc idea est id quod percipitur? ad hanc quaestionem respondens propositio praesens distinctionem affert.

Prob. Potest quidem ipsa idea aliqua fieri objectum cognitionis reflexae; at tunc idea, non ideo quia est idea, fit objectum alterius cognitionis; sed ideo quia est idea, jam ipsa est aliqua cognitio; a. omnis cognitio est actus mentis ab objecto suo distinctus et illud ut saltem natura prius supponens; e.

Ad maj. 1 part. (potest quidem). Teste experientia intellectus noster potest reflectere in omnes actus nostros subjectivos, etiam ipsius intellectus.

Ad 2 part. (at non ideo). a) Objectum intellectus proportionatum non ipsa idea ut actus mentalis est, sed omne ens sensibile immaterialiter propositum;

b) teste experientia non in solam ideam, sed in actus quoscumque sive intelligendi sive volendi potest intellectus reflectere.

Ad 3 part. (sed ideo). Idea ut sic est cognitio formalis, seu vitalis repraesentatio intellectualis objecti.

Propositio 8.

Nullam ideam, in statu praesenti, habet humana mens distincte intuitivam.

Notiones. 1) Distingui potest cognitio :

intuitiva lato sensu : quam determinat per se immediate objecti praesens realitas (sive ipsa per suam *essentiam* jungatur cum intellectu, sive ipsa sui *speciem propriam* ei imprimat).

distincte intuitiva : si objectum aperte ac distincte se manifestat; haec dicitur stricto sensu intuitiva, seu «per modum visus.»

confuse intuitiva : si objectum se confuse ac indistincte manifestat; haec dicitur intuitio «per modum tactus.»

abstractiva — — — quam determinat non objecti ipsius praesens realitas, sed alia res, ergo per *speciem alienas*.

per species *univocas*, si fuerint species abstractae ab alia re univoce simili cum objecto.

per species *analogas*, si abstractae... ab alia re analogice simili.

2) Confundi non debet cognitionum partitio in obscuram et claram cum partitione in distinctam et confusam (cfr. log.).

Prob. Omnis humana idea est aut directa de singularibus, aut directa de universalibus, aut reflexa de propriis subjecti actibus; *a.* ex his nulla est distincte intuitiva; *e.*

Ad min. 1) *Particularia* sunt aut materialia aut spiritualia; — *a.* *materialia* per suam praesentem entitatem afficiunt immediate solos sensus, non intellectum; sed debent intellectuales eorum species impressae abstrahi ex sensualibus, et proinde erunt alienae abstractae species; — *spiritualia* vero ut sic non sunt objectum proportionatum intellectus; sed debent attingi per species ex materialibus abstractas et proinde alienas analogas; *e.*

2) *Universalia* ut sic, non habent realitatem realem praesentem quae sui speciem imprimat; sed debent eorum species ex singularibus abstrahi; ac proinde attinguntur per species univocas quidem (quoad id quod repraesentant), sed abstractas alienas (quoad originem); *e.*

3) *Actus proprii*, teste experientia, non distincte, sed confuse tantum percipiuntur; et per species quae simul istorum actuum objecta repraesentant, debent implicite attingi; *e.*

Coroll. Improperie loquendo interdum confunduntur cognitio intuitiva,

saltem confusa, et abstractiva per species univocas, quia neutra est per species analogas; sed distinguendae sunt, quia alia supponit ipsum objectum formale realiter praesens, alia non.

Propositio 9.

Idea neque est iudicium, neque includit sive iudicium sive reflexionem.

Stat. quaest. 1) Orta est parva haec quaestio ex confusione conceptuum. Nam iudicium est cognitio duas ideas componens in unam affirmationem vel negationem; sed talem aliquam affirmationem efficere, est aliquid dicere, seu verbum aliquod producere, et quasi sibi ipsi mentaliter loqui. Sed etiam simplex idea est aliqua cognitio, qua proinde mens aliquid sibi ipsi repraesentet, quasi illud dicat; est ergo etiam simplex idea verbum mentis, imperfectius quidem, at verum. Hinc aliquorum ratiocinium : idea est verbum mentis; *a.* verbum mentis est iudicium; *e.*

2) Alii aliter : idea est verbum mentis, quo mens sibi ipsi loquitur; *a.* ut hanc suam loquelam mens percipiat, debet ipsa sibi attendere, seu in se reflectere; *e.*

3) Conceptus illos distinguere inter se, ac lusum in nomine *verbi* vitare volumus.

Prob. Idea est cognitio aliqua, imperfecta quidem et inchoativa, sed vera; *a.* talis cognitio minime debet necessario esse iudicium, vel includere iudicium vel reflexionem; *e.*

Ad min. In idea mens sibi repraesentat, vel dicit, unam tantum rem; — *a.* 1) hanc non cum alia comparat vel componit in unum; *e.* nullum facit vel includit iudicium; — 2) eam directe tantum apprehendit, non cum ipsa mente cognoscente comparat; nec mentem ipsam cognoscentem repraesentat; *e.* nullam includit reflexionem.

Schol. 1^m Species expressa sensibilis non solet *verbum* dici, quia verbum proprie illud est quo subjectum cognoscens potest reflexe et pro voluntate uti.

Schol. 2^m *Intellectio* seu *idea* significat solum ordinem conceptus mentalis ad rem; *verbum* exprimit ejusdem conceptus ordinem et ad mentem a qua procedit, et ad rem quae illo dicitur seu intelligitur. Differunt igitur ratione tantum.

ARTICULUS 2.

De iudicio.

Propositio 10.

Iudicium non est actus a voluntate elicitus, sed ab intellectu.

Notiones. *Actus elicitus*, i. e. quem facultas vi sua immediate producit immanenter; — *actus imperatus*, i. e. qui ex motione vel imperio unius facultatis

tatis, ab alia producitur, scilicet immediate a facultate elicente, mediate a facultate imperante.

Stat quaest. Concedimus iudicium saepe a voluntate posse imperari, et ita ab intellectu elici, quoties nempe cognitae veritatis evidentia vim huic non infert; sed contra Cartesium et Malebranche negamus unquam ab ipsa voluntate elici immediate.

Prob. 1° Actus specificè diversi nequeunt ad eandem facultatem reduci: *a.* iudicium est actus tendens in verum; volitio autem formaliter in bonum; quae specificè differunt; *e.*

Prob. 2° Frequenter affirmamus iudicando, id quod nobis apparet ut malum, a quo abhorremus; *a.* haec affirmatio nequit esse actus voluntatis, quae ita simul idem vellet et non vellet; *e.*

Objic. 1° Iudicium est assensus propositae veritati, vel dissensus a falsitate; *a.* assentire vel dissentire idem est ac velle vel nolle; *e.* — *R. tr. maj.* — *n. min.* (assentire veritati est sententiam ut veram tenere, apud seipsum ratam habere).

Objic. 2° Iudicium est quies quaedam desiderii sciendi aliquid; *a.* desiderium et quies sunt voluntatis; *e.* — *R. n. maj.* (quies sequitur post iudicium, et est certitudo, vel opinio).

Propositio 11.

Judicii objectum materiale sunt duo termini objectivi.

Prob. Iudicium est actus quo mens binos conceptus objectivos componit in unum; *a.* objectum materiale actus est illud circa quod exercetur ille actus; *e.*

Ad maj. In omni iudicio 1) sunt duo conceptus: subjectum et praedicatum, 2) quorum fit compositio in unam identitatem per copulam, 3) qui sunt intelligendi non prout in mente existunt, sed ut signa suppositiva rerum, i. e. objective (cfr. log.).

Propositio 12.

Judicii objectum formale est objectiva identitas, saltem apparens, terminorum.

Notiones. Objectum formale alicujus cognitionis est nota illa sub qua, seu respectu cujus cognoscitur objectum materiale. — Objectum formale iudicii est igitur illud quod primo ac per se in omni iudicio percipitur de duobus terminis, seu id quod principaliter mentem determinat ad iudicium faciendum.

Prob. 1° Voces propositionis sunt signa illius quod intellectus cognoscens de re cognita percipit; *a.* 1) id quod mens percipit in iudicio significatur in iudicii propositione per verbum *est*; 2) hoc verbum *est* significat objectivam identitatem terminorum; *e.*

Prob. 2° Iudicii objectum formale debet esse aliquod formaliter unum; *a.* hoc unum nequit esse nisi identitas terminorum; *e.*

Ad maj. Omnis operatio suam unitatem mutuatur ab unitate objecti formalis sui; *e.* et iudicium, quod est cognitio aliqua, debet unum aliquid repraesentare ut objectum suum proprium.

Ad min. Objectum materiale, duo termini, nequeunt esse objectum iudicii nisi aut ut duo disjunctim, aut ut unum compositum ex duobus, aut ut duo in unitatem identitatis objectivae componenda; *a.* nec 1^{um}, nec 2^{um}; *e.* 3^{um}.

ad min. (non 1^{um}). Quamdiu duo termini concipiuntur disjunctim ut duo, sunt solum objecta duarum idearum distinctarum.

(non 2^{um}). Si duo termini concipiuntur ut compositi unius complexus partes, sunt solum objectum unius compositae ideae, non iudicii.

Coroll. Ergo recte scholastici dicunt iudicium esse actum intellectus quo duos conceptus objectivos componit vel dividit, i. e. percipit identitatem (affirmativo iudicio), vel repugnantiam (negativo iudicio). — Imo *S. Thomas* solet non adhibere iudicii vocem, sed dicit fere semper intellectum componentem et dividentem.

Propositio 13.

Omnia iudicia humana sunt comparativa.

Stat. quaest. 1) Quaeritur variis loquendi modis idem, scilicet: *a.* utrum omne iudicium fiat per compositionem vel divisionem, i. e. apprehendantur prius duo termini, simplices ideae, quae in unum apprehensum complexum componantur, eo quod apprehendantur secundum aliquid unum utrique commune, quae erit objectiva eorum identitas vel repugnantia; — *b.* utrum omne iudicium praecedant solitariae simplices apprehensiones subjecti et praedicati; — *c.* utrum omne iudicium sit comparativum; i. e. praecedere debeat comparatio duorum terminorum inter se, ex qua percipiatur eorum identitas.

2) Respondent Reid cum sua schola scotica, Kant, Consin, Damiron, iudicia primitiva mentis humanae non esse comparativa, sed hunc esse primum directum actum mentis, ex quo per divisionem postea fiant simplices ideae. — Iudicia autem dicunt non quaecumque, sed primitiva, v. c. de existentia rerum.

3) Respondent peripatetici, de natura quidem iudicii non esse ut necessario praecedat comparatio terminorum; sed de imperfectione mentis humanae esse, ut non nisi post comparisonem terminorum iudicet; Deum autem et angelos intuitive iudicare. — Hanc ergo solam humanam imperfectionem praesentem ostendere volumus.

Prob. Teste experientia, de re quavis cognitionem primo obscuram et confusam habemus, dein paulatim clariorem et distinctiorem; *a.* hoc fieri nequit nisi varias notas singillatim et successive perceptas; in unitatem paulatim per iudicia componendo; *e.*

Ad maj. Noster intellectus claram, distinctam, perfectam de aliqua re cognitionem non habet, nisi varias ejus rei notas abstractas, transcendentales, genericas, specificas, individuantes in unum complexum addendo successive.

Ad min. Addere istas notas abstractas non aliter in unum conceptum concretum possumus, nisi percipiendo successive earum objectivam convenientiam in una re, i. e. per judicia.

Propositio 14.

Assensus mentis judicantis non nisi connotative differt a perceptione objectivae identitatis terminorum.

Stat. quaest. 1) Probatum jam est (prop. 10) iudicium non esse assensum vel quemcumque actum voluntatis. — Sed quaestio manet in quonam actu intellectus formaliter sit ponendum.

2) Possunt distingui: a) perceptio terminorum separatim, — b) comparatio terminorum inter se, — c) perceptio eorum identitatis objectivae, — d) assensus intellectus huic perceptae identitati, seu quies intellectus in hac percepta identitate, tanquam in suo objecto plene adepti.

3) In his primum est evidenter a iudicio distinctum et praevium ad illud; — secundum fuit probatum (prop. 13) esse ad iudicium necessario praerequisitum ac proin ab eo distinctum; — tertium esse necessarium concedunt adversarii nunc impugnandi, sed dicunt esse realiter distinctum a quarto, in quo solo formaliter consistat iudicium. — Nos dicimus in tertio formaliter consistere iudicium; quod tamen a quarto non realiter, sed ratione tantum distinguatur, sicut actus formalis et suus effectus formalis.

4) In tota hac propositione, assensus intelligendus est *actus* quo intellectus veritatem ut adeptam aestimet, illi acquiescat, eam ratam habeat; non vero assensus intelligendus est *status* qui illum actum sequatur, securitas et quies in possessione veritatis.

Prob. Assensus mentis est realiter ipsum iudicium, seu perfectus actus intellectus (quod adversariis concedimus); a. ipsum iudicium, seu actus intellectus perfectus, est realiter perceptio veri objectivi, seu objectivae identitatis terminorum; e. assensus mentis ab apprehensione veri objectivi non differt realiter, sed ratione tantum, seu connotative.

Ad maj. Actus quo intellectus perfecte possidet suum objectum, est actus ejus perfectus, iudicium; a. actus quo intellectus perfecte suum objectum (veritatem) possidet, est assensus veritati; e.

Ad min. Perfectus actus intellectus est actus quo perfecte conjungitur suo objecto, illudque perfecte possidet; a. actus quo intellectus perfecte conjungitur suo objecto, illudque perfecte possidet, est apprehensio veri objectivi, i. e. plena perceptio identitatis objectivae terminorum; e.

Objic. 1° Perceptio identitatis est motivum iudicii; a. motivum, seu

causa, distinguitur ab actu, seu effectu; e. — R. d. maj. motivum, i. e. causa praecedens et efficiens quocumque modo, n; i. e. causa formalis, c. (motivum seu causa aliquomodo efficiens, i. e. influens, est ipsius objecti veritas, quae quidem praesupponitur).

Objic. 2° In syllogismo consequentia est ipsa convenientia inter terminos consequentis; a. apprehensio consequentiae non est ipsum consequens iudicium, sed est motivum concludendi seu iudicandi consequens; e. — R. n. maj. (consequentia syllogismi stricte est ipse nexus inter ejus tres propositiones, talis ut legitime tertia sit iudicanda ex comparatis duabus prioribus; e. consequentia non tam ipsa convenientia inter terminos est, quam hujus convenientiae manifestatio).

Objic. 3° Possunt esse iudicia temeraria et falsa; a. apprehensio identitatis nequit esse temeraria et falsa; e. — R. c. maj. — d. min. convenientiae realis, et prudenter applicata facultate, c; convenientiae apparentis tantum quia imprudenter applicata facultas, n.

Objic. 4° Dantur iudicia a voluntate imperata; a. assensum quidem, perceptionem non potest voluntas imperare; e. — R. c. maj. — d. min. assensum sicut perceptionem potest voluntas imperare, movendo intellectum ad prudentem vel ad temerariam applicationem et exercitium, c; secus, n.

Objic. 5° Ignorantia est status mentis identitatem non percipientis; a. cum ignorantia potest stare iudicium (erroneum quidem et temerarium); e. — R. d. maj. non percipientis et proin non assentientis, c; secus, n. — c. d. min. cum ignorantia qua nec percipiat, nec assentiat, n; cum ignorantia improprie dicta, i. e. cum perceptione temeraria veri apparentis tantum, c;

Objic. 6° Dubium est suspensio intellectus seu iudicii inter duo opposita. a. non perceptionis suspensio est (nam percipitur utrumque oppositum), sed assensus; e. — R. tr. maj. — d. min. i. e. alia est suspensio assensus quam perceptionis, n; eadem, c. (percipitur utrumque oppositum, sed cum suis motibus talibus, quibus neutrum ut verum, sed utrumque ut forsitan verum percipiatur; et idem est assensus).

Objic. 7° Opinio est status mentis assentientis uni oppositorum cum formidine tamen oppositi; a. ita assentire est iudicare, non tamen percipiendo veritatem; — R. d. maj. assentientis uni, illud percipiendo, ita tamen ut simul percipiat possibilitatem oppositi, c; secus, n. — c. d. min.

Objic. 8° Certitudo est status mentis firmiter adhaerentis veritati, seu firmitas assensus; a. firmiter adhaerere veritati nequit nisi illam praecognovit; e. — R. d. maj. est status mentis firmiter adhaerentis veritati, i. e. status quietae possessionis consequens ex perceptione et assensu, c; i. e. ipse assensus praeter perceptionem, n.

Objic. 9° Ex usu loquendi hominum intelligenda sunt vocabula; a. usu communi 1): percipere dicimur si cognoscimus vel apprehendimus veritatem; iudicare autem si eam ita esse affirmamus ut nobis apparet; — 2) saepe dicimus rem ita nobis apparere (percipi), iudicare tamen (affirmare) eam nos

non audere; *e.* — *R. d. maj.* ex usu..., discernendo tamen quo sensu, quando proprie, quando improprie, utantur, *c*; secus, *n*; — *d. min.* ita dicimus secundum connotationem et distinctionem rationis; vel saepe etiam improprie ad distinguendum iudicium dubium a iudicio certo, *c*; secus, *n*.

ARTICULUS 3.

De ratiocinio.

Propositio 15.

Omne ratiocinium est discursivum per medium.

Stat. quaest. 1) Mens finita, ubi de uno objecto veritatem aliquam, sed non omnem cognoscit per iudicium, tendit ad aliam, et si fieri potest, ad omnem veritatem de eodem objecto cognoscendam; et ex hac tendentia sequitur operatio seu processus mentis quo ad novas veritates per nova iudicia, ex modo jam habito iudicio perveniat; quem processum usu communi homines ratiocinium vocant.

2) In logica ostendimus inductionem nullam esse nisi per medium terminum discursivam; nunc dicimus generalius, nullum omnino humanum ratiocinium aliud esse quam discursivum.

Notiones. *Discursivum per medium*, i. e. non saltu per hiatus potest ab uno iudicio ad aliud mens concludere; sed debet per medium aliquod iudicium in quo sit alius aliquis terminus medius, transire; et discursu, i. e. comparando terminos concludere novo iudicio veritatem aliam. Talis discursus per medium et conclusio ex eo, est syllogisticus processus.

Prob. Omne verum ratiocinium talis processus esse debet, ut mens non instinctu caeco, nec subjectiva necessitate (forma Kantiana), nec temere sine perspecta ratione, sed ideo quia veritas manifestatur, transeat ad novum iudicium de ea faciendum; *a.* manifestari nova veritas non potest vi prioris iudicii de una veritate sola, sed requiritur discursus per medium; *e.*

Ad maj. 1) Sicut omne iudicium, ita et iudicium consequens in ratiocinio nequit esse nisi de veritate objective manifestata, saltem apparente; nam hoc est eius objectum formale; — 2) ratiocinium non concipitur nisi praecedens cognitio est motivum manifestans veritatem sequentis cognitionis; *e.*

Ad min. Quamdiu unum iudicium habetur, cognoscitur una veritas, i. e. identitas inter duos terminos comparatos; nec novum iudicium potest sequi nisi comparando alium terminum cum prioribus, et ex hac comparatione percipiendo identitatem aliam.

Coroll. 1^m Necessitas illa discurrendi per medium, ostendit imperfectiorem naturalem mentis nostrae; nam si perfectior mens statim ac objectum aliquod novit omnem de eo veritatem cognosceret simul, ista discursu non indigeret.

Coroll. 2^m Ergo jure peripatetici definiebant hominem : animal rationale, scilicet : a) *animal* nota est generica in qua cum aliis sensitivis convenimus; b) *rationale* nota specifica qua ab aliis animalibus discernimur; c) non *intellectuale* dicitur, in qua nota cum angelis generice convenimus; d) sed *rationale* in qua nota discernimur ab angelis vel aliis intellectualibus possibilibus, quia hunc modum intelligendi nostrum exprimit : *discursivum*.

Propositio 16.

Ratiocinium est actus unus mentis.

Prob. 1^o In ratiocinio distingui possunt : 1) veritas prius nota, 2) alia veritas cum illa comparanda, 3) ipsa comparatio eorum, 4) perceptio ex hac comparatione orta novae veritatis antea ignotae; — *a.* tria prima sunt quidem praerequisita, sed non sunt formaliter ipse mentis processus ad novam cognitionem; — *e.* ratiocinium formaliter sumptum est in solo quarto.

Ad maj. ad 4) Perceptio haec confundi non debet cum ipso iudicio quod est consequens ratiocinii; sed est potius perceptio consequentiae, i. e. nexus qui existat inter praecedentes comparatas praemissas et consequens iudicium, seu necessitatis qua ex praemissis appareat consequens.

Prob. 2^o Ratiocinium est formaliter discursivum per medium; *a.* discurre per medium mens non potest nisi simul in eodem actu percipiat extrema et media comparanda; *e.*

Propositio 17.

Ratio non est potentia diversa ab intellectu.

Stat. quaest. 1) Rationem alii aliter definiunt :

a) *Peripatetici* : facultatem ratiocinandi; et addunt eam ab intellectu non realiter distingui; cfr. S. Thom. 1 p. q. 79. a. 8.

b) *Kantiani* : facultatem idearum, seu facultatem percipiendi essentiam internam rerum; et addunt eam ab intellectu realiter distingui. — Scilicet *intellectus* per duodecim categorias, formas sibi subjectivas innatas, varia phaenomena per experientiam percepta ordinat in iudicia de speciebus et generibus in subordinationem mutuam; sed *ratio* jam ulterius progrediens per tres ideas, formas sibi subjectivas innatas, varias species et genera componit in unitatem subjecti, mundi, Dei (cfr. logic.); et ita transcendendo omnem experientiam, attingit intimam rerum essentiam.

c) *Güntheriani* aliquid simile Kantianis admittentes, hoc solo differunt quod catholici esse volentes, logicas conclusiones ultimas pantheisticas nolunt admittere.

d) *Ontologistae* : facultatem intuendi mere intelligibilia; et addunt eam ab intellectu realiter distingui. — Scilicet *intellectus* res materiales modo imma-

teriali percipit, sed *ratio* eas ex idea suprema una entis absoluti primo et necessario percepti deducit ac specificat.

2) Sint ergo tres in propositione probanda partes : a) pro peripateticis, — b) contra Kantianos, — c) contra ontologistas.

Prob. 1^a pars (ut facultas ratiocinandi). 1° Actus ratiocinandi et actus intelligendi (judicandi) distinguuntur sicut actus tendendi ad objectum et actus possidendi idem objectum; *a.* haec duo procedunt ab eadem facultate; *e.*

Ad min. a) Objectum quod specificet actum est idem.

b) Discrimen actuum est quod alter est imperfectus seu inchoativus, alter perfectus.

c) Ratio hujus discriminis est quod aliquando objectum formale non immediate manifestum proponitur, sed pro imperfectione facultatis debet mediante discursu manifestari.

Prob. 2° Distinctio realis inter intellectum et rationem admitteretur aut propter materiam ratiocinii, aut propter formam ejus, aut propter conclusionem quae ex eo infertur; *a.* nihil horum valet; *e.*

Ad min. 1 part. (non propter materiam). 1) Ratiocinii materia remota sunt ipsi termini, quibus constant judicia praemissa; *a.* hi sunt simplices apprehensiones intellectus; *e.*

2) Ratiocinii materia proxima sunt ipsa judicia praemissa; *a.* haec aut sunt immediate evidentiā, et proinde ab intellectu percepta; aut ipsa sunt mediate evidentiā, et perveniendum est ad alia priora immediata judicia intellectus; *e.*

Ad min. 2 part. (non propter formam). Ratiocinii forma est applicatio principii convenientiae vel discrepantiae (cfr. logic.); *a.* hoc principium est iudicium immediate evidens intellectus; *e.*

Ad min. 3 part. (non propter conclusionem). Ratiocinii conclusio non est nisi iudicium novum, dependens a judiciis praemissis, et a formali principio ratiocinii; *a.* a) ut iudicium, est actus intellectus; b) ut dependens ab aliis judiciis, non requirit aliam facultatem quam ipsum intellectum; *e.*

Prob. 2^a pars (ut facultas idearum). Non est statuenda nova facultas pro quibus rebus percipiendis intellectus complete sufficit; *a.* intellectus, ut facultas intelligendi, ratiocinandi, abstrahendi, sufficit ad essentias rerum, quatenus a nobis cognoscuntur, percipiendas; *e.*

Ad min. Facultas illa specialis quae supponeretur, aut penetrat ad essentias per sensibilia, aut non; *a.* si per sensibilia, est idem ac intellectus; si sine sensibilibus, non existit in homine; *e.*

Prob. 3^a pars (ut facultas intuendi intelligibilia). 1° Non potest admitti in homine operatio repugnans ejus naturae ut nunc est (nec proinde facultas ad talem operationem); *a.* naturae humanae ut nunc est repugnat intuitus ille immediatus intelligibilium; *e.*

Prob. 2° Non distinguuntur realiter facultates quae idem habent objectum formale; *a.* intellectus et talis facultas haberent idem; *e.*

Ad min. Secundum ontologistas objectum intellectus forent *res intelligibiles*

quales per rationem ab ente primo deductae et specificatae *repraesentantur*; *e.*

Coroll. Ergo intellectus et rationis differentia est in modo attingendi objectum : quod intellectus immediate, intuitive; ratio autem mediate, discursive; sed hae sunt unius facultatis variae operationes accidentaliter diversae.

Objic. Per rationem homo differt et a bruto et ab angelo; *a.* a bruto eo quod ratio est facultas distincta a sensu; *e.* ab angelo eo quod est facultas distincta ab intellectu. — R. a) *d. maj.* a bruto per rationem solum, et ab angelo per rationem simul et animalitatem, *c;* secus, *n;* — *e. min.* — *n. cons.* — R. b) *tr. maj.* — *c. min.* — *d. cons.* ab angelo eo quod ratio humana est distincta ab intellectu angelico propter alium modum operandi et essendi, *c;* eo quod ratio humana est distincta ab intellectu humano, *n.*

Schol. *Intellectus* et *intelligentia* non sunt duae potentiae distinctae, sed intellectus est potentia intelligendi; intelligentia est actus ejusdem potentiae, est ipsum intelligere. — Ergo : a) non nisi incaute loquendo aliquando dicimus intelligentiam, quasi facultatem aliquam dicamus; b) improprie loquendo distinguimus aliquando inter hominem qui habeat intellectum, et angelum qui non habeat intellectum, sed sit intelligentia; significantes videlicet in homine dari intellectum, potentiam saepe sine suo actu, nec pervenientem ad suum actum nisi discursive; in angelo autem intellectum, potentiam semper cum suo actu (S. Thom. 1 p. q. 79. a. 10).

Propositio 18.

Ratio theoretica et ratio practica non sunt duae facultates diversae.

Notiones. 1) Ratio *theoretica* seu *speculativa* ea est quae se continet in apprehensione veri; ratio *practica* quae verum apprehensum ad opus ordinat.

2) Has duas esse realiter distinctas facultates tenet Kant.

Prob. Differentia accidentaliter non diverse specificat objectum formale; *a.* cognitionem veri ad opus dirigendum applicare vel non, est accidentaliter differentia cognitionis, non essentialiter modificans verum cognitum; *e.* (cfr. S. Thom. 1 p. q. 79. a. 11).

Objic. 1° Aliud objectum est contemplabile verum et operabile bonum; *e.* — R. *d. ant.* et bonum in quantum appetitur, *c;* et bonum in quantum intelligitur, *sd.* aliud objectum formale, *n;* materiale, *c.*

Objic. 3° Aliud est potentia apprehensiva, et aliud motiva; *a.* ratio theoretica est potentia apprehensiva, et ratio practica est potentia motiva; *e.* — R. *d. maj.* motiva, i. e. exsequens motum et opus, *c;* i. e. praelucendo dirigens facultatem exsequentem, *n.* — *c. d. min.*

Propositio 19.

Ratio superior et ratio inferior non sunt duae potentiae specie diversae.

Notiones. Ratio *superior* ea vocatur quae divinam et incommutabilem

veritatem contemplatur, v. c. « obedire auctoritati conforme est ordinationi divinae »; ratio *inferior*, ea quae veritatem in inferioribus, contingentibus, considerat, v. c. « obedire auctoritati confert ad bonum societatis » (cfr. S. Thom. 1. p. q. 79. a. 9).

Stat. quaest. 1) Cousin contendit rationem superiorem esse aliquid distinctum et medium quo divinus intellectus se rationi humanae inferiori communicet.

2) Dicimus rationem superiorem et inferiorem esse eandem vim intelligendi quae versatur circa objectum idem, sed quatenus alio vel alio modo consideratur, diversa nomina obtinet.

Prob. Objectum formale rationis est intelligibile; *a.* temporale et aeternum, contingens et necessarium, etc. sunt quidem objective, materialiter diversa; sed ut objecta rationis, formaliter conveniunt in intelligibilitate; *e.*

Objic. In tantum necessarium et contingens essent formaliter unum, in quantum reduci possent in unum; *a.* nullo modo possunt (nam sunt contradictoria); *e.* — *R. d. maj.* in unum objectum formale, *c;* materiale, *n;* — *c. d. min.* — *ad rat. add. : d.* sunt contradictoria in nota qua materialiter differunt, *c;* in nota communi secundum quam formaliter sumuntur, *n.*

QUAESTIO 4.

De actibus secundariis intellectus.

Illos dicimus secundarios actus qui ad primarios reduci ideo possunt, quia nonnisi accidentaliter ab illis differunt, etiamsi primo aspectu satis magna videatur differentia. Sunt autem duo tales actus duobus tractandi articulis.

Articulus 2. De reflexione.

Articulus 2. De memoria.

ARTICULUS 1.

De reflexione.

Atque hic duo iterum occurrunt dicenda, videlicet :

§ 1. De existentia et speciebus reflexionis.

§ 2. De objecto proprio formali reflexionis.

§ 1. DE EXISTENTIA ET SPECIEBUS REFLEXIONIS.

Propositio 20.

Jure distinguuntur reflexio vulgaris seu recogitatio, et reflexio philosophica seu cognitio ipsius cognitionis praecedentis; quae iterum jure distinguuntur in ontologicam et psychologiam.

Stat. quaest. 1) Reflexio generatim dicit reditum aliquem cognoscentis in priorem cognitionem.

2) Sunt qui solam admittentes reflexionem philosophicam, nullo modo vulgarem dicendam esse reflexionem aestimant.

3) Sunt alii qui ontologicam vocant eam quam nos vulgarem, et psychologiam quam nos philosophicam, quam non jam esse in duas dividendam contendunt.

4) Ceterum sit propositio potius dogmatica ad claritatem conceptuum, quam polemica de loquendi modis.

Prob. 1^a pars (vulgaris et philosophica). Ut utraque sit dicenda *reflexio*, et inter se tamen sint *distinctae*, requiritur et sufficit 1) ut in utraque fiat vere reditus aliquis in priorem cognitionem, 2) ut realiter sint distincta objecta formalia hujus novi actus; *a.* ita est; *e.*

Prob. min. 1 part. (reditus). a) Postquam intellectus objectum semel percepit, potest, teste experientia, ad idem objectum iterum se convertere, ut illud melius cognoscat (quod fit imperante voluntate); *a.* iste reditus est reflexio vulgaris; *e.* — b) Potest etiam intellectus ad suum actum ipsum priorem se convertere, ut eum consideret in se; *a.* iste reditus est reflexio philosophica; *e.*

Prob. min. 2 part. (objecta distincta). a) Objectum reflexionis vulgaris est idem objectum quod in priori actu directo fuit cognitum, iterum melius cognoscendum, actu qui a priori directo non differat nisi eo quod sit magis attentus et a voluntate imperatus; — b) objectum reflexionis philosophicae est ipse actus directus qui versabatur circa objectum cognoscendum; *a.* haec certe differunt realiter; *e.*

Prob. 2^a pars (ontologica et psychologica). Redeundo in ipsum actum directum possumus illum cognoscendum nobis proponere, vel quatenus terminative spectatur, vel quatenus formaliter spectatur; *a.* ita habentur pro actu reflexo objecta formalia distincta; *e.*

Ad min. Actus *terminative* spectatus, i. e. considerato magis explicito objecto seu termino hujus actus et implicite tantum actu quo attingebatur objectum; actus *formaliter* spectatus, i. e. considerado magis explicito ipso actu in se, seu prout activitas mentis est; et implicite tantum objecto quod illa activitate attingebatur.

Ad min. Non negamus haec duo esse intime connexa, sed confundi non debent; actumque alium et alium determinant.

Objic. 1^o Objecta reflexionis vulgaris et ontologicae sunt ipsum objectum actus directi; *a.* ita non differunt objecta, nec proinde duae reflexiones; *e.* — *R. d. maj.* ipsum objectum sed diverse nunc consideratum, *c;* eodem modo consideratum, *n.* — *c. d. min.* (in reflexione vulgari iterum consideratur idem objectum, ut melius ac plenius ejus veritas objectiva agnoscat; in reflexione ontologica consideratur idem objectum, ut quid de eo fuerit prius cognitum, agnoscat).

Objic. 2^o Ex data explicatione jam non differunt reflexiones ontologica et psychologica. — *R. n.* (in psychologica, ipse actus directus consideratur, ut

quis et qualis fuerit agnoscatur : simplex idea an iudicium, idea clara an obscura, distincta an confusa, iudicium certum an dubium, mediatum et prudens, an immediatum et imprudens, volitio etiam, et amor an odium, etc).

Propositio 21.

Admittenda est in homine vis spontanea cogitandi, sine omni reflexione.

Notiones. *Cogitandi*, i. e. tum ideas tum iudicia sibi comparandi.

Spontanea, i. e. quae in actum transeat sine ulla praevia cognitione intellectuali vel voluntate quae in eam influat.

Sine omni reflexione, i. e. ita ut ne comitetur quidem ulla reflexio in actum vel conscientia agentis, etiamsi dicatur non influens nec causans actum.

Stat. quaest. Propositionem veram esse de homine *nondum evoluto*, qui primo cogitare incipiat, evidens est, neque nunc probanda assumitur, nam ejus negatio supponeret processum in infinitum; sed eam affirmamus etiam de homine *perfecte evoluto*, i. e. qui jam per plenam reflexionem perfecte sui compos factus, actuali libertate fruitur circa exercitium suarum facultatum.

Prob. Teste conscientia : 1) saepe frustra conamur memoria aliquod factum reminisci; et postea tamen de eadem re jam nihil quaerentibus vel cogitantibus, subito occurrit cognitio olim frustra quaesita; — 2) saepe irritum studio quaerimus quaestionis alicujus solutionem; et postea ad eandem rem iterum mentem applicantibus statim ab initio clara et distincta apparent elementa solutionis; — 3) imo optimum medium ad rem aliquam sive intelligendam sive memoriae alte imprimendam, est ut studium interrumpatur totali aliqua cessatione a studio, v. c. somno, distractione; — *a.* haec facta aliter explicari nequeunt nisi per cogitationem spontaneam plene inconsciam, quae per intermedium hoc tempus studio et ratiocinio ad finem usque perducatur; *e.*

Schol. Ex hac vi intellectus spontanea sine omni reflexione, explicantur iudicia sensus naturae communis, de quibus cfr. logic. v. g. de existentia divinitatis, quod ratiocinium praesupponit ab effectu ad causam; de legibus physicis, quod praesupponit inductiones.

Propositio 22.

Admittenda est in homine vis spontanea reflectendi.

Stat. quaest. Dicimus dari vim reflectendi, i. e. redeundi in priorem actum (saltem naturam priorem) reflexione praesertim philosophica; quae vis sit *spontanea*, i. e. non sub influxu praeviae cognitionis intellectualis vel volitionis.

Prob. Teste experientia : 1) saepe post omnino interruptam omnem cogitationem, v. c. alto somno, possumus iterum voluntate mentem applicare ad aliquam seriem cogitationum; — 2) saepe media in serie cogitationum

etiam inviti distrahimur ad alia cogitanda, oriturque lucta inter intellectum divagantem et voluntatem revocantem; — 3) haec lucta si paulo diuturnior sit, fatigat, quia violenta est; unde fit ut plerumque homines illam diu non sustineant; — *a.* haec facta aliter explicari nequeunt nisi per reflexionem spontaneam; *e.*

Ad min. 1 part. Quando voluntas applicat intellectum ad iterandam eandem cogitationum seriem, jam praesupponitur cognitio reflexa actualis hujus seriei (nam ignoti nulla cupido); *a.* haec ipsa cognitio reflexa non potest jam fuisse imperata a voluntate praecedente (nam in infinitum abiremus); *e.*

Ad min. 2 part. Quando voluntas revocat intellectum a serie aliena cogitationum, praesupponitur cognitio reflexa actualis hujus seriei; *a.* haec ipsa cognitio reflexa non fuit imperata (nam voluntas luctat potius ne existat distractio haec, ac proinde etiam ejus cognitio reflexa); *e.*

Ad min. 3 part. Haec fatigatio tum intellectus, tum voluntatis, causa est determinans voluntatem ad cessandum a lucta; *a.* haec causa voluntatem determinans debuit aliquo saltem modo praecognita esse, v. c. exercite; nec potest ipsa fuisse antea imperata; *e.*

Schol. Hanc reflexam cognitionem spontaneam proprie vocamus *conscientiam*, qua nimirum fiamus conscii nostrarum actionum et passionum, et attentio provocetur ad eas melius considerandas.

Propositio 23.

Admittenda est in homine vis reflectendi sub influxu voluntatis.

Stat. quaest. In homine satis *evoluto*, etiam maxime rudi, non tamen infante vel amente (de quo nihil dicimus).

Prob. Teste experientia cujusque propria, possumus pro lubitu redire in cognitionem vel volitionem praecedentem, et quidem sive reflexione vulgari, sive ontologica, sive psychologica; *e.*

Schol. 1^m Hanc vocamus *conscientiam reflexam*, vel *conscientiam attentam*.

Schol. 2^m Quaeritur quae sint discrimina inter operationes spontaneas et imperatas. — R. 1) Per cognitiones spontaneas, directas praesertim, multo certius, validius, profundius, attingimus objectum; quia sic tota vis intellectiva in unum objectum convergit; in cognitione imperata autem multum virium in lucta illa et fatigatione deperditur. — R. 2) Operationes spontaneae multo minus ordinatae atque instabiliore sunt; unde ad conclusiones usque remotiores non pertingunt; quia istae operationes fere determinantur per successivas varie praevalentes impressiones sensibiles. — R. 3) Attamen si per frequentem actum imperatum fuerit acquisitus habitus eandem aliquam rem scrutandi, poterit etiam novus actus spontaneus ad remotissimas deductiones pergere; quia tunc non nova ac disparata phantasmata occurrent, sed potius connexa et ordinata.

§ 2. DE OBJECTO PROPRIO REFLEXIONIS.

Propositio 24.

Per conscientiam non immediate et directe attingimus essentiam animae.

Stat. quaest. *Cartesiani* sicut dicunt essentiam corporum esse ipsam eorum extensionem, ita et essentiam animae esse ipsam ejus actualem cogitationem reflexam sui ipsius; hanc conscientiam dicunt non esse mere *phaenomenalem*, qua anima seipsam attingat per suos actus et potentias, sed *substantialem*, qua anima seipsam directe et quidditative, ac immediate suam essentiam attingat.

Prob. Si ipsam animam immediate et directe attingeremus, 1) haberemus perpetuam, non interruptam ejus cognitionem, 2) eamque intuitivam et immediate evidentem; *a.* talem non habemus; *e.*

Ad maj. 1 part. (perpetuam). Ex objecto rite applicato et potentia cognoscendi expedita nascitur necessario actualis cognitio; *a.* si essentia animae posset immediate attingi, hae duae conditiones adessent (nam anima est sibi perpetuo applicata per identitatem, et ejus potentia tunc esset expedita et completa); *e.*

Ad 2 part. (intuitivam). Intuitive aliquid cognoscere est illud immediate in seipso attingere cognitione; *e.*

Ad min. 1 part. (non perpetuam). a) Talem experientiam nullus homo in se habet, imo sunt qui ignorent se animam habere, b) et experimur omnes hanc cognitionem intermittere (v. c. somno, et aliis plurimis cogitationibus).

Ad 2 part. (non intuitivam). Hanc si haberemus, omnes homines naturaliter, sine ullo studio vel disciplina scirent quid sit anima, substantia spiritualis, quomodo a corpore differat, quomodo cum eo uniatur; *a.* ita non est; *e.*

Coroll. Ergo anima humana ut seipsam cognoscat eget specie superaddita; nam « intellectus humanus ex seipso habet virtutem ut intelligat, non autem ut intelligatur nisi secundum id quod fit actu », scilicet per species a sensibilibus abstractas.

Objic. 1° Anima est capax intelligendi, et ipsa est intelligibilis ac sibi sufficienter (identice) unita; *e.* — *R. d. ant. 1 part.* capax intelligendi ens sensibiliter manifestatum, *c.*; intelligibile purum, *n.*; — *d. 2 part.* est intelligibilis pure, *c.*; sensibiliter manifestata, *n.*; — *tr. 3 part.*

Objic. 2° Si anima seipsam non essentialiter, ac proinde immediate cognoscit, ipsa per essentiam suam non est persona, nec per essentiam suam ipsa pro se existit. — *R. n.* (personalitas non consistit in conscientia actuali sui).

Objic. 3° Si anima non se intuitive per essentiam cognoscit, non poterit agnoscere operationes suas ut suas. — *R. n.* (requiritur et sufficit reflexio in operationes concrete sumptas et jam includitur subjectum).

Propositio 25.

Per conscientiam non directe et immediate attingimus proprias potentias nec corpus proprium.

Prob. 1^a pars (potentias). Si potentias proprias directe et immediate attingeremus, eas cognosceremus 1) intuitive, 2) continenter et perpetuo; *a.* ita non est; *e.*

Ad maj. 1 part. (intuitive). Eas apprehenderemus in earum nuda realitate et propria entitate, quae esset tota ratio eas cognoscendi; *a.* haec est apprehensio intuitiva; *e.*

Ad 2 part. (perpetuo). Potentiae sunt nobis perpetuo praesentes per nudam suam entitatem; *e.* si haec sufficit ad cognitionem earum faciendam, perpetuo cognoscentur.

Ad min. Teste experientia, nec vulgus de potentiis quidquam agnoscit, nec etiam philosophis res adeo clara est quid sint potentiae et quomodo se gerant.

Prob. 2^a pars (corpus). Si corpus proprium directe et immediate intelligeremus, omnes et singulas ejus partes, intimamque et singularum et omnium naturam, et physicam constitutionem, omnes homines naturaliter sine ullo studio cognita haberent; *a.* ita non est; *e.*

Ad min. Horum omnium non aliud intellectu scimus nisi quod mediantibus sensuum observationibus et experimentis, circa nostra et aliena corpora, docemur ex physiologia, anatomia, etc.

Propositio 26.

Per conscientiam, non mediantibus speciebus univocis sed solum speciebus analogis, attingimus propriam animam, et potentiam.

Prob. Ut propriam vel univocam speciem animae vel potentiarum nostrarum haberemus, deberemus aut aliquando eas in seipsis attingisse intuitive, aut saltem alias res iis adeo similes, ex quibus potuissent abstrahi species earum univocae; *a.* ita non est; *e.*

Ad min. 1) non eas in seipsis : patet e supra dictis.

2) *non eas in aliis similibus* : istae aliae a) non subjacent reflexioni in nos ipsos; b) non sunt objecta proportionata intellectui directo.

Propositio 27.

Per conscientiam attingimus actus proprios et potentias primo spontanee exercite; deinde voluntarie signate.

Prob. 1^a pars (attingimus). Omnes nostri actus et potentiae prout sunt immanentes : 1) reducuntur ad cognitionem sensibilem, appetitum sensibilem, cognitionem intellectualem, volitionem, locomotionem; 2) subesse debent

directioni intellectus quae facultas specifica humana est; *a.* ad hoc requiritur ut cognoscantur; *e.*

Ad maj. De potentiis et actibus vegetativis hic sermo esse non debet; nam potentiae vegetativae agunt per modum naturae, i. e. non determinando se ad actus spontaneos producendos; sed executive tantum ex determinatione essentialiter insita; *a.* tales actiones et potentiae non debent dirigi ab intellectu, neque ullus alius datur finis propter quem debeant ab intellectu cognosci; *e.*

Ad 2^m part. (*primo exercite, deinde signate*). Haec pars jam probata manet e praecedentibus propositionibus 22 et 23.

Propositio 28.

Per conscientiam actus nostros non intuitive, sed solum ex parte objecti attingimus; et potentias in actibus.

Prob. 1^a pars (*actus non intuitive*). Si actus proprios, intellectuales praesertim, cognosceremus intuitive: *a.* eorum naturam omnes homines probe cognitam haberent; *b.* eorum praesentiam statim, facile, sine ullo conatu in nobis animadverteremus; *c.* animae substantiam (cujus actus sunt accidentia inhaerentia) intuitive cognosceremus; *a.* ita non est; *e.*

Ad min. *a.* Eorum naturam plurimi ignorant, sapientiores non intuitu, sed ratiocinio, disciplina addiscunt. — *b.* Eorum praesentiam saepius non advertimus, vel dubie agnoscimus, v. e. scrupulosi. — *c.* Cfr. supra.

Prob. 2^a pars (*sed in objectis*). Omnis reflexio aut est vulgaris, aut ontologica, aut psychologica; *a.* in omnibus his percipitur maxime proprie objectum actus directi, et in eo ipse actus; *e.*

Ad min. 1 part. De vulgari res patet.

Ad 2 part. (*de ontologica*). Percipitur proprius actus prout est repraesentativus; *a.* actus prout est repraesentativus nequit percipi nisi in objecti repraesentati specie, cui addatur nota relationis ad nostrum actum quem terminavit; *e.*

Ad 3 part. (*de psychologica*). Percipitur actus proprius formaliter spectatus, et quidem actus singularis directus, prout determinate existit; *a.* actus determinate existens nequit esse nec concipi nisi cum essentiali determinata relatione ad determinatum objectum; *e.*

Prob. 3^a pars (*potentias in actibus*). 1^o Potentia seu facultas est possibilitas subjectiva operationis vel passionis; *a.* possibilitas non cognoscitur nisi per suum actum; *e.*

Ad min. 1) Possibilitas nec esse nec concipi potest nisi cum essentiali relatione ad actum correspondentem (nam dicit privationem actus).

2) Unumquodque cognoscitur solum in quantum est ens, ac proinde verum; *a.* possibilitas, ut sic, est ens rationis, nec fit intelligibile et verum nisi per oppositum actum; *e.*

Prob. 2^o Teste experientia nullam facultatem cognoscimus, ejus actum et objectum actus non cognovimus.

Propositio 29.

Per conscientiam attingimus propriam substantiam animae et corporis in actibus et potentiis nostris.

Prob. Actus nostros et potentias per reflexionem attingimus concretos, quales determinate existunt; *a.* concrete determinate existunt ut accidentia subjecto inhaerentia; *e.* ipso facto quod attinguntur actus et potentiae, in eis attingitur simul substantia animae et corporis.

Coroll. 1^m Ex praecedentibus propositionibus patet cur proprios nostros actus et potentias, et a fortiori, essentiam intimam, minus clare quam objecta externa sensibilia cognoscamus; — nam: 1) haec objecta reflexionis non possunt in se repraesentari per phantasiam; — 2) phantasia ne juvare quidem potest per phantasma proprium, sed solum per phantasma aliquo modo simile; — 3) objectum non est per se sensibile, sed solam relationem ad id habet; — 4) duplex actus exerceri debet; unde reflexio non tam clarum objectum habet quam actus directus; — 5) species expressa reflexionis est quidem propria objecti externi, sed non item ipsius actus directi.

Coroll. 2^m Eadem omnia dicenda sunt de omni actu et de omni potentia et essentia etiam aliena percipienda (imo aliquomodo a fortiori); nam potentiae et actus sunt formae accidentales; essentiae autem sunt materiae et formae substantiales. Unde apparet quam inepte recentiores existentiam formarum eo negent, quod formae conceptum clarum non habeamus, vel eo quod ex conceptu formarum non possimus analytice deducere leges physicas et chemicas, vel nova phaenomena praenuntiare!

Propositio 30.

Vis reflectendi ab intellectu non differt.

Stat. quaest. Ex praecedenti analysi objecti et actus reflexionis, nunc concludimus ad naturam ipsius reflectendi facultatis. Dogmaticè potius quam polemice.

Prob. Non est admittenda distinctio..., si intellectus per se sufficit ad exercendos omnes actus reflexionis; *a.* per se sufficit; *e.*

Prob. min. 1) Intellectus sufficiens est ad percipiendum, si *a.* objectum est ei proportionatum, et *b.* sufficienter conjunctum; — *a.* *a.* objectum reflexionis sunt proprii actus intellectus et voluntatis, et potentiae, et essentia; quae omnia repraesentantur a parte objecti materialis actuum; — *b.* hi actus sunt vel in ipso intellectu, vel in voluntate quae in eodem subjecto radicata, cum intellectu veluti compenetrata, ei intime conjuncta est; *e.*

2) Si intellectus non sufficeret, hoc esset aut *a.* quia objectum non propor-

tionatum, aut b) quia perfecta reversio in seipsam repugnet potentiae intellectivae, aut c) quia eadem potentia non possit simul plures actus exercere, aut d) quia intellectus sit universalium, unde actum suum singularem non possit percipere; *a.* contra est; *e.*

ad min. (*objectum proportionatum*). Cfr. supra.

ad 2 part. (*perfecta reversio*). De facto adest facultas perfecte revertendi in nos nostrosque actus; *a.* haec non est sensus; *e.* est aliqua facultas intellectiva; *e.* simpliciter non repugnat perfecta reversio in tali potentia.

ad 3 part. (*simul plures actus*). Ante comparisonem ad iudicium faciendum, erant plures formae nondum unitae; — haberi possunt plures habitus, plures species impressae; *e.* a pari; — imo etiamsi repugnaret haberi plures formas distinctas, nihil tamen hic sequitur, nam objectum unicum semel directe et semel reflexe cognitum, jungit utrumque actum.

ad 4 part. (*non universalium solum*). Teste experientia, facimus intellectu iudicia etiam de singularibus (cfr. sup.).

Objic. Sicut materia nequit habere plures formas ejusdem generis, v. e. colores, simul, quia illae se mutuo excludunt; ita nec anima...; *e.* — *R. d. ant.* ita nec anima potest habere simul plures formas absolutas ejusdem generis, *c;* plures formas intentionales (i. e. relativas, repraesentativas plurium), *n.* et *n. parit.*

ARTICULUS 2.

De memoria.

Propositio 31.

Admittenda est memoria intellectiva diversa a memoria sensitiva.

Notiones. 1) *Memoria intellectiva* est facultas recognoscendi proprias cognitiones intellectuales praeteritas, ut praeteritas et ut suas. Triplex igitur ejus est munus: *a.* conservare species intellectuales, *b.* per eas species iterum objecta olim cognita cognoscere, *c.* et ea quidem ut olim cognita.

2) Haec facultas ergo directe et per se exercetur circa actus proprios et praeteritos, et indirecte ac per accidens circa objecta istorum actuum; nam utpote recognoscens versatur immediate circa id quod praeteritum est, ut praeteritum est; *a.* actus proprius est praeteritus, non vero semper objectum; *e.*

Stat. quaest. Existere hanc memoriam, evidens est experientia propriae ejusque conscientiae; sed dicimus insuper eam esse distinctam a memoria sensitiva; quod negant scholastici non adeo pauci.

Prob. Teste conscientia evidenti, homo reproducit cognitiones suas intellectuales (ideas, iudicia) easque agnoscit ut suas et praeteritas; *a.* ad hanc recordationem non sufficit memoria sensitiva; *e.*

Objic. Praeteritum ut praeteritum significat determinatam differentiam

temporis, ac proinde individuum et singulare; *a.* singulare est objectum sensuum; *e.* — *R. c. maj.* — *d. min.* sensuum solorum, *n;* sensuum etiam, *sd.* singulare sensibile, *c;* singulare intellectuale, *n.*

Propositio 32.

Memoria intellectiva non est facultas distincta ab intellectu.

Prob. Una est facultas ubi unum est objectum formale et modus operandi; *a.* idem est objectum formale memoriae et intellectus et eodem modo attingitur; *e.*

Prob. min. 1 part. (*idem objectum*). Objectum formale intellectus est intelligibile quodcumque in sensibili repraesentatum; *a.* objectum formale memoriae etiam tale est; *e.*

ad min. Objectum memoriae est: *a)* res olim ab intellectu vel a sensu percepta, *b)* ipsa subjectiva perceptio hujus rei, *c)* relatio temporis etiam intellectualiter percepta; *a.* haec sunt objecta intellectui proportionata; *e.*

Prob. min. 2 part. (*eodem modo*). Memoria attingit objectum suum formale, *a)* per species intelligibiles, *b)* quae species sunt conservatae ex actu praecedenti, *c)* reflexe propriam subjecti actionem et operationem repraesentando; *a.* eodem modo operari potest intellectus; *e.*

Coroll. Ergo memoria est munus particulare aliquod intellectus.

Propositio 33.

Actu memoriae non conficitur nova species impressa objecti, sed revocatur in actum quae conservata fuit.

Prob. Species nova requireretur, aut *a)* quia species intelligibiles penderent ab objecti praesentia, ac proinde eo absente perirent; aut *b)* quia propria sua natura et natura subjecti sui corrumperebantur; aut *c)* quia species servatae inutiles essent ad novum actum; *a.* nihil horum; *e.*

Ad min. 1 part. Dependens ab objecti praesentia requiritur tantum in sensu; imo ne in omnibus quidem sensitivis facultatibus; *e.* a fortiori non in intellectu, facultate superiore.

Ad 2 part. Natura sua, et natura sui subjecti, species intelligibiles sunt simplices (in repraesentando, et in essendo); *e.* de se incorruptibiles.

Ad 3 part. Species intellectuales sunt de se incorruptibiles; *a.* natura (Deus) nihil facit frustra; *e.* illae species conservatae sunt ad aliquid utiles, nempe ad novum actum.

Coroll. 1^m Ergo dispositio ad reproducendas ideas est in nobis conservata ad modum habitus, non ad modum potentiae tantum, nec ad modum actus. Nam: *a)* potentia tantum, dicit posse tantum, sed relinquere potest difficultatem; *a.* ad reproductionem idearum per memoriam non est difficultas (nisi aliquando per accidens, i. e. per difficultatem phantasiae concomitantis); sed

sufficit minima determinatio, v. c. signum externum quodcumque, vocabulum, phantasmatum associatio spontanea, vel libere connexa, teste experientia; b) *actus* recognoscendi quod semel fuit cognitum, teste experientia, non semper continuo habetur sed intermittitur.

Coroll. 2^m Quatuor sunt memoriae dotes: dicitur a) *tenax*, si diu retinet ideas, — b) *fidelis*, si ordine quo illas receperat eas reddit, — c) *felix*, si sine conatu eas reproducit, — d) *facilis*, si ad eas retinendas non exigit conatum. — *Magna* dicitur si pluribus ex his dotibus simul ornatur.

Coroll. 3^m Memoriae praecipua adjuncta sunt: a) *attentio*, i. e. vividior mentis ad objectum applicatio, — b) *associatio* idearum, i. e. vinculum ita ideas connectens ut unius revocatio alterius revocationem excitet, et haec est aut naturalis, si existit relatio inter ideas, v. c. causae et effectus, aut artificialis, si signo arbitrariè connectitur alia idea.

Propositio 34.

Intellectus est facultas inorganica.

Notiones. 1) Intellectus, i. e. facultas cognitiva veri intelligibilis, sive immediate sine discursu, et intuitive, sive mediante discursu et ratiocinio, et per species alienas.

2) Verum intelligibile sunt res spirituales, et res materiales modo immateriali cognoscendae.

Stat. quaest. Post factam analysim omnium operationum intellectus, de ipsius facultatis natura concludimus. Haec propositio jam probata est ex praecedentibus omnibus, quare hic ponitur potius ut generale corollarium.

Prob. Intellectus 1) cognoscit res quae nullam faciunt impressionem in organum corporeum; — 2) potest complete reflectere in actum suum; — 3) exhibet objecta modo immateriali; — 4) intelligendo res immateriales assimilatur rebus immaterialibus; — a. hoc non potest facultas organica; e.

Ad min. 1 part. Cfr. prop. 1.

Ad 2 part. (reflectere). Facultas organica nihil potest attingere ad quod organum prorsus incapax est; a. nullum organum potest se perfecte in seipsum et in proprios actus reflectere (imperfecte reflectere, i. e. parte una super partem aliam, non quidem repugnat, nec tamen fieri videmus); e.

Ad 3 part. (modo immateriali). Species expressa, quia producitur a potentia, necessario respondet suo principio; e. materialis est, si potentia materialis seu organica est.

Ad 4 part. (assimilari immaterialibus). Assimilatio ad rem immaterialem debet esse immaterialis saltem in repraesentando; a. quod est immateriale in repraesentando debet esse immateriale in essendo; — nam ut possit esse aliquis repraesentatio, etiam intentionalis, requiritur saltem aliqua proportio in essendo (etsi non similitudo); a. inter materiale et immateriale nulla esset proportio, sed totus modus essendi, agendi, repraesentandi, est oppositus potius; e.

Objic. 1^o Materialis est potentia quae requirit imaginem materialem; a. intellectus requirit phantasma; e. — R. *d. maj.* quae requirit directe (ita ut informet ista imago potentiam), c; indirecte (ut sit in potentia vicina), n. — *e. d. min.*

Objic. 2^o Intellectus est facultas hominis; a. homo est compositum, non anima tantum; e. — R. *d. maj.* hominis ut personae, c; ut naturae, *sd.* quoad partem spiritualem, c; quoad corpus, n.

Objic. 3^o Homo est eodem modo intelligens ac brutum est sentiens; a. brutum est sentiens ut compositum ex duabus partibus; e. — R. *d. maj.* si respicitur principium quod, c; si principium quo, n.

Objic. 4^o Illud est organum alicujus facultatis, quo praesente et sano, adest sana facultas, quo laeso, impedito, vel absente, laeditur, impeditur, vel abest facultas; a. de cerebro haec relate ad intellectum valent; e. — R. *d. maj.* Haec est regula qua, quoties jam aliunde (ex objecto) constat facultatem esse organicam, quaeritur quodnam ejus sit organum, c; quoties aliunde constat facultatem esse inorganicam, *sd.* quaeri potest organum alicujus potentiae vicinae, a qua extrinsece dependeat haec facultas, c; secus, n. — *e. d. min.*

Objic. 5^o Teste experientia tanto major est intellectus quanto majus cerebri volumen, pondus, circumvolutionum numerus; e. — R. *tr. ant. — d. cons.* a cerebro dependet indirecte intellectus, c; directe ut a suo organo, n.

Coroll. Ergo (contra Locke) absolute repugnat ut materia cogitare possit, seu ut intellectus sit potentia materiae.

QUAESTIO 5.

De origine idearum.

Post analysim praecedentem nostri intellectus, ejusque naturae independentis a materia, difficultas oritur nova: quomodo in tali intellectu eae cognitiones sensibiliter repraesentatae originem primam habeant; quandoquidem a materia vel a materialibus facultatibus affici et immutari non possit facultas ab eis independens. Ad quam quaestionem solvendam varia philosophos torquent systemata.

Articulus 1. De systematibus rejiciendis.

Articulus 2. De admittendo systemate peripatetico.

ARTICULUS 1.

De systematibus rejiciendis.

Ad tres classes systematum possunt omnes illae varietates, sunt autem plurimae, satis apte revocari. Alii enim unum extremum tenentes, totam idearum originem ad ipsam hominis *essentiam* revocant, totum idearum fun-

damentum homini *intrinsicum* esse reputant. Alii vero alterum extremum affirmant : totam originem ac fundamentum esse *extrinsecum* homini ejusque potentiae intellectuali, et consistere sive *in ipso Deo* se manifestante, sive *in genere humano* veritates testante et tradente.

§ 1. De systemate idearum innatarum.

§ 2. De systemate ontologismi.

§ 3. De systemate traditionalismi.

§ 1. DE SYSTEMATE IDEARUM INNATARUM.

Propositio 35.

Originem idearum male explicat Plato.

Stat. quaest. 1) Systematis idearum innatarum generale hoc dogma est : ideas primo initio vitae nostrae jam in anima nostra actu existere, licet sopitas, et successive pro data occasione excitandas. Quod dogma iterum varii varie explicant.

2) Explicat Plato : a) Animae humanae, ante suam unionem cum corpore, felicissimam quondam vitam egerunt, in qua immediatam ac jugem habebant intuitionem idearum archetyparum, i. e. essentialium separatarum seu formarum universalium per se subsistentium (cfr. logic.).

b) Propter culpam aliquam tunc admissam, animae in corpora tanquam in carceres detrusae sunt, poenam daturae.

c) Ex immediata tamen illa intuitione idearum, permanserunt in anima firmatae quaedam species harum idearum repraesentativae in hac vita innatae.

d) Sed propter unionem cum corpore impeditur anima quominus illico ac directe illas ideas cognoscat, ac debet paulatim excitari per cognitionem sensibilem rerum corporearum, quae deficientem aliquam atque individuatum similitudinem cum iis universalibus intelligibilibus praebeant.

e) Hinc fit ut (teste experientia) omnis nostra scientia non sit nova acquisitio, sed potius quaedam recordatio.

Prob. Explicatio Platonis : 1) falsis nititur fundamentis, 2) facta explicanda non explicat, 3) factis experientiae repugnat; e.

Prob. antec. 1 part. (falsis fundamentis). a) Supponit conjunctionem animae et corporis non esse naturalem et in bonum animae, sed poenalem et in detrimentum; a. hoc falso supponitur; e.

ad min. Repugnat notioni sanctionis, et justitiae judicis, in poenam alicujus culpae per se destinari aliquem statum in quo omnis hujus culpae memoria sit abolita; et repugnat testimonio immediato sensus intimi unionem animae cum corpore esse non naturalem et substantialem, sed violentam et extrinsecam.

b) Supponit objectum immediatum et proprium nostri intellectus esse ideas (sive separatas et in se subsistentes, sive divinas, ut alii aliter interpretantur); a. hoc falsum est; e.

Prob. antec. 2 part. (non explicat...). a) Non ab initio vitae cognoscimus sed paulatim; a. si anima est speciebus jam informata, et principium integrum cognitionis, et cum corpore solum unita extrinsece sicut motor cum mobili, nulla datur ratio cur non ab initio actu cognoscat, et cur a corpore impedi possit.

b) Nullo modo recordari possumus prioris status felicitatis et cognitionis; a. hoc intelligi nequit ex data explicatione (nam anima intrinsece eadem manens, extrinsece tantum corpori unitur!); e.

Prob. antec. 3 part. (factis repugnat). a) Teste experientia, non universale solum, sed etiam singularia cognoscimus, et materialia, et quidem intellectualiter; a. hoc negandum foret ex data explicatione; e.

b) Item scientiam de abstractis et metaphysicis claram et sufficienter completam ac ordinatam vix unquam habemus; a. hanc praesertim habere deberemus secundum talem explicationem; e.

Propositio 36.

Originem idearum male explicat Cartesius.

Stat. quaest. 1) Idem systema idearum innatarum explicat Cartesius : a) Tres sunt classes idearum : *innatae*, *adventitiae*, *factitiae*.— b) *Innatae* sunt ideae primigeniae aliquae (et explicant Cartesiani : ideae metaphysicae, i. e. quarum extensio ultra res corporeas extenditur, v. c. Dei, perfectionum absolutarum, propriae substantiae animae, etc.).— c) *Adventitiae* sunt ideae primigeniae quae ex experientia hauriri debent (et explicant Cartesiani : ideae physicae, i. e. quarum extensio ultra res corporeas non extenditur), et hae sunt de se singulares, ac, si a singularitate abstrahuntur, sunt collectivae seu generales; sed universales fiunt solum per applicationem idearum innatarum.— d) *Factitiae* sunt ideae derivatae ex primigeniis.

2) Quid illae ideae innatae essent, ab adversariis pressus objicientibus, explicavit Cartesius : se ideas vocare innatas eo sensu quo dicimus generositatem vel podagram quibusdam familiis esse innatam; *ideas* proinde non esse aliud distinctum ab ipsa facultate cogitandi; *innatas* dici quia neque a voluntate propria, neque ab objectis externis procedant, sed a sola facultate cogitandi; idque ut ab aliis adventitiis et factitiis distinguantur, quarum sint formae.

Prob. 1° Idea innatae Cartesianae aut sunt intelligendae sola facilitas qua aliquas ideas acquirimus, aut internus animi habitus et dispositio, ut ex eo enascantur ideae sua sponte; a. si prius : ideae sunt adventitiae, non vero innatae; si posterius : ideae statim ab ipso ortu in mente vigerent (quod falsum est, teste experientia); e.

Prob. 2° Cognitio nostra rerum sensibilium non est solum sensibilis, sed vere intellectiva : ac proinde aut fieret immediate a Deo occasione sensationis, aut ipsa virtute mentis cum dependentia et influxu cognitionis sensitivae;

a. si prius : habetur occasionalismus; si posterius, eadem virtute possunt et reliquae ideae produci; e.

Objic. 1° Humanae menti aliqua actualis cogitatio essentialis est; e. nec ab initio potest esse sine ulla cogitatione. — R. n. ant. (gratis asseritur).

Objic. 2° Anima humana creata est ad imaginem Dei; a. in potentia aliqua sine actu nulla est imago Dei (actus puri); e. — R. d. maj. ad imaginem perfectam, n; imperfectam, c; — d. min. in potentia objectiva sine ullo actu (quae esset nihil), tr; in potentia subjectiva cum actu existendi, et cum actu primo operandi, sed sine actu secundo operandi, sd. non est imago perfecta, c; imperfecta, n.

Objic. 3° Homini essenziale est desiderium beatitudinis; a. ignoti nulla cupido; e. aequae essentialis praesupponitur cognitio. — R. d. maj. facultas prona ad desiderandam beatitudinem quum primum eam noverit, c; facultas actu elicitio desiderans jam a primo initio, n; — c. min. — d. cons. facultas prona ad inquirendam et agnoscendam beatitudinem, c; facultas actu secundo cognoscens ab initio, n.

Objic. 4° Prima principia moralitatis ab omnibus hominibus semper et ubique admittuntur; a. quae cognitiones ab omnibus semper et ubique habentur, debent esse in ipsa natura eorum innatae; e. — R. c. maj. — d. min. debent esse innatae ut actus secundi cognitionis, n; debent facultates esse capaces, facili et obvio ratiocinio eas veritates ex facilibus et omnibus obviis cognitionibus experimentalibus deducendi, c.

Propositio 37.

Originem idearum male explicat Leibnitz.

Stat. quaest. Idem systema idearum innatarum explicat Leibnitz : a) Tria possunt excogitari systemata de origine idearum : occasionalismus, theoria scholastica, systema monadum.

b) Sed repugnat occasionalismus, quia non debet assumi causa altior, quando causa inferior idem praestare potest; imo absurdum est recurrere ad Deum in tali casu.

c) Repugnat theoria scholastica, nam : α' anima est monas (i. e. ens unum existens clausum pro se); a. monas non habet fenestras (i. e. non potest communicare cum rebus externis, agendo vel patiendo); — β' si moveremur a rebus externis, accidentia possent separari et per aera ambulare.

d) Ergo admittenda theoria monadum. Scilicet habemus non solum rerum praeteritarum reminiscenciam, sed etiam omnium praesentium ideam, et omnium futurarum praenotionem, ac proinde omnium etiam possibilium ideas virtualiter inditas. Sic unaquaeque monas est quasi speculum universi, sed modo confuso. Omnia autem quae in hoc speculo continentur, gradatim se evolvunt ad formalem intuitionem per propriam vim activam animae, fatali necessitate agentis.

e) Corpus et anima sunt duae monades plane independentes ab invicem, neque in se invicem agere vel influere possunt; ergo quae ab eis aguntur sunt phaenomena mere correspondentia, harmonia quadam ita concordata ut quae intus fiunt in anima, eadem serie repraesententur in corpore, fatali necessitate se evolvente.

f) Haec harmonia ut vigeret, debuit Deus antequam corpus et animam, dissimiles naturas, uniret, omnem seriem praenoscere mutationum operationumque tum in anima tum in corpore futurarum, secundum quam eligeret unienda, quorum series perfecte congruerent. Et haec vocatur *harmonia praestabilita*.

Prob. Systema Leibnizianum 1) falsis nititur fundamentis, 2) absurdas habet consequentias; e.

Prob. ant. 1 part. (fundamentis falsis). Supponit : a) nullam monadem posse impressionem in aliam facere; — b) singulas monades aliquomodo vere actu infinitas esse; — c) nullam dari veram substantialem unitatem hominis, nec unionem corporis et animae; — d) nullam esse utilitatem vel imo nullam rationem unionis, ejus quam etiam admittit, animae et corporis; — a. haec omnia sunt gratis affirmata vel etiam contra experientiam propriam; e.

Prob. ant. 2 part. (consequentiae absurdae). Destruit : a) omnem libertatem humanam, ac proinde omnem ordinem moralem; — b) omnem certitudinem de objectivo valore cognitionum nostrarum; — c) intrinsecam etiam possibilitatem ut ego, qui nunc hic existo, existerem in alia regione, vel alio tempore, vel etiam mutato aliquo adjuncto; a. haec repugnant; e.

ad maj. Fatali necessitate dicuntur corpus et anima suas operationes evolvere, et quidem independentem a se invicem; e. si corpus meum existeret alibi vel aliter quam nunc existit, anima tamen mea illa sibi repraesentaret adjuncta quae sibi nunc repraesentat, et jam nulla maneret harmonia praestabilita, neque ego essem ego. Quodsi etiam animae mutarentur operationes ac repraesentationes, jam nihil mei maneret, et a fortiori ego non essem ego.

Propositio 38.

Originem idearum male explicat Rosmini.

Stat. quaest. Idem explicat Rosmini : a) Idea entis sola est innata; at haec non est proprie dicta idea, sed potius elementum quoddam formale et a priori.

b) Elementum hoc indeterminatum invenitur in qualibet idea, cujus determinationes nihil aliud sunt quam ipsa idea entis certis quibusdam modis imitata.

c) Elementum hoc a priori est *universale, necessarium, infinitum, aeternum*.

d) Quum sensatio objectum aliquod offert, conscientia conjungit ideam entis indeterminati cum objecto quod est in sensatione, et sic facit iudicium, v. c. *arbor existit*. Haec cognitio adhuc colligata est cum objecto singulari;

sed si fiat praecisio a cognitione ejus subsistentiae, divellitur haec singularitas, et jam objectum determinatum non est amplius sensatio, sed est typus quidam possibilis, qui potest in innumeris rebus existere, i. e. idea universalis et proinde intellectualis.

Prob. Haec explicatio : 1) nititur falso fundamento, 2) non explicat facta explicanda, 3) factis certis repugnat, 4) ducit ad pantheismum; *e.*

Prob. ant. 1 part. (falso fundamento). Fundatur totum systema eo quod ideam entis indeterminati, utpote necessarii, infiniti, universalis, aeterni, non possumus habere abstractione; — *a.* 1) falsum est ens indeterminatum esse ens infinitum, positive necessarium, et positive aeternum, et idem universale univocum (cfr. ontolog.); — 2) falsum est, notionem entis sive universalissimi, indeterminatissimi, sive necessarii, infiniti, aeterni, nos non per abstractionem habere posse (cfr. logic. et ontolog.); *e.*

Prob. ant. 2 part. (non explicat). Ad originem habendam idearum inferiorum, idea entis determinaretur aut ipsa evolutione sui ipsius, aut sensatione; *a.* neutrum; *e.*

ad min. 1) (non sui evolutione). Ex idea simplicissima, minimae comprehensionis, aliae majoris comprehensionis evolvi non possunt; *e.*

ad min. 2) (non sensatione). *a.* Idea entis est in intellectu immateriali, sensatio in organo corporeo; *a.* in immateriale nequit corporeum agere efficienter (saltem ut causa principalis et sine abstractione); *e.*

b. Mens praeter ideam entis quam in se contempletur, aut deprehendit in rebus sensatione exhibitis, ipsam illam entitatem et limitationem quae in eis est, aut non; *a.* si prius : idea innata est inutilis; si posterius : jam aut idea entis non determinatur, aut ejus determinationem intellectus affirmat solum ex subjectiva necessitate et instinctu caeco, et nihil explicatur; *e.*

c. Ut intellectus ex sensatione acciperet entis modum et limitationem, deberet inter ens indeterminatum in intellectu, et ens determinatum in phantasmate exhibitum, comparisonem instituere; ac proinde utrumque ante comparisonem cognoscere; *a.* si ante comparisonem jam cognoscit ens determinatum, jam inutilis manet idea entis indeterminati, et comparatio; *e.*

Prob. ant. 3 part. (factis repugnat). Rosmini unam ideam entis dicit esse innatam, alias omnes ideas nobis oggeri sensatione; *a.* ita plurimas nostras ideas, v. c. Dei, relationis, rationis sufficientis, ordinis, finalitatis, etc. aut negabit haberi, aut dicet per sensus percipi singulares; *e.*

ad min. Ad summum forsitan explicaret conceptus praecisive immateriales, non negative immateriales, i. e. eos qui negant omnem materialitatem, v. c. Dei, spiritus.

Prob. ant. 4 part. (ad pantheismum). In hoc systemate : *a.* ens universale non operatione mentis sed natura sua est abstractum ac divisum ab omnibus entibus subsistentibus; — *b.* idem ens in rebus finitis est actuatum modo finito, et circumscripto, in Deo est actuatum plenissime; — *a.* haec omnia simul stare nequeunt nisi dicas ens esse impersonale indifferens phantheistarum; Deum et creaturam esse duo ejus extrema opposita; *e.*

Objic. Idea universalis acquiri nequit nisi abstractione vel judicio; *a.* utrumque jam praesupponit ideam universalem; *e.* nequeunt omnes acquiri sed debet saltem aliqua esse innata.

Prob. min. 1) Abstractio est actus quo ex idea aliqua singulari notae communes a notis propriis separentur; *a.* notae communes sunt ipsa idea universalis; *e.*

Prob. min. 2) In judicio idea praedicati cum idea subjecti comparatur et componitur vel dividitur; *a.* idea praedicati est universalis; *e.*

R. d. maj. abstractione directa, vel abstractione reflexa, vel judicio, *c;* secus, *n.* — **c. d. min.** abstractio reflexa, vel judicium jam praesupponit, *c;* abstractio directa, *n.* — **ad prob. min. 1) d. maj.** abstractio reflexa, *c;* directa, *sd.* separantur, i. e. alterae concipiuntur, alterae non concipiuntur in objecto, *c;* i. e. utraeque concipiuntur in objecto et deinde reflexione in hunc priorem conceptum separantur, alterae ut affirmantur, alterae ut negentur, *n.* — **ad prob. min. 2) tr.**

Propositio 39.

Rejiciendae sunt generatim omnes ideae innatae.

Stat. quaest. 1) Supponimus hic unitatem naturae in homine compositae ex anima spiritali et corpore; quam licet nondum probavimus, adversarii tamen ipsi quibuscum nunc res agitur ultro concedunt, neque refert quomodo intimam notionem naturae, ac naturalis unionis, explicare velint.

2) Ideas innatas excludimus generatim ex ipsa notione idearum innatarum et animae humanae in qua dicantur innatae; abstrahendo jam a variis explanationibus, unde et cur, quomodo et quot ideae innatae dicantur.

Prob. Rejiciendae sunt ideae quae conciliari nequeunt 1) cum unitate naturae hominis, — 2) cum fine conjunctionis naturalis animae et corporis, — 3) cum horrore separationis eorum, — 4) cum ipsa natura specierum innatarum; — *a.* cum his conciliari non possunt ideae innatae; *e.*

Prob. min. 1 part. (cum unitate naturae). Homo constituit naturam unam; ac proinde habet unitatem operationis; ac proinde aut pars rationalis (intellectus et voluntas) et pars sensitiva erunt sine subordinatione coordinatae, aut pars rationalis subordinata ad sensitivam, aut sensitiva subordinata ad rationalem; — *a.* nec 1^m, nec 2^m; — *e.* 3^m, scilicet pars sensitiva erit subordinata intellectivae, et quidem in ordine ad cognitionem (nam aliter subordinari non potest, et juvare), ut ex illa hauriat sibi haec cognitiones suas; *e.*

ad min. 1) (non 1^m). Secus periret vera unitas naturae, et essent duae operationes intrinsece separatae et extrinsece tantum unitae in unitatem effectus ordinati.

2) (non 2^m). Potentiae intellectivae sunt perfectione superiores, et sensitivas dirigunt iisque imperant; *e.* sensitivae debent in illarum commodum et usum dirigi.

Prob. min. 2 part. (cum fine conjunctionis). Anima humana secundum se et suam substantiam non indigens corpore (si cum corpore non conjungeretur ut ministerio sensuum acquireret cognitiones, sed has aut innatas haberet aut ab aliqua intelligentia acciperet), conjungeretur corpori aut propter corpus, aut propter pulchritudinem universi, aut sine ulla ratione; *a.* nihil horum; *e.*

ad min. 1) (non propter corpus). Forma non est propter materiam, nec perfectius propter imperfectius, neque independens propter dependens.

2) *(non propter pulchritudinem).* Maxime quidem confert haec unio ad pulchritudinem universi; sed omnis natura constituitur propter finem suum internum, propriam perfectionem in operationem; *a.* finis naturae humanae (unionis animae et corporis) internus non est pulchritudo universi sed potius propria operatio humana; *e.*

3) *(non sine ratione).* Nihil est sine ratione sufficiente; et si agitur de opere tam perfecto quam natura humana est, nequit esse sine causa efficiente sapientissima, ac proinde sine digno et excelso fine.

Prob. min. 3 part. (cum horrore mortis). Si pars intellectiva naturaliter nullam haberet utilitatem ex conjunctione cum corpore, sed detrimentum potius et labores, naturaliter appeteret separationem; *a.* contrarium obtinet; *e.*

Prob. min. 4 part. (cum natura specierum innatarum). Si perfectio animae esset tanta ut naturaliter ei deberentur species independentes a corpore: 1) etiam independentem a corpore posset operari, neque exspectaret donec sensus adolesceret; — 2) spiritualia cognosceret cognitione propria, non ad modum sensibilem; — 3) qui a prima aetate sensu aliquo carent, non magis carerent scientia eorum quae illo sensu percipiuntur, quam alii qui post usum amiserunt hunc sensum; — *a.* haec ita non sunt; *e.*

Propositio 40.

Originem idearum male explicant generatim transcendentales idealistae.

Stat. quaest. Idealistae Kant, Fichte, Schelling, Hegel, hoc commune inter se habent in explicanda idearum origine, quod dicant innatas esse nostrae menti, non quidem ideas ipsas seu cognitiones, sed formas subjectivas, i. e. necessitatem subjectivam essentialiter inditam, ac determinationes genericas efficiendi cognitiones subjective certas, objective inanes (cfr. logic. de idealismo, et cosmol. de pantheismo).

Prob. Tales formae subjectivae 1) gratuito et 2) falso fundamento adstruuntur; 3) in seipsis non explicantur; 4) factis non congruunt certis; 5) ducunt ad absurda; *e.*

Prob. ant. 1 part. (gratuito fundamento). Systema hoc formarum affirmatur, supponendo necessitatem probandi scientificae, i. e. ratiocinio stricto, ipsum valorem objectivum et veracitatem facultatis nostrae, antequam possit certitudo aliqua admitti; *a.* hoc suppositum gratuitum et scepticum est (cfr. logic.); *e.*

Prob. ant. 2 part. (falso fundamento). Hoc systema nititur iudiciorum partitione in analytica a priori, synthetica a priori, et synthetica a posteriori; *a.* haec partitio falsa est, et oritur ex falso conceptu iudicii analytici (cfr. logic.); *e.*

Prob. ant. 3 part. (non explicantur). Istae formae omnem objectivum valorem idearum, atque omnes objectivas entium determinationes tollunt; nihil nisi subjectivam cogitationem nostram necessariam fatalis certitudinis, sine etiam proprio subjecto certo, relinquunt; sed solum ens indifferens, indeterminatissimum, ideale pantheisticum quod se evolvat fatali necessitate et ordine, supponunt; — *a.* tales formae non explicatio aliqua clara sunt, sed aenigma abstrusum; *e.* (cfr. cosmol. de pantheismo).

Prob. ant. 4 part. (factis non congruunt). 1) Res plurimas non per speciem propriam, sed per species alienas et analogas ex sensationibus haustas cognoscimus; 2) res plurimas alii aliter homines concipiunt, iudicant; *a.* cum his factis non conciliantur formae subjectivae transcendentalium; *e.*

ad min. 1) Si formae subjectivae sunt innatae, nulla potest esse ratio cur non species propriae sed potius species alienae haberi debeant.

ad min. 2) Si hae formae sunt essentialis nostrae animae, nulla potest esse ratio cur non eadem sint apud omnes homines, ejusdem scilicet essentialis humanae, sed apud alios aliae, et aliter excitabiles et applicabiles.

Prob. ant. 5 part. (ducunt ad absurda). Hae formae necessario ducunt ad scepticismum universalem, ad negationem etiam principii contradictionis, etc. (quod etiam ipsi admittunt saltem aliqui adversarii); *a.* hoc est absurdum; *e.*

§ 2. DE SYSTEMATE ONTOLOGISMI.

Propositio 41.

Originem idearum male explicat Malebranche.

Stat. quaest. 1) Ad eandem quaestionem de origine idearum, alterum genus responsionum est Ontologistarum. Qui inter se conveniunt dicentes: a) Anima vi essentialis suae non est sufficiens ad cognitiones habendas; debet proinde alio principio compleri.

b) Aliud principium quo compleatur, sibi intrinsicum innatum non habet, ideas nempe plures, vel unicam, vel formas subjectivas.

c) Ergo debet compleri principio aliquo extrinseco, quod sit per se intelligibile et immediate conjunctum animae.

d) Tale intelligibile per se, et immediate conjunctum animae nullum esse potest, in quo cetera omnia cognoscantur, nisi solus Deus.

e) Ideae nostrae, universales etiam, non sunt psychologicae, i. e. in mente nostra existentes, sed ontologicae, i. e. extra nos objective existentes, tanquam id quod cognoscimus.

2) Sed sub qua ratione intelligatur Deus et quomodo in eo cetera cognoscantur, varie explicant varii.

3) *Explicat Malebranche* : a) solus Deus est objectum per se intelligibile, quod se manifestat per seipsum, non per ideam in anima subjectatam.

b) Deus est ipsum lumen quo cognoscimus, quod in nobis cognitionem operatur omnem.

c) Cetera objecta non sunt per se intelligibilia, neque per aliquas ideas in anima nostra subjectatas, sed *per ideas archetypas*, quae cum essentia divina identificantur.

d) In lumine (Deo) cognoscimus Deum, et ideas claras rerum, et earum relationes, sive spirituum, sive corporum.

e) Per conscientiam (= sensum) cognoscimus nos ipsos, et ideas confusas seu modificationes nostras : voluptatem, dolorem, colores, etc; quae cognitio etiam a Deo in nobis efficitur, neque a cognitione per lumen differt, nisi quod minus clara est.

Prob. Explicatio Malebranche falsum supponit, et ad absurda ducit; *e.*

Prob. ant. 1 part. (falsum supponit). 1) Si extensio cognitionis nostrae naturalis non accipit mensuram nisi a divina libertate, in quantum Deus hoc, non alio, gradu se creaturis manifestare vult; tollitur omnis distinctio essentialis inter res naturaliter cognoscibiles et mysteria;

2) Si cognitio omnis in nobis efficitur ab ipso Deo, intellectus noster est mere passivus, ita ut cognitio non sit actus vitalis, et *Deus ipse* dicendus sit in nobis cogitare, et nunc verum nunc falsum cogitare, ac proinde decipi vel decipere;

3) Si cognitio per lumen et cognitio per sensum eo solum differunt quod altera sit clara, altera confusa, nulla erit differentia essentialis inter intellectum, sensum, phantasiam, etc. nulla proinde inter brutum et hominem essentialis differentia;

Atqui talia praesupposita sunt falsa; e.

Prob. ant. 2 part. (ad absurda ducit). Docet Malebranche nos nihil cognoscere nisi cognoscendo Deum, et res particulares veritatem nullam habere nisi ex accessu suo ad Deum nobis cognito; et hanc cognitionem in nobis effici ab ipso Deo; — proinde a pari, nihil appetere poterimus nisi appetendo Deum, et res particulares bonitatem nullam habebunt nisi ex accessu suo ad Deum nobis cognito; et hunc appetitum in nobis efficiet Deus ipse (quae omnia ipse Malebranche admittit, partim explicite, partim implicite); — *a.* qui nihil potest appetere nisi in Deo, et propter Deum, imo ab ipso Deo appetitum efficiente motus, videtur peccare non posse; quod est absurdum; *e.*

Propositio 42.

Originem idearum male explicat Gioberti.

Stat. quaest. Responsonem Ontologistarum explicat Gioberti : a) Cognitionis omnis principium est intuitus idealis. Hujus objectum immediatum est idea, quae non est forma quaedam repraesentativa, subjectiva, sed ipsum verum objectivum, et absolutum ens, seu Deus.

b) Duplex est nostra cognitio : directa, i. e. immediata objecti apprehensio; et reflexa, i. e. cogitatio regrediens in primam perceptionem et in objectum apprehensum. — Directa est perpetua, ab ipso ortu nostro praesens; reflexa est voluntaria.

c) Objectum intuitus directi est Deus, ens reale et concretum, fundamentum omnis evidentiæ et certitudinis. — At non apparet in abstracto, sed ut realiter et concrete est, scilicet ut *ens creans existentias* seu res externas.

d) Intuitus directus entis est cognitio indeterminata, confusa, dispersa; accedente reflexione circumscribitur, variis modis determinatur, sensibilibus exhibetur; sed ad hoc opus necessaria sunt vocabula et sermo humanus.

e) Aliae ideae sunt absolutae, quae ad ens; aliae relativae, quae ad existentias pertinent; neutrae possunt deductione acquiri, sed ad invicem relate ad nos independentes sunt; et singula nobis revelantur quum ens nos ad existentiam vocat, suumque actum creativum aperit.

f) Ergo omnia nostra judicia sunt synthetica a priori, non synthesi Kantiana subjectiva, sed synthesi objectiva in entis revelatione. Unum iudicium excipitur, analyticum : *ens necessario est*. Quae prima reflexio est, et initium totius philosophiae.

Prob. Explicatio Gioberti : 1) falsa supponit, 2) facta explicanda non explicat, 3) ducit ad absurdum pantheismum; *e.*

Prob. ant. 1 part. (falsa supponit). Talis explicatio supponit : a) per cognitionem intuitivam immediatam posse objectum non cognosci quale est in se; — b) ens indeterminatum et abstractissimum idem esse ac ens maxime determinatum, realissimum : Deum; — c) entis infiniti ideam, quo magis nitimur et scientificè quaerimus, eo minus nobis esse possibilem, nam haec esset reflexio; — d) ad reflexionem necessaria esse vocabula; — e) actum creativum Dei nobis nunc continuo esse visibilem; — *a.* haec omnia falsa sunt; *e.*

ad min. a) Cognitio intuitiva illa est qua res se manifestat per seipsam, per propriam entitatem, non per aliud signum in quo cognoscatur.

ad b) Cfr. ontolog. et logic.

ad c) Sic periret omnis scientia religiosa et philosophica.

ad d) Haec vocabula ut aliquid efficiant, debent intelligi; ac proinde eorum sensus determinatus debet antea esse cognitus; *a.* sic abitur in infinitum; *e.*

ad e) Actus creativus videretur vel prout est immanenter in Deo, vel prout est externe terminative efficax; *a.* si prius : est identicus cum essentia Dei; si posterius : fuit aliquando uno instante, jam non ipse est, sed ejus effectus durat; *e.*

Prob. ant. 2 part. (facta non explicat). Facta explicanda erant : a) cur et quomodo connexa sit cogitatio intellectualis cum phantasmatis sensibilibus; — b) cur de rebus quae sensibus non apparent nullam habeamus intelligibilem cognitionem propriam; — c) cur non continuo et ab initio vitae cognitiones nostras intellectuales tales habeamus, quales nunc habemus; — *a.* de his omnibus explicatio ne attentatur quidem; *e.*

Prob. ant. 3 part. (ad pantheismum). Si ipsum ens creans existentias se manifestat intellectui nostro, et sic ipsum fit objectum omnium cognitionum, magis et magis determinatum per reflexionem nostram; de facto realiter identicum erit hoc ens infinitum cum entibus omnibus finitis; *a.* hoc est pantheisticum; *e.*

Propositio 43.

Originem idearum male explicant omnes ontologistae recentiores, sive rigidiores, sive mitigati.

Stat. quaest. Post Gioberti, alii recentiores varie ontologismum exposuerunt, quorum alii *rigidiores* dici possunt, juxta quos: a) omnis cognitio, sive sensitiva, sive intellectiva, est ontologica ac proinde non fit mediandis formis repraesentativis.

b) Realitas intelligibilis, quae cognitione immediate ab intellectu attingitur, est Deus, ens infinitum; non tamen ejus essentiam, sed attributa tantum, quae nihil aliud sunt quam perfectionum absolutarum ideae, intuemur.

c) Hae perfectiones absolutae sunt *lux intellectualis* cujus illuminatione creaturarum rerum essentiae intelligibiles fiunt; nec tamen in ipsis creaturis rationes earum ideales universales et necessariae cernuntur, sed in Deo, cujus attributa contingenter et singulariter participant.

d) De modo quo contemplamur essentias rerum in Deo duplex inter Ontologistas est sententia:

α) alii nos nihil extra Deum percipere posse dicunt;

β) alii docent nos in Deo notas solum metaphysicas, v. c. entis, boni, pulchri, percipere; ceteras notas physicas, v. c. arboris, hominis, *ope abstractionis* ex experientia nobis derivari; quae tamen ultimae non sint ideae universales proprie dictae, sed notiones tantum generalisatae seu collectivae.

e) Intuitus directus est obscurus et indistinctus, ideoque conscientiam praeterlabitur; sed ope reflexionis fit clarus et distinctus, quia tunc aspectus mentis in determinatam partem intuitus figitur. Reflexionis instrumentum alii dicunt esse imagines rerum sensibilibus, alii etiam sermonem et educationem socialem.

f) Ope reflexionis mens sibi efformare potest ideas psychologicas; quae differunt ab ideis psychologiceis peripateticorum, eo quod juxta peripateticos solis illis repraesentationibus res cognoscimus, et ideo impossibile est ex ipsis discernere utrum objectivae sint an non sint; dum juxta ontologistas hae notiones semper conferri possunt cum ideis ontologicis, qua comparatione constabit de notionum objectivitate.

2) Alii ontologistae *mitigatam* aliquam explicationem sequentes, rejiciunt intuitionem immediatam idearum archetyparum (de quibus Malebranche), et actus creativi (de quo Gioberti), et attributorum absolutorum (de quibus rigidiores); sed affirmant directam immediatam intuitionem Dei sub respectu

entis absoluti, qua, ut primo lumine, per reflexionem deriventur ceterae ideae et notiones. Hae proinde notiones jam non sunt ipsae identicae cum Deo, sed sunt objecta a Deo cognita, quae secundum ejus cognitionem, ex inspectione entis ea cognoscentis, etiam mens humana cognoscat. — Differunt ergo isti a Rosmini eo fere solo quod ideam intuitivam entis infiniti non dicunt nobis innatam ac proinde psychologiceam, sed ontologicam eam volunt, i. e. objective existentem et se menti communicantem.

Prob. Ontologismus etiam qualem recentiores explicant, 1) falsum supponit, — 2) facta explicanda non explicat, — 3) ducit logice ad absurda; *e.*

Prob. ant. 1 part. (falsum supponit). Supponit: a) veritatem objectivam non posse ideis directis quae sint psychologiceae competere; — b) eandem esse necessitatem, immutabilitatem, aeternitatem essentiae idealis rerum ac Dei ipsius; — c) ideam entis infiniti, et perfectionum absolutarum esse proprias et positivas; — *a.* haec sunt falsa; *e.*

ad min. a) Ita esset de ideis psychologiceis innatis quae rerum existentiam repraesentarent; sed non item de acquisitis ope experientiae.

ad min. b) et c): cfr. ontolog.

Prob. ant. 2 part. (facta non explicat). Facta explicanda sunt: a) cur et quomodo cognitio intellectualis in statu praesenti sit dependens a cognitione sensitiva; — b) cur omne positivum elementum nostrarum cognitionum sit corporeum, cetera non nisi analogice et per negationes cognoscantur; — c) cur nemini sit evidens, sed omnibus demonstranda existentia Dei; — *a.* haec non explicantur; *e.*

ad min. Tentant quidem ontologistae explicationem, dicendo intuitum directum immediatum Dei non esse nobis conscium, sed sola reflexione vi sensationum facta, oriri conscientiam; *a.* etiam sic nondum explicatur cur saltem per perceptionem reflexam de ideis divinis non possimus pervenire ad intuitum conscium quidditativum, et independentem a sensationibus; *e.*

Prob. ant. 3 part. (ad absurda). Sequeretur: a) inutilem esse unionem animae cum corpore, et creationem totius naturae corporeae, imo, potius nocivam; — b) dari in Deo qualis est in se, multipliciter perfectionum quae possint disjunctim intuitive percipi; — c) in Deo formaliter, non eminenter tantum, esse notas essentiales rerum, quae de rebus per identitatem praedicantur; et proinde pantheismus; — *a.* haec sunt absurda; *e.*

Objic. 1° (Cfr. Tongiorgi). Ens infinitum, immensum, universale nequit percipi per ideam ab ipso distinctam.

Prob. 1) Quaelibet idea ab ipso diversa est aliquid finitum, particulare, quod infinitum repraesentare nequit;

2) infinitum cognosci nequit ex finitorum consideratione;

3) ideae entis in genere, boni, pulchri, etc. nullum aliud objectum habere possunt quam infinitum.

R. n. assert. et ejus supp. (idea est id quod mens in se exprimit quum rem percipit, sed non est id quod cognoscitur).

Ad 1) d. est particulare, *c*; finitum, *sd.* entitative, *c*; repraesentative, *sd.* spectatis notis positivis, *c*; simul negationibus, *n*.

Ad 2) d. spectatis notis positivis, *c*; simul negationibus, *n*.

Ad 3) n. vel *d.* infinitum positivum, *n*; infinitum, *i.* e. abstractum universale indefinite multis applicabile, *c*.

Objic. 2° Entia finita cognosci nequeunt, nisi prius Deus cognoscatur.

Prob. 1) Ens finitum nequit cognosci ut tale, nisi prius ens ut ens; *a.* ens ut ens est ens simpliciter seu infinitum; *e.*

2) varios gradus entitatis cognoscere non possumus nisi per comparationem cum summa perfectione.

3) ens contingens et dependens cogitari nequit nisi simul ens absolutum.

R. n. assert.

Ad 1) d. maj. nisi prius sub nota indeterminata entis, *c*; nisi prius aliud ens ut ens, *n*; — *n. min.*

Ad 2) n. (Cfr. ontol.).

Ad 3) d. ens quod est contingens, *n*; ens ut contingens, *sd.* nisi aliud aliquid a quo pendeat, *c*; nisi jam ens absolutum, *n*.

Inst. Entis idea Deum et mundum complectitur; *e.* si fit clara idea mundi, etiam idea Dei clara fiet (nam essentia mundi clare cognosci nequit nisi per comparationem cum Deo). — *R. d. ant.* ut bina correlativa, *n*; ut duo disparata analogica, *c.* — *n. cons.* — *d. rat. add.* cognosci adaequate etiam cum suis relationibus dependentiae, *c*; cognosci clare in proprio esse, *n*.

Objic. 3° Universalia non possunt cognosci nisi Dei ideae videantur.

Prob. 1) Quae sunt extra Deum, sunt singularia et caduca; *e.* in eis universale (immutabile et aeternum) cognosci nequit.

2) qui videt ideam universalem, videt id quod plura participant; *a.* id quod participant est in Deo.

3) qui videt universale, non rem creatam videt; *e.* increatum, Deum.

R. n. assert.

Ad prob. 1) d. ant. secundum existentiam, *c*; secundum essentiam abstractam ab existentiae conditionibus, *n*.

Ad 2) : a) n. supp. (videri ideas; — sed per ideas, objectum videtur). —

β) d. maj. id quod est numero idem in pluribus, *n*; id quod est singulare in singulis distinctum, sed simile, *c*; — *d. min.* id numero unum quod est in pluribus, est in Deo, *n*; id simile exemplar infinitum unum, cujus exemplata finita similia sunt multa, est in Deo, *c*.

Ad 3) d. ant. videt rem non creatam sed idealem, *c*; videt aliquid reale et increatum, *sd.* si supponitur quod probandum: fore ut videat ideas Dei, *c*; secus, *n*.

Objic. 4° Spiritus noster est Deo intime conjunctus; *a.* illi Deus vult manifestare suas ideas; *e.* per ideas Dei, opera cognoscit.

Prob. min. 1) Deus non facit per plura et implexa media, quod per pauciora et simpliciora potest; *a.* quia nobis conjunctus est, simplicissimum medium est manifestatio; *e.*

2) solum in hac hypothesis palam fit omnimoda creati spiritus a Deo dependentia.

3) ideae in animam nostram agunt: v. c. miseros, felices, etc. reddunt; *a.* solus Deus immediate in animam agere potest; *e.*

4) Deus fecit omnia propter se; *e.* intellectum fecit talem ut nihil intelligat nisi quatenus Deum intelligit.

R. ad assert: d. maj. ut causae creatrici et conservatrici, *c*; ut objecto determinanti intellectum ad sui visionem, *n.* — *n. min.*

Ad prob. 1) d. maj. Deus si nullum habet finem adhibendi plura, *c*; secus, *n*; — *c. d. min.* (cum ideis manifestaret et essentiam, nosque faceret beatos).

Ad 2) n.

Ad 3) d. maj. physice, *n*; intentionaliter, *c*; — *c. d. min.*

Ad 4) d. ant. propter se, *i.* e. ad suam bonitatem manifestandam, idque diversis modis, *c*; *i.* e. per se, nullam rebus tribuendo activitatem, *n*.

Objic. 5° Animo non potest inesse virtus quae ideas producat.

Prob. 1) Ideae sunt entia spiritualia (perfectiora corporibus); *e.* anima produceret aliquid perfectius quam Deus (qui corpora produxit).

2) haec esset creatio.

3) ad productionem ideae jam praesupponitur ejus cognitio.

R. n. assert.

Ad prob. 1) d. ant. sunt modificationes entis spiritualis, *c*; secus, *n*.

Ad 2) n.

Ad 3) d. ad productionem deliberatam, *c*; naturalem (ex instinctu naturae), *n*.

Objic. 6° Ordo cognitionis debet respondere ordini rerum; *e.* a Deo ad creata. — *R. d. ant.* cognitionis directae, *n*; relativae, *i.* e. experimentis relationes rerum inter se, *sd.* debet repraesentare ordinem non aliter ac est, *c*; debet eodem ordine procedere in repraesentatione ac ordo rerum est, *n*.

Objic. 7° Primum objectum cogitationis concretum est, et ejusmodi ut ad id omnes cogitationes revocentur; *a.* omnes cogitationes revocantur ad ideam vel Dei, vel mundi, vel creationis; *e.* — *R. d. maj.* concretum ex quo mens sua virtute ideas abstrahat, *c*; ad quod omnes ideae revocentur, *n*; et *n. supp.* (debere cogitationum humanarum unitatem inveniri, vel unicum esse objectum); — *n. min.*

Objic. 8° Ut objective reales sint ideae, non possunt ideae directae esse psychologicae (*i.* e. in anima subjectatae) sed debent esse ontologicae (*i.* e. rationes reales existentes, sese menti communicantes). — *R. d.* respectu ordinis idealis (possibilium), *n*; ordinis realis (existentium), *sd.* si ideae psychologicae intelliguntur esse innatae, *c*; si ab experientia derivatae, *n*.

§ 3. DE SYSTEMATE TRADITIONALISMI.

Propositio 44.

Originem idearum male explicat de Bonald.

Stat. quaest. 1) Ad eandem quaestionem de origine idearum, aliud genus responsionum est *Traditionalium*. Qui inter se conveniunt: a) volentes contra rationalistas ostendere rationis humanae infirmitatem, revelationis divinae necessitatem; — b) docentes homini sine traditione orali aliorum hominum, ideas non esse possibiles; — c) primo homini proinde revelari debuisse cognitiones humanas, ac per generationes tradi.—Sed in explicando differunt inter se.

2) Explicant de Bonald et de La Mennais: a) sicut sine lumine impossibilis est visio, ita sine verbo vocali cogitatio.

b) Primus homo immediate a Deo loquelam, et eo ipso ideas accipit.

c) Non nisi per socialem educationem et loquelam, posterius et accipiunt primas suas ideas, et postea cogitare pergunt.

d) Nullo modo posset homo verba aut alia idearum suarum signa per se ipsum invenire.

e) Ergo absolute necessaria est primitiva revelatio, ad humanam cognitionem qualemcumque rationalem.

f) Ratio est mere passiva, per verbum recipiens ideas.

g) Ergo omnis cognitio reducitur ad actum fidei in auctoritatem docentium; estque fides principium omnis rationis et scientiae.

3) Ad facilitatem probationis sint duae partes: a) non per verba possunt primae ideae hominis oriri; — b) nec generatim per magisterium externum debet prima mentis evolutio inchoari.

Prob. 1^a pars (primae ideae). 1^o Ut verbum producat ideam, debet, non quatenus a loquente profertur, sed quatenus ab audiente accipitur, eam producere: a. quatenus ab audiente accipitur, est mera sensatio, nec potest efficienter producere ideam intellectualem; e.

Ad maj. Non potest quidquam producere in nobis nisi prius recipiatur; e. spectandum hic est verbum prout in nobis recipitur et in nos operatur, non vero prout a loquente profertur, sive cum intelligentia rei significatae per verbum, sive non; sive cum voluntate communicandae cognitionis, sive non.

Ad min. Verbum auditu receptum est mere sensibilis vox; a. sensibile quale tale nequit agere intellectum spirituales; e.

Prob. 2^o Verba sunt signa arbitraria; a. signa arbitraria non possunt ideas producere primas; e.

Ad maj. Non negamus inter verba et res posse aliquas convenientias esse, sed negamus talem convenientiam ut verbum per se sufficienter exprimat rem, i. e. sit signum naturale.

Prob. min. Ut significatio signi arbitrarii percipi possit, debet prius cognosci convenientia inter rem et signum, ipsa res et ratio signi; e.

Prob. 2^a pars (prima evolutio). Homo nisi aliquid jam scit antequam doceatur, ab alio doceri nova non potest; a. si sine magistro debuit et potuit primas cognitiones habere, poterit etiam, sine magistro, ad evolutionem aliquam ulteriorum cognitionum pervenire; e.

Ad maj. 1) Ex praecedenti parte, non omnes primae ideae possunt ex verbo vel signo quocumque arbitrario magistri produci; — 2) prima item iudicia, seu comparationes idearum et compositiones in identitatem, non a loquela propositiones enuntiantis hauriri possunt.

Ad min. Munus magistri est: 1) *attentionem* discipuli provocare, — 2) *dirigere* mentem a magis noto ad minus nota, — 3) *explicare* difficulta, applicando principia communia; — a. 1) *attentio* provocari potest a) ab ipsis rerum varietatibus, b) ab interno discendi desiderio, ex natura rationis; — 2) *directio* a magis noto ad ignotum, haberi potest a) ipsis potentiis de se ordinatis, b) experientia juvante; — 3) *explicatio* aliqua a) conatu naturali et desiderio cognoscendi causas, b) usu et experientia.

Propositio 45.

Falsus etiam est traditionalismus mitigatus a Bonetty et Ventura.

Stat. quaest. 1) Traditionalismum paulo mitius explicat Bonetty: a) Traditio oralis necessaria est ad accipiendas veritates metaphysicas, morales, religiosas; — b) quae traditio igitur originem ducit ex revelatione primitiva absolute necessaria; — c) reliquas veritates et ideas potest ratio suis viribus acquirere; — d) imo et ipsas veritates illas revelatas, si semel accipit, potest rationibus naturalibus fulcire et demonstrare.

2) Explicat Ventura: a) Potest ratio suis viribus sibi comparare ideas primitivas entis, ejusque proprietatum, ac generis et speciei, concreti et abstracti, causae et effectus, boni et mali, etc; — b) sed ideas Dei, spiritus, animae, immortalitatis, officiorum moralium, claras et distinctas nequit habere nisi ex revelatione primitiva per traditionem oralem; — c) sed eas semel acceptas potest naturalibus rationibus demonstrare.

Prob. 1^o Secundum adversarios: a) revelatio divina est absolute necessaria ad cognitionem veritatum maximi momenti pro homine; — b) haec revelatio non nisi per traditionem oralem ad nos pervenit; — c) haec tamen traditio, i. e. homines in tradendo, infallibilis non est; — a. si ita est, poterit traditio aliquando falsum pro vero docere, et jam multi homines in errore physice necessario, vel in ignorantia invincibili retinebuntur circa veritates primariae necessitatis; quod repugnat divinae providentiae et absurdum est; e.

Prob. 2^o Concedunt adversarii intellectum in aliis rebus ideas primas universales sibi acquirere, et principia prima quae ex eis oriuntur intelligere, et conclusiones ultiores deducere; a. etiam in accipienda traditione de rebus moralibus, etc. necessario praesupponuntur primae notiones quibus

verba et iudicia prolata intelligantur; *e.* poterit mens ex his primis notionibus habitis, sicut in aliis veritatum ordinibus, propria virtute, sine magisterio, deducere principia et conclusiones.

Coroll. Ergo etsi verba et institutio ad intellectus perfectionem promovendam sunt summopere utilia, non sunt tamen ad cogitandum absolute necessaria.

Propositio 46.

Falsus etiam est traditionalismus a recentioribus mitigatus.

Stat. quaest. 1) Traditionalismi quasi vestigium aliquod retinentes docent alii: a) Mens humana habet vim naturalem sibi propriam, quae tamen ut expedita sit ad agendum, indiget externo auxilio; — b) veritates rationales, metaphysicae, religiosae, morales, menti a Deo inditae sunt, sed confusae et apprehensione vaga; — c) ad claram et distinctam cognitionem earum, requiritur aliqua institutio socialis per traditionem quae verbo, scripto, gestibus, vel signis quibuscumque utatur; — d) haec tamen traditio non est causa efficiens operans in mentem, sed conditio sine qua non possit mens ad usum rationis expeditum pervenire; — e) postquam homo usu rationis expedite fruitur, potest propria vi ad reliquas veritates naturales pertingere.

2) Contra hos dicimus etiam ad expeditum usum rationis, et ad claras distinctasque cognitiones, homini non esse necessariam traditionem vel magisterium, ne ut conditionem quidem.

3) Supponimus hominem sensibus sanis instructum, in rerum natura, vel solum, vel cum suis similibus, versantem. — Non potest supponi homo, v. c. ab infantia sua ab omni conspectu ordinis mundani seclusus, libertate sua privatus et in carcere inclusus; qui homo, expers mediorum sibi naturalium, non esset in statu sibi naturali.

Prob. 1° Signa arbitraria qualiacumque nequeunt quidquam producere, sive ut causa efficiens vel excitans, sive ut conditio, nisi intelligantur ut signa; *a.* ad hoc requiritur ut jam antea adsit cognitio rei significandae; *e.* signa nequeunt excitare ideas claras et distinctas, nec proinde usum rationis, nisi hae jam antea habeantur.

Prob. 2° Ut intelligantur signa, praesupponitur cognitio rei significatae, et quidem aut clara et distincta, aut obscura et confusa; *a.* si prius, jam nihil opus est signo; si posterius, idem et melius quam signum poterit praestare ipsa objecti praesentia, quae et attentionem excitet, et comparisonem sui cum aliis rebus provocet, etc; *e.*

Objic. 1° De facto, homo pervenit ad usum rationis, auxilio rationis alterius quae jam formata fuerit; *e.* — *R. d. ant.* ad rationis actus quoscumque, *n.*; ad perfectiores, *sd.* ita ut auxilium sit causa, *n.*; ut utilis sit ad directionem et facilitatem, *c.*

Objic. 2° Constat experimentis circa pueros solitarie adolescentes, — surdos mutos, — eos omni idea intellectuali et morali carere; *e.* — *R. 1) n. supp.*

(hi non in statu naturali generis humani sunt). — *R. 2) d. ant.* carere omnibus ideis et veritate, *n.*; ideis Dei et moralitatis, *sd.* ex aliqua causa accidentali, *tr.*; ex naturali rationis defectu, *n.*

Objic. 3° Omnes aliae potentiae in rerum natura, indigent externo incitamento ut transeant in actum; *e.* a pari. — *R. 1) n. par.* (spiritus et materia; — et incitatur sufficienter, duce natura, sensatione mediante). — *R. 2) n. ant.* donec melius prob. (cfr. cosmol. prop. 35).

Objic. 4° Homo sine verbo (signo) cogitare nequit; *e.* nec sine institutione.

Prob. 1) Constat hominem sua verba cogitare, antequam cogitationes verbis eloquatur.

2) Etiam nobiscum ipsi, vel cum Deo, taciti verbis colloquimur.

3) Verbum mentis est essenziale cogitationi, ut communiter docetur.

4) Sine verbo ideae sunt vagae, solo verbo percipi possunt; et tanta idearum varietas, nisi verba accedant est veluti chaos.

5) Humana cogitatio humanae naturae congruere debet; *a.* homo est compositum spiritu et corpore; *e.*

R. n. antec.

Ad prob. 1) d. ut plurimum et ex assuetudine, *c.*; semper et necessario, *n.*

Ad 2) d. item.

Ad 3) d. verbum mentis, i. e. species expressa, *c.*; verbum linguae, *n.*

Ad 4) n. totum (metaphorae non argumenta!) — et *n. supp.* (ideas esse id quod intelligitur).

Ad 5) c. totum, sed *N. B.* Elementum sensibile est phantasma, non necessario phantasma vocabuli.

Objic. 5° Ex propositione sequeretur nos facere propria virtute veritatem, *e.* eam creare. — *R. n. totum* (non facimus sed invenimus).

Objic. 6° Homo, utpote natura sua socialis, nonnisi in societate explicare potest facultates humanas; *e.* non in solitudine. — *R. d. ant.* modo perfecto et facili, *c.*; nullo modo, *n.*

Coroll. Ergo verbum externum non quidem est necessarium absolute, ita ut sine eo cogitatio esse vel aliquomodo perfici non possit; — sed potest relative necessarium dici, ita ut sine eo cogitatio esse quidem, et evolvi possit, sed difficile, imperfecte, lente; — nam quum intellectus ad operandum indigeat phantasmatis, quo clariora et faciliora sunt phantasmata, eo facilius et melius operatur intellectus; *a.* clarissima et facillima sunt vocabulorum phantasmata; *e.*

Prob. min. a) Ista phantasmata sunt simplicissima et maxime variata; unde et citius et facilius applicantur; — b) aliquae res nonnisi vocabulorum phantasmatis repraesentantur determinate, v. c. ingens numerus; — c) opitulantur maxime memoriae, quia facile retinentur et reproducentur; — d) sunt signa universalissima et expeditissima.

Propositio 47.

Sermonem homo ratione utens invenire potuisset.

Stat. quaest. 1) Ultimam aliquam consequentiam traditionalismi refutamus. Ad quaestionem scilicet utrum homines sibi relictis, sed rationis suae usum habentes, propriis viribus et industria potuissent sermonem, quales nostrae nunc linguae sunt, invenire; respondent multi negantes, nos autem affirmamus non quidem statim, uno conatu, neque ab uno homine, sed saltem a genere humano, paulatim, imo satis brevi, inveniri et perfici linguam, sufficienter etiam divitem et pulchram potuisse.

2) Factum historicum primitivum non ratio nos docet; neque de eo nunc quaeritur, sed de possibilitate.

Notiones. 1) *Lingua* est complexus oralium signorum quibus cogitationes suas homines inter se manifestent. — Ad ejus essentiam minime pertinet ut scribatur vel pingatur.

2) *Linguae materia* sunt vocabula cum variis suis modificationibus, qualia : a) in dictionario quoad radices et themata inveniuntur, — b) in lexigraphia quoad flexiones (declinationum, conjugationum), et quoad derivationes ac compositiones exhibentur.

3) *Linguae forma* sunt regulae secundum quas adhibentur, combinantur, ordinantur vocabula varia ad varias cogitationes repraesentandas, quae regulae syntaxin constituunt.

4) *Linguae divitia* est abundantia et varietas : a) vocabulorum, — b) flexionum, derivationum, compositionum, quibus varii conceptus exprimantur, — c) regularum syntacticarum, quibus variae cogitationum relationes ac modificationes, perspicuae, et acute distinctae, proferantur.

5) *Linguae pulchritudo* est a) vocabulorum facilis et varia pronuntiatio : vocalium sonoritas et amaenitas; consonantium sufficiens combinatio, non nimia intricatio; syllabarum jucunda connexio quantitatum et accentuum; — b) flexionum, derivationum, facilis regularitas et simplicitas; — c) regularum syntaxis plana et simplex combinatio.

6) *Linguae ingenium* perperam dicitur, quod potius populi hac lingua utentis ingenium dicendum esset : usus consuetus aliquam cogitationem exprimendi, cum hac potius quam alia modificatione, ac proinde per hanc potius quam aliam (quam tamen lingua possideat) locutionem, inversionem propositionis, connexionem phrasium, figuram dictionis, etc.

7) *Linguae litteratura* perperam dicitur, quae potius populi litteratura est : scientia, auctoritas, varietas, abundantia, numerus librorum ab auctoribus hac lingua utentibus conscriptorum. Patet ergo fieri posse ut ditissima, pulcherrima lingua litteraturam pauperem habeat, et e converso.

Prob. 1° Homines ante omne magisterium possunt : 1) acquirere ideas, et judicia, et ratiociniis etiam judicia mediata; — 2) acquirere notionem signi (quum habeant jam aliqua signa naturalia gaudii, amoris, doloris, etc.) —

3) agnoscere suam facultatem edendi voces, et vocum modificationes (si sanis utuntur sensibus); — 4) cognoscere possibilitatem eas voces adhibendi ut signa naturalia; — a. si ita est, 1) facillima erit applicatio soni determinati, etiam ut signi conventionalis, pro re determinata sensibili, quae sit saepe in usu; — 2) et deinde facilis erit applicatio soni etiam ad altiora; — prona erit inclinatio ad talem usum; e.

Ad min. Homines habent inclinationem naturalem manifestandi ideas; ac proinde inclinationem ut et signis naturalibus utantur, et arbitraria addant; a. signum arbitrium aptissimum et inventu facillimum est vox modulata, praesertim juvante gestu, initio saltem; e.

Prob. 2° Teste experientia surdi muti plures simul viventes etiam sine magisterio inveniunt linguam signorum; e. a fortiori.

Objic. 1° Omnis pronuntiatio vocis articulatae fit ab hominibus ad imitationem aliorum, ita ut imminuto vel per accidens sublato auditu, decrescat vel tollatur pronuntiandi facilitas (teste multiplici experientia); e. sola potentia loquendi non sufficit ad inveniendam linguam. — R. d. ant. pronuntiatio certae alicujus articulationis, vel modulationis, c; cujusque, n; — d. cons. ad certam aliquam linguam uno conatu integram, c; ad rudimentalem initio, aliqualem, variam pro variis adjunctis, sd. facultas sola non sufficit, in statu aliquo non naturali, v. c. homini in carcere incluso, vel a conspectu mundi materialis privato, vel a societate suorum similium secluso, c; in statu naturali, n.

Objic. 2° Homines linguam efformantes, elementa linguae non nisi paulatim adderent; a. ita formari lingua nulla potest; e.

Prob. min. Lingua nihil significare potest nisi existat tota simul quoad partes essentielles : subjectum, praedicatum, verbum, ejusque modos; a. quamdiu nihil significat, nullius erit usus, et jam non paulatim addentur elementa; e.

R. c. maj. — n. min. — ad prob. d. maj. nisi existat quoad partes essentielles, jam artificiose et sola voce distinctas et complicatas, n; quoad partes essentielles aequaliter, gestibus, etc. suppletibus, expressas, c. — c. d. min. quamdiu prorsus nihil significat, ne juvantibus quidem gestibus, e; quamdiu non perfecte et artificiose dispositis solis vocibus significat omnes cogitationes, n.

Objic. 3° Usus linguae etiam quoad sua elementa essentialia, supponit praecognitas conventiones arbitrarias circa significationes variarum flexionum, derivationum, structurarum propositionis; — a. 1) haec omnia sunt relationes et abstractiones non sensibiles, quae proinde gestu ostendi non possunt, — 2) conventiones circa haec omnia praerequirerent jam aliam linguam qua fierent, et ita in infinitum abitur, — 3) de his omnibus, etiam quum jam praesto perfecta sunt, et magister adest, raro et difficile acquiritur plena cognitio, nedum sponte inquirantur et inveniuntur ab homine rudi et sylvestri; e. — R. d. maj. usus linguae jam perfectae, c; linguae primo initio

rudimentaris, *n*; — *c. min.* — *d. cons.* si debeant omnes istae perfectiones jam adesse, *c*; secus, *n*.

Objic. 4° Nequit homo ad opus magni laboris, quale esset linguae inventio et formatio, se accingere nisi ejus necessitatem sentiat vel ejus delectationem appetat; — *a.* 1) linguae necessitatem homo sylvestris, totus in cura rerum materialium immersus, non sentit; — 2) linguae delectationem, i. e. majoris eruditionis ac socialis progressus fruitionem, teste experientia, barbarae gentes neque appetunt nec boni aestimant; *e.* — *R. tr. maj.* — *sed n. supp. maj.* (opus magni laboris! — nam flet paulatim et natura impellente). — *d. min. 1 part.* si supponitur solivagus, *c*; si secundum naturam, in societate saltem familiae, *n.* — *d. min. 2 part.* politicae astus et organisationes, *tr*; socialem aliquam vitam ac proinde commercium linguae, *n*.

Objic. 5° Homo societatem nullam inire potest nisi praesupposita lingua, qua relationes inter homines oriuntur et confirmantur; *a.* solivagus, ex concessis, non inveniret linguam; *e.* — *R. d. maj.* societatem contractibus et conditionibus arbitrariis fundatam, ad fines liberos particulares, etc, *c*; societatem naturalem et primariam v. c. conjugalem, familiarem, patriarchalem, *n*.

ARTICULUS 2.

De systemate peripatetico.

In hoc nostro systemate alia sunt asserta omnibus peripateticis communia, systemati essentialia; alia secundaria, non omnibus communia, sed inter ipsos peripateticos disputata, nec parum obscura. Ista nos omnia ordine suo per successivas propositiones evolvemus.

Propositio 48.

In praesenti vitae statu, ad originem idearum praerequiritur cognitio sensitiva, et phantasma rei expressum.

Stat. quaest. 1) Nondum methodice probata est existentia animae simplicis et spiritualis, ejusque unio cum corpore; quoties hucusque adversarii illam ultro admittebant, simul cum eis supposuimus. Sed nunc nostrum adstruentibus systema, illud solum licet praesupponere quod probavimus, in homine, praeter sensitivas organicas facultates esse etiam intellectum, spirituales inorganicam facultatem (atque ex hac facultate erit inferius a posteriori probanda existentia et natura animae). Contraria via multi procedunt, sed utrum vitiosum circulum vitent, viderint ipsi.

2) Omnibus peripateticis commune est: a) intellectum humanum in suo statu natali esse nudam potentiam, quasi tabulam rasam in qua nihil sit scriptum; — b) ideas igitur primas ortum ducere ab experientia sensibili, i. e. a cognitione sensuum seu phantasmate; unde effatum: *nihil est in intellectu*

quod prius non fuerit in sensu; — *c*) et quidem cum aliqua vera dependentia a phantasmate oriri ideam spiritualem.

Prob. 1° Virtus intellectiva: 1) utpote ex natura sua et ab origine indeterminata, debet determinari; 2) nec tamen determinatur ab aliqua intelligentia separata; 3) nec habet in se principium activum adaequatum et sufficiens ad seipsam determinandam; — *a.* praeterea nihil aliud remanet nisi ut per cognitionem sensitivam determinetur; *e.*

Ad maj. 1 part. (ex natura, ab origine). Non habet ideas innatas, nec formas subjectivas naturales. Cfr. sup.

Ad 2 part. (ab alia intelligentia). Non habet visionem intuitivam immediatam Dei se manifestantis: cfr. de ontologismo; — nec accipit ab hominum traditione et sermone primas determinationes: cfr. de traditionalismo.

Ad 3 part. (a seipsa adaequate). Principium activum sufficiens esset aut necessarium aut liberum; *a.* si necessarium, produceret ab origine et continenter omnes cogitationes; — si liberum, a) a sola voluntate nostra penderet omnis cognitio; b) ante omnem cognitionem deberet aliquis appetitus existisse.

Prob. 2° Objectum per se proportionatum, et proinde primum, intellectus nostri sunt res sensibiles; *a.* inter res sensibiles et intellectum non potest fieri immediata conjunctio et determinatio; *e.*

Ad min. Objectum se conjungere cum potentia nequit nisi eam per suam essentiam vel per suam operationem attingendo et influendo modificationem; *a.* objecti sensibilis essentia et operatio materialis est, nec potest attingere potentiam spiritualement, i. e. independentem a materia; *e.*

Prob. 3° Teste experientia: 1) fatigatio, morbus, ebrietas, alique status corporis saepe impediunt non solum acquisitionem novae veritatis, sed etiam usum scientiae acquisitae; — 2) si quis intelligere conatur, sibi aliquid fingit; — 3) multa cogitatione caput (cerebrum) fatigatur; *e.*

Coroll. Ergo jure dicimus non sufficere solam phantasmam ut nudam potentiam, nam et ipsa est indifferens, sicut ipse intellectus, ad exercitium et ad determinatum actum; — nec sufficere speciem impressam phantasiae, nam haec ordinatur ad cognitionem suae potentiae determinandam, non ad aliam potentiam vicinam; — sed requiri speciem expressam phantasiae, seu phantasma expressum.

Propositio 49.

Admittendus est intellectus agens qui producat species impressas, entitative et repraesentative intelligibiles.

Stat. quaest. 1) Alterum punctum omnibus peripateticis commune (paucissimis exceptis) est: a) phantasma sensibile non posse in potentiam intellectivam imprimere ad modum causae efficientis principalis, speciem impressam intellectualem; — b) requiri tamen in intellectu speciem impres-

sam intellectualem, praeter species quae in phantasia sunt; — c) existere ergo potentiam aliquam intellectualem quae speciem imprimat in ipso intellectu, quam potentiam vocant intellectum agentem.

2) Docent Durandus, Palmieri : a) non requiri speciem impressam intellectualem, sed sufficere solum phantasma expressum; — b) nec requiri intellectum agentem, sed sufficere solum intellectum cognoscentem. — Sint igitur hae duae partes nobis in probatione refellendae.

3) In tota hac praesente tractatione, ea omnia praesupponuntur quae in organologia dicta sunt de natura cognitionis in genere, deque necessitate, natura et munere specierum impressae et expressae; atque omnino ea nunc sunt recolenda.

Prob. 1^a pars (*requiritur species intelligibilis*). Ad inchoandam cognitionem necessaria est conjunctio objecti cum intellectu; a. haec non efficitur phantasmate sed specie quae sit et entitative et repraesentative intelligibilis; e.

Prob. min. 1 part. (entitative intelligibilis). Phantasma est in alia facultate essentialiter differente, materiali; a. 1) quod est in alia facultate, non sufficienter conjungit objectum intellectui, hunc intrinsece afficiendo; 2) quod est materiale, et proinde extensum, nequit recipi in aliquo immateriali et simplici, ut sit ejus inhaerens modificatio; e.

Prob. min. 2 part. (repraesentative intelligibilis). Ut intellectus cognitione tendere possit in objectum ut intelligibile, debet objectum proponi ut intelligibile; nam facultas cognitiva non sibi facit, sed supponit objectum propositum; a. phantasia nequit aliter proponere quam ut sensibile; e.

Prob. 2^a pars (*requiritur intellectus agens*). Perceptiones sensiles ac phantasmata non sunt expedita a conditionibus materiae; a. res materiales potentiam spiritualem et inorganicam movere et intrinsece determinare nequeunt; e.

Prob. min. Nulla causa potest efficienter effectum agere nisi illum actu saltem virtualiter praecontineat; a. hic effectus (utpote entitative spiritualis et inorganicus, repraesentative universalis et abstractus), superioris esset ordinis quam causa (entitative materialis et organica, repraesentative concreta et singularis); e.

Objic. 1^o Species impressa intellectualis, esset formalis repraesentatio objecti, in mente existens ante actum cognitionis; a. haec admitti nequit; e. — R. n. maj. (est virtualis repraesentatio, ante actum expressum seu formalem repraesentationem).

Objic. 2^o Ante ipsum actum cognitionis nihil aliud requiritur in intellectu, nisi determinatio ad actum; e. — R. a) c. totum (hoc est quod volumus). — R. b) d. determinatio intrinseca ipsius intellectus, c; extrinseca, in facultate vicina inhaerens, quae ergo vicinam determinet solam, n.

Objic. 3^o Repraesentatio objecti existens in intellectu, quae non sit ipsa cognitio nequit concipi; e.

Prob. Haec repraesentatio aut est aliquid vitale ab ipso intellectu procedens immanenter, aut est aliquid non vitale ab intellectu procedens; a. neutrum; e.

ad min. si primum : est ipsa cognitio in actu secundo; si secundum, est aliquis modus ab intellectu non distinctus, aut aliqua qualitas distincta, sed utroque casu, intellectus convenit cum objecto in essendo, non in repraesentando (intentionaliter, i. e. vitaliter) tantum; e.

R. d. assert. repraesentatio formalis, c; virtualis, n.

Ad prob : d. maj. aut..., aut..., aut aliquid vitale ratione subjecti, sed impressum ab alia potentia (intellectu agente), non ab ipsa facultate intellectiva procedens, c; secus, n. — c. d. min.

Ad prob. min : tr. totum et n. supp.

Objic. 4^o Si existeret species impressa intelligibilis, haec esset 1) natura sua intelligibiliter cognoscibilis; 2) intime conjuncta cum intellectu; ac proinde 3) id quod primo et per se cognosceretur; a. hoc non admittitur; e. — R. ad maj. 1) d. absolute, c; relate ad nostrum intellectum in statu praesenti, n. — ad 2) d. conjuncta repraesentative, n; entitative, c. — ad 3) n.

Objic. 5^o Si species est imago rei, et per eam res cognoscitur, cognitio fit eo quod per aliquid repraesentativum potentia cognitiva fertur in aliud; a. omne istud per quod tanquam per repraesentativum potentia cognitiva fertur in aliud, est primo cognitum; e. — R. d. maj. si est imago realis, tr; si imago intentionalis, sd. eo quod per aliquid intentionaliter repraesentativum, c; realiter repraesentativum, n. — c. d. min. tanquam per realiter repraesentativum, c; intentionaliter repraesentativum, n.

Objic. 6^o Si existeret intellectus agens, ejus opus esset abstrahere ideas universales a notis individuantibus phantasmatis; a. teste sensu intimo, abstrahere est opus facultatis cognitivae; e. non alius est intellectus praeter facultatem cognitivam. — R. d. maj. abstrahere actu reflexe conscio, n; actu directo et necessario et inconscio, sd. abstrahere notas cognitivas, n; incognitas, ut intellectui imprimantur, c. — c. d. min.

Objic. 7^o Intellectus agens deberet esse de se semper in actu; a. omnis vis finita est de se in potentia, et transit in actum sub determinatione vel complemento ab extra adveniente; e. — R. c. maj. — n. min. vel d. min. ita multo plures vires finitae, c; ita essentialiter omnes, n.

Objic. 8^o Appetitus tum sensitivus, tum intellectualis, sufficienter determinatur ad agendum, actu potentiae vicinae cognitivae; e. a pari poterit determinari intellectus actu potentiae vicinae : phantasiae. — R. d. maj. determinatur a facultate vicina, n; est natura sua vel determinatus (si non liber), vel capax ut seipsum determinet (si liber) ad agendum, objecto proposito a facultate vicina, sd. si haec facultas est ejusdem ordinis (sensitivi vel spiritualis), unde subjective intime connexa, et terminative proportionatum objectum bonum attingens et proponens, c; secus, n. — n. cons. et parit. (non eadem proportio inter facultates, neque intellectus est natura sua determinatus, nec libere se determinat).

Propositio 50.

Species impressa recipitur in intellectu patiente, qui cum illa speciem expressam producit.

Stat. quaest. Tertium in quo communiter conveniunt peripatetici est : a) praeter intellectum agentem qui speciem intelligibilem ex phantasmate abstrahat, agnoscendum esse alium intellectum cui species haec imprimatur (quae distinctio realis ne an rationis sit, non omnes conveniunt, cfr. infra); — b) hunc intellectum vocant *passibilem* seu *patientem*, quia pati speciem potest, i. e. eam in se recipere; vel *possibilem* seu *potentialem*, quia non semper in actu cognoscendi est, sed saepe in potentia ad actum; — c) hunc *intellectum passibilem*, non mere passivum esse, sed more omnium potentiarum cognitivarum, cum specie sibi impressa producere sibi immanenter speciem expressam; — d) ergo *munus intellectus agentis* non esse ut objectum quodcumque cognoscat, sed solum ut speciem impressam efficiat in intellectu possibili; — *munus intellectus possibilis* esse ut sit potentia cognitiva spiritualis.

Prob. 1^a pars (*datur intellectus patiens*). Ideo requiritur species impressa, ut recipiatur in potentia cognitiva, vices gerens objecti, quod per eam cum potentia coniungatur; *a.* non intellectus agentis est *uniri* cum objecto cognoscendo, sed potius *unire*, speciem ejus vicariam efficiendo; *e.*

Prob. 2^a pars (*speciem expressam producit*). Omnis potentia tendit in actum quoties omnia requisita adsunt; *a.* intellectus possibilis : 1) est potentia cognitiva; 2) specie impressa praesente, omnia requisita ad cognoscendum adsunt; 3) actus cognoscendi formalis est ipsa species expressa; *e.*

Coroll. 1^m Ergo distingui possunt objecta intellectus :

}	intelligibile : — — — — res apta cognosci ab intellectu.
	in actu primo remoto : res prout existit <i>concrete</i> ,
	in actu primo proximo : res prout <i>phantasmate</i> exhibetur,
}	in actu secundo : — — res prout <i>specie impressa</i> intelligibili, a phantasmate abstracta, exhibetur.
	intellectum : — — — — res prout <i>specie expressa</i> intelligibili exhibetur.

Coroll. 2^m Ergo verum est illud antiquum : « *intellectum in actu est intellectus in actu* ». Nam intellectum in actu est res, non prout existit in seipsa, sed prout existit repraesentative in mente per speciem expressam; *a.* species expressa est ipse actus secundus intellectus in actu; *e.*

Coroll. 3^m Intellectus agens est facultas non passiva, sed mere activa, nec immanenter agens, sed transeunter, scilicet in potentiam vicinam : intellectum passibilem. — Intellectus passibilis est partim passivus, ut recipiens speciem impressam; partim immanenter activus, ut producens speciem expressam.

Propositio 51.

Ad producendam speciem impressam intelligibilem nequit phantasma concurrere per meram sui illuminationem objectivam ab intellectu agente.

Stat. quaest. 1) Quaestio manet solvenda : quomodo cum intellectu agente concurrat phantasma ad speciem imprimendam; habet enim aliquem certe influxum.

2) Circa hoc jam non unanimes sunt peripatetici, sed alii aliter.

3) Explicat *Cajetanus* et alii : a) Phantasma est materiale, neque continet ullo modo intelligibile vel universale; — sed b) illud illuminat intellectus agens, nempe non *formaliter*, i. e. ita ut lumen intellectuale recipiatur in phantasmate, eique inhaereat, quod est impossibile; sed *objective*, i. e. ita ut intellectui appareant in phantasmate notae quae in eo sunt, at non quales in eo sunt, sed intelligibiles; — c) et sic phantasma jam est universale; nam per hanc operationem apparet in phantasmate quidditas rei materialis sine conditionibus individuandis; — d) ergo phantasma quod antea erat intelligibile in potentia (seu in actu primo), fit intelligibile in actu (secundo); et speciem imprimit in intellectum possibilem.

Prob. Tota explicatio dicta ad tria redit : a) illuminationem phantasmatis, b) ejus transformationem, c) ejus actionem in intellectum patientem; *a.* haec tria admitti nequeunt; *e.*

Prob. min. 1 part. (*non illuminatio*). 1) Per hanc illuminationem aut aliquid novi producitur in phantasmate, aut non; — *a. si aliquid* : hic erit effectus materialis (quia in facultate materiali receptus), ad quem producendum non est proportionatus intellectus agens (facultas spiritualis quidem, quae tamen nequit naturam materialem phantasmatis in spiritualem mutare, et aptam reddere ad effectum spiritualem recipiendum); — *si nihil* : manet non mutatum phantasma, et nihil proficit explicatio; *e.*

2) Haec illuminatio est realis aliqua actio intellectus agentis, ac proinde aliquid reale producit, et quidem aut in phantasmate, aut in intellectu passibili; *a.* non in phantasmate (cfr. supra); si in intellectu : haec jam erit speciei impressio, et nihil aliud requiritur, et abundat explicatio; *e.*

Prob. min. 2 part. (*non transformatio*). 1) Phantasma nihil novi accepit ab intellectu agente, ac proin ipsum manet non mutatum; *a.* phantasmatis in se non mutati nequit repraesentatio esse transformata; *e.*

ad maj. cfr. supra.

ad min. a) Repraesentatio phantasmatis materialis manet etiam materialis, ac proinde rei singularis; — b) repraesentatio abstracti universalis est repraesentatio rei sine notis singularisantibus, ac proinde non materialis; *e.*

2) Phantasia cognoscit quidquid in phantasmate repraesentatur; *a.* secundum explicationem, in phantasmate illuminato repraesentatur abstractum universale; *e.* phantasia potest cognoscere universale abstractum, ac proinde perit discrimen essenziale inter phantasiam et intellectum, inter brutum et hominem.

Prob. min. 3 part. (non actio). Phantasma manet semper materiale, et in se non mutatum (cfr. supra); *e.* nequit causare speciem intelligibilem seipso perfectiorem.

Objic. Non phantasma repraesentans, sed natura universalis phantasmate illuminato repraesentata, efficit speciem sui; *e.* — *R. n. antec;* et *n. supp.* (esse haec duo distincta, nam cognitum in actu est cognoscens in actu).

Propositio 52.

Ad producendam speciem impressam intelligibilem nequit phantasma concurrere ut causa efficiens instrumentalis stricte dicta.

Stat. quaest. Explicant alii, Thomistae passim: a) Intellectus agens agit solum in phantasma, eoque utitur ut instrumento ad producendam speciem impressam intelligibilem; — b) phantasma igitur intellectu agente elevatum, per se attingit intellectum possibilem, in eoque speciem producit; — c) elevatur autem phantasma eo ipso quod intellectus agens coniungitur ei per quemdam virtutalem contactum, et ita sibi conjunctum movet, regit, virtutemque impertit ad efficiendam speciem; — d) quae conjunctio dici illuminatio phantasmatis potest (nomen hoc salvare volunt quia est apud S^m Thomam).

Notiones. *Causa instrumentalis* proprie dicitur illa quae propria efficientia concurrat ad producendum opus, sub ductu et in virtute alterius causae efficientis. — Unde sequitur effectui esse suo modo proportionatam causam instrumentalem.

Prob. Haec explicatio inducit actionem mediatam intellectus agentis, actionem immediatam phantasmatis materialis in facultatem immaterialem, et supponit phantasma habilitari ad hanc actionem ab intellectu agente; *a.* nec potest admitti haec actio immediata, nec potest ad eam habilitari phantasma; *e.*

Prob. min. 1 part. (actio immediata). Phantasma est materiale, extensum; *a.* repugnat aliquid materiale operari immediate, etsi instrumentaliter, vere efficienter in immateriale, et producere effectum immaterialem; *e.*

Prob. min. 2 part. (habilitatio). 1) Id fieret aut influendo phantasmati aliquid novi, virtutem, aut non; *a. si nihil* influitur, manet phantasma in se tam materiale et tam improportionatum quam antea erat; *si aliquid* influitur, hoc est aut materiale, et manet improportio; aut immateriale, et repugnat recipi in materiali phantasmate; *e.*

2) Si dicitur phantasma habilitari ad effectum immaterialem, sensus erit phantasma agere in virtute intellectus agentis; *a.* hoc nequit admitti; *e.*

ad min. Agere in virtute alterius est: vel a) ab altero compleri in virtute activa et applicari ad agendum; — vel b) ab altero suam virtutem agendi accepisse, vel etiam conservatam habere; — vel c) concurrente altero, seu cooperante, agere; — vel d) ab alio accidentaliter positum esse in actu primo proximo; — *a.* si phantasma dicitur agere in virtute intellectus agentis,

sensu a), vel b), vel d): mutatur phantasma intrinsecus, accipiendo realem novam virtutem spiritualem, quod nec possibile est, nec ab adversariis defenditur; si sensu c): manet tota difficultas inexplicata, quomodo phantasma materiale agat in intellectum immaterialem; *e.*

3) Si dicitur phantasma habilitari sensu latiori, sensus erit: ideo phantasma agere in intellectum patientem, quia phantasma est intime connexum cum intellectu agente, utpote in eodem principio (anima) radicum et subjectatum; — *a.* ex hoc sequeretur: a) phantasma materiale non mutatum agere efficienter immediate in aliam potentiam immaterialem, et producere effectum immaterialem; et manet inexplicata tota difficultas proposita! — b) inutilem esse ipsum intellectum agentem (nam ex eadem ratione erit eadem connexio phantasmatis cum ipso intellectu possibili, et proinde eadem elevatio, vel habilitatio); *e.*

Objic. In specie intelligibili distinguenda est entitas spiritualis, et vis repraesentativa objecti; *a.* prioris causa efficiens est intellectus agens, sed posterioris causa efficiens esse nequit nisi phantasma (quod notas essentielles repraesentat licet obvolutas conditionibus individuandis et materialibus); *e.* — *R. d. maj.* distingui possunt distinctione rationis, *c;* distinctione reali, *n.* — *c. d. min.* prioris, *c;* posterioris, i. e. totius sed sub posteriori respectu, *sd.* si rem ipsam objectivam efficienter attingere aliquali modo posset, *c;* si rem totam quantam nullo modo potest efficienter attingere, *n.* — *ad rat. add:* *d.* i. e. alias notas concretas materiales exhibet, *c;* i. e. essentielles notas intellectuales una cum aliis notis individuationis et materialitatis exhibet, ita ut jam praesupponantur abstractae et distinctae species immateriales a materialibus, *n.*

Propositio 53.

Ad producendam speciem impressam nequit concurrere phantasma ut mera causa exemplaris vel materialis.

Stat. quaest. 1) Alii (Suarez) explicant: a) Phantasma non concurrat tanquam *causa efficiens*, sive principalis, sive instrumentalis; ob rationes quibus usi sumus supra.

b) Nec concurrat tanquam *causa materialis*, i. e. ex qua efficiantur species intelligibiles; nam repugnat sensationem esse id ipsum quod immutetur in aliquid immateriale.

c) Nec concurrat tanquam *causa exemplaris*, i. e. ad cuius imitationem scienter et volenter agat causa efficiens; nam intellectus agens, qui est causa efficiens hic, non cognoscit phantasma, nec illud vult imitari.

d) Sed concurrat tanquam *causa quasi exemplaris* et *quasi materialis*, i. e. praebet repraesentationem rei, materialem quidem, ex qua abstrahantur notae intelligibiles, seu juxta quam repraesentetur, sed alio modo, intelligibili, eadem res.

e) Intellectus agens est *virtus adaequata*, i. e. sola causa efficiens, ad efficiendas species intelligibiles impressas earum rerum quas sensus exhibet.

f) *Excitatur* autem intellectus ad suam operationem solum propter mirum consensum, qui inter eum et phantasiam existit, vi utriusque radicationis in eodem subjecto, anima.

g) Eadem haec unica actio intellectus agentis variis nominibus vocatur: illuminare phantasma, rem facere intelligibilem, abstrahere speciem.

2) Ad majorem claritatem et complementum doctrinae, sint tres partes: a) phantasma non est causa materialis, — b) nec exemplaris, proprie dicta (quas partes Suarez non negaret), — c) phantasma non est causa materialis, nec exemplaris, improprie dicta, sensu Suareziano.

Prob. 1^a pars (*non materialis*). Phantasma esset materia, i. e. subjacens substratum, aut relate ad species intelligibiles, aut relate ad intellectum agentem; a. neutrum dici potest; e.

Prob. min. 1 part. (*ad ideas*). Deberent species in phantasmate ut in suo subjecto produci; a. 1) species non nisi in intellectu possibili recipiuntur, 2) species utpote accidentia spiritualia nequeunt recipi in phantasmate materiali; e.

Prob. min. 2 part. (*ad intellectum agentem*). Deberet in phantasmate residere intellectus agens ad modum formae sive inhaerentis, sive saltem informantis, i. e. intrinsece assistentis, ei se suamque virtutem communicantis; a. 1) nullo id modo admitti potest; 2) si admitteretur, jam phantasma fieret causa efficiens partialis immediata; e.

Prob. 2^a pars (*non exemplaris*). De notione causae exemplaris est ut cognoscatur ab efficiente causa; a. 1) si intellectus agens (causa efficiens cognosceret aliquid phantasmatis, jam praesupponerentur ideae de quarum origine quaeritur; 2) intellectus agens non est vis cognitiva; e.

Prob. 3^a pars (*non quasi materialis vel quasi exemplaris*). Sententia excludens omnem concursum efficientem phantasmatis: 1) logice ducit ad systema idearum innatarum; 2) non explicat facta experientiae explicanda; e.

Prob. ant. 1 part. (*ad ideas innatas*). Ut intellectus agens per se solum efficienter ideas in intellectu possibili producat, oportet praecontineat in sua virtute similitudines rerum intelligibilium; a. a) hae jam sunt species impressae, et proinde simplicius dicerentur in ipso intellectu possibili praecontineri; b) hoc est fundamentum idearum innatarum; e.

2) Acquisitio specierum ante intellectionem requiritur ut species compleant virtutem facultatis intellectivae; — a. a) si ad solam praesentiam phantasmatis potest facultas immaterialis (intellectus agens) agere, et b) si facultas haec adaequata virtute praecontinet similitudines omnes abstractas intelligibiles; — jam eodem jure et simplicius poterit a) ipse intellectus possibilis dici ad solam praesentiam phantasmatis agere, et b) praecontinere virtute similitudines omnes, quas actione sua immediate exprimat (i. e. faciat species expressas); — e. hoc systema inutiliter et sibi contradicendo adstruit intellectum agentem, et specierum novam acquisitionem.

Prob. antec. 2 part. (*non explicat facta*). Teste experientia: a) homo ab ortu suo caecus non cognoscit colorem, lucem, b) sine phantasmate homo non intelligit initio, c) nec etiam post primam intellectionem; — a. si intellectus agens virtute adaequata praecontinet omnes similitudines, non apparet: a) cur semel excitatus ad exercendum suum actum, non possit speciem imprimere aliam et aliam, b) cur non possit excitari per solos alios sensus externos, qui item radicanur in eodem subjecto, c) cur specie semel effecta non possit jam independenter uti intellectus; e.

Objic. Appetitus est totalis causa sui actus, a potentia cognitiva solum praesuppositive pendens; a. intellectus agens est etiam potentia non cognitiva; e. a pari est causa totalis sui actus, praesuppositive tantum pendens a potentia cognitiva. — R. d. maj. et movetur a bono cognito ut a fine, c; secus, n. — e. min. — n. cons. et par. (intellectus agens a nullo moveretur).

Propositio 54.

Ad producendam speciem impressam intelligibilem phantasma concurret causa efficiens instrumentalis latius dicta et mediata.

Stat. quaest. Aliam defendimus explicationem, non tamen a praecedenti Suareziana valde alienam, sed ejus potius magis explicitam declarationem, paucis emollitis dictionibus; nimirum:

1) Solus intellectus agens agit effective et immediate in intellectum possibilem.

2) Aliquomodo tamen effective concurrere debet etiam phantasma; ergo mediate, i. e. non in speciem vel in intellectum passibilem, sed in ipsum intellectum agentem influendo. Sed in hujus influxus natura exponenda invenitur tota difficultas, et manebit tandem aliqua mysteriosa obscuritas.

3) Intellectus agens, de se semper activus, ad agendum excitari non debet, neque haec est effectio phantasmatis; — sed ejus operatio de se indifferens, determinari debet ad certam aliquam speciem imprimendam, quae *terminativa* determinatio est effectio phantasmatis.

4) Non tamen est haec determinatio actio proprie dicta phantasmatis materialis in intellectum agentem spiritualem, quae repugnat; sed est mera aliqua modificatio *directiva* activitatis huic intellectui propriae, influxu quodam phantasmatis, non aliter explicabili nisi per connexionem intimam duarum facultatum, quae et in eodem uno principio sint radicatae ac subjectatae, et circa objectum idem repraesentandum suo quaeque modo versentur, et modum repraesentandi, licet essentialiter diversum, valde tamen affinem habeant.

5) Neque dicendum erit phantasma causa principalis efficiens et intellectus agens instrumentum ejus; nam virtus agendi tota est in intellectu agente spirituali; modificatio tantum, seu aliquis modus agendi, directio *terminativa* activitatis de se indeterminatae quoad terminum, est a phantasmate. Ergo potius phantasma est intellectus agentis instrumentum latiori aliquo sensu,

sicut baculus est senis instrumentum ad efficiendam ambulationem erectum corpus sustinens.

6) Munus ergo intellectus agentis est : pati aliquem influxum directivum a phantasmate in sua operatione propria; — efficere, secundum hanc phantasmatis directionem, in intellectu patiente speciem impressam quae sit spiritalis, et easdem notas ac phantasma repraesentet, sed spiritali modo, i. e. negligendo objecti materialitatem, singularitatem, praesentem existentiam, et similia. — Hoc sensu dici potest intellectus agens illuminare phantasma, i. e. illud intelligibile facere, vel abstrahere speciem intelligibilem a phantasmate.

Prob. Admittenda est explicatio quae 1) est intrinsece possibilis, 2) sufficiens ad explicanda facta, 3) nulli certo facto contradicens, 4) sola sufficiens; *a.* proposita explicatio talis est; *e.*

Prob. min. 1 part. (possibilis). Sola impossibilitas objici potest actionis sufficientis a phantasmate materiali in intellectum agentem immaterialem; *a.* haec actio qualis in explicatione proponitur nequit ostendi repugnare; *e.*

ad min. Repugnat quidem actio potentiae materialis quae directe attingat patientem spirituale, et operetur aliquid spirituale; sed nequit ostendi repugnantia alicujus influxus qui sit : *a)* realis quidem. — *b)* sed indirectus, per inhaesionem in unitate subjecti, per affinitatem objecti et modi operandi, — *c)* non producat novam realitatem aliquam spiritualem, sed modificationem tantum seu determinationem *terminativam* actionis de se jam determinatae ad existendum; — *a.* talis solum influxus proponitur; *e.*

Ad min. 2 et 3 part. (sufficiens et nulli facto contradicens). Patet ex ipsa expositione.

Ad min. 4 part. (sola sufficiens). Patet ex omnibus praecedentibus propositionibus.

Objic. Easdem ob causas posset phantasma, eodemque modo, attingere intellectum patientem modificandum, sine intellectu agente; *e.* etiam in hac explicatione inutiliter adstruitur intellectus agens. — *R. n. ant.* (in intellectu patiente debet produci effectus novus spiritalis : species impressa).

Coroll. 1^m Ergo sicut aestimativam diximus facultatem sensitivam et materialem quidem, sed quae attingeret limites spiritualitatis, rationes percipiens insensatas; ita intellectus agens dicendus erit facultas intellectualis et immaterialis quidem, sed quae attingat limites materialitatis, ducenda in operationibus suis a phantasmate, neque producere potens species impressas nisi a materiali cognitione abstractas; atque ita continuatur in humanae naturae unitate scala potentiarum.

Coroll. 2^m Ergo abstractio ad idearum universalitatem et immaterialitatem in repraesentando explicandam sufficit; scilicet ad universalitatem directam, non reflexam seu reduplicative cognitam.

Coroll. 3^m Ergo distinguenda est abstractio directa de qua hic, quae est imperfectio repraesentationis, ab abstractione reflexa, quae est magna perfectio et nonnisi post distinctam reflexionem haberi potest.

Propositio 55.

Intellectus agens et patiens realiter distinguuntur.

Prob. 1^o Potentiae diversificantur per actus et objecta; *a.* intellectus agentis actus est producere effective speciem impressam quae non est cognitio; et potentia est naturaliter de se determinata ad agendum; — intellectus patientis autem actus est producere effective speciem expressam quae est formaliter cognitio; et potentia est naturaliter non determinata ad agendum, sed determinari debet specie impressa; *e.*

Prob. 2^o Si intellectus agens et patiens essent una eadem potentia, nulla apparet ratio, cur intellectus determinatus ope phantasmatis (quo tandem cumque modo explicetur haec determinatio), non statim speciem expressam efficiat, sed debeat prius sibi speciem impressam formare; *e.* tolleretur necessitas intellectus agentis et speciei impressae.

Objic. 1^o Non sunt multiplicanda entia sine necessitate; *a.* nulla necessitas; *e.* — *R. c. maj.* — *n. min.* (cfr. argum.)

Objic. 2^o Intellectus agens distinctus a possibili esset omnino inutilis et otiosus in statu animae separatae a corpore; *e.* — *R. tr. ant.* — *n. cons.* (status praesentis vitae est homini naturalis, *e.* est ratio sufficiens cur illa facultas adsit).

Propositio 56.

In ordine directo et spontaneo cognitionis intellectualis, mens exorditur a conceptibus universalioribus seu maxime indeterminatis.

Stat. quaest. 1) Ex antea dictis liquet processum cognitionis *inchoativum* incipere a perceptione sensibili; quaeritur nunc de *explicativo*.

2) *In ordine directo et spontaneo*; nam in ordine reflexo, quo mens procedit per analysim scientificam et abstractionem reflexam, nonnisi ultimo ad universalissimam devenimus.

Prob. 1^o Teste experientia, primi ac directi mentis conceptus de aliqua re, sunt conceptus entis, rei, unius, substantiae, viventis, vel similes; *a.* isti conceptus sunt maxime indeterminati; *e.*

Ad maj. 1) Hoc testatur cuique sua conscientia; 2) rudes et pueri res maxime disparatas hac appellatione «rei» designant, quarum tamen aliunde nomina cognita habent; *a.* vocabula sunt signa manifestativa conceptuum; *e.*

Prob. 2^o Naturalis conditio intellectus est ut in cognoscendo transeat de potentia ad actum, de actibus imperfectis ad perfectiores; *a.* ita non esset, si a conceptibus determinatis inciperet intellectio; *e.*

Ad min. Conceptus determinati sunt perfectiores indeterminatis; *e.* ab illis ad hos transeundo intellectus potius transiret ab actu ad potentiam.

Coroll. 1^m Ergo idea *entis* efformatur a mente in primo objecto, quodcumque illud sit, quod ei sese objicit; nam haec nota : ens, aliquid, res,

est omnium imperfectissima et universalissima, et in omnibus objectis invenitur.

Coroll. 2^m Ergo mens efformat ideam *non entis* seu *negationis*, quum primum percepto aliquo ente, illud comparat cum alio quod non est ipsum.

Propositio 57.

Singularia corporea ut talia intellectus non directe sed per quamdam reflexionem in sensationem cognoscit.

Stat. quaest. 1) Non quaeritur utrum intellectus singularia cognoscat; nec quomodo, i. e. per speciem propriam an alienam, distincte an confuse; haec enim jam scimus, cfr. prop. 6. — Sed quoad processum explicativum, post propositionem praecedentem, quaeritur quomodo mens ad conceptum proprium et distinctum rei ut singularis et ut materialis perveniat.

2) *Per reflexionem quamdam* i. e. improprie dictam, quia intellectus redit in actum alterius facultatis ejusdem suppositi; estque haec reflexio vulgaris potius quam philosophica.

Prob. Non nisi per aliquam reflexionem potest intellectus percipere singularia materialia, ut talia; *a.* non per reflexionem ullam in intellectionem; *e.* in sensationem.

Prob. maj. Prima et directa mentis perceptione homo percipit conceptus maxime indeterminatos, universalissimos; *a.* conceptus singularium materialium, qua talium, sunt maxime determinati; *e.*

Prob. min. Per reflexionem in intellectionem directam perciperet solum id quod in hac intellectione directa repraesentabatur; *a.* repraesentabatur solum conceptus universalis; *e.*

Coroll. 1^m Ergo per reflexionem hanc debet objectum quod repraesentabatur actu directo, iterum attentius concipi, connotando simul factum sensationis ex qua fuit abstracta species intelligibilis, et qua exhibebantur sensibiles notae sensibiliter, ergo concrete materiales singulares.

Coroll. 2^m Ergo primus conceptus est *universalis* quatenus repraesentat talem naturam, non hanc; sed est *singularis* et *materialis* quatenus attendo ad ejus originem.

CAPUT II.

DE VOLUNTATE.

Alterta facultas vitae intellectualis est voluntas. De qua eodem ordine quo de intellectu vestigabimus. Ac primo quidem de ipsa ejus existentia nova quaestio non erit disputanda, post principium generale superiori libro expositum, ubi de appetitu sensitivo; quum enim omni formae respondeat appetitus proportionatus, etiam cognitioni intellectuali appetitus respondeat

oportet, ac proinde potentia quoque appetitiva elicitiva intellectualis, quae voluntas dicitur. Quaeremus igitur de voluntatis objecto proprio; deinde de voluntatis actibus et agendi modo, quae quaestio libertatis existentiam naturamque proponit scrutandam; postea libertatis objecta propria et extensionem conditionesque ac fundamenta inquiremus; ac tandem voluntatis libertatisque impedimenta, quae et quanta sint considerabimus. Sint ergo

Quaestio 1. De voluntatis objecto.

Quaestio 2. De actibus et libertate voluntatis.

Quaestio 3. De extensione et radice libertatis.

Quaestio 4. De impedimentis voluntatis et libertatis.

QUAESTIO 1.

De voluntatis objecto.

Propositio 58.

Objectum proportionatum voluntatis est omne ens, dummodo proponatur ut bonum.

Notiones. 1) *Voluntas* est potentia spiritualiter appetitiva boni, per actus sub directione rationis elicitos.

2) *Voluntas* sub diverso respectu est: vel *prosecutiva*, quatenus fertur in objectum, vel *aversiva*, quatenus ab eo refugit.

Stat. quaest. 1) Existentiam voluntatis in homine supponimus ut implicite probatam argumento generali propositione 49 libri IV, comparato cum propositione 1 hujus praesentis libri.

2) Dicimus objectum adaequatum voluntatis prosecutivae esse quidquid sub specie boni proponitur i. e. cognoscitur subjective, licet res percepta objective sit forsitan reapse mala.

Prob. 1^o Velle prout est tendere in aliquid sibi conjungendum, sub praevia cognitione rationis, non potest versari nisi circa objectum quod apprehendatur ut cum volente in unum aliquomodo veniens; *a.* quidquid convenit alicui est bonum ei; *e.*

Prob. 2^o Nihil potest agere sub directione cognitionis rationalis, i. e. propter finem cognitum, nisi versetur circa bonum saltem apparens; *a.* talis actio est propria voluntatis; *e.*

Ad maj. Quidquid agit propter finem cognitum, versatur vel circa finem cognitum, vel circa media cognita; *a.* primum est bonum honestum vel delectabile, alterum est bonum utile; *e.*

Objic. Illud potest esse objectum voluntatis ut prosequens, circa quod voluntas est libera; *a.* est libera circa bonum et malum etiam ut malum; *e.*—

R. d. maj. circa quod est libera libertate contrarietatis, *c.*; contradictionis *sd.* amoris et non amoris, *c.*; odii et non odii, *n.* — *c. d. min.*

est omnium imperfectissima et universalissima, et in omnibus objectis invenitur.

Coroll. 2^m Ergo mens efformat ideam *non entis* seu *negationis*, quum primum percepto aliquo ente, illud comparat cum alio quod non est ipsum.

Propositio 57.

Singularia corporea ut talia intellectus non directe sed per quamdam reflexionem in sensationem cognoscit.

Stat. quaest. 1) Non quaeritur utrum intellectus singularia cognoscat; nec quomodo, i. e. per speciem propriam an alienam, distincte an confuse; haec enim jam scimus, cfr. prop. 6. — Sed quoad processum explicativum, post propositionem praecedentem, quaeritur quomodo mens ad conceptum proprium et distinctum rei ut singularis et ut materialis perveniat.

2) *Per reflexionem quamdam* i. e. improprie dictam, quia intellectus redit in actum alterius facultatis ejusdem suppositi; estque haec reflexio vulgaris potius quam philosophica.

Prob. Non nisi per aliquam reflexionem potest intellectus percipere singularia materialia, ut talia; *a.* non per reflexionem ullam in intellectionem; *e.* in sensationem.

Prob. maj. Prima et directa mentis perceptione homo percipit conceptus maxime indeterminatos, universalissimos; *a.* conceptus singularium materialium, qua talium, sunt maxime determinati; *e.*

Prob. min. Per reflexionem in intellectionem directam perciperet solum id quod in hac intellectione directa repraesentabatur; *a.* repraesentabatur solum conceptus universalis; *e.*

Coroll. 1^m Ergo per reflexionem hanc debet objectum quod repraesentabatur actu directo, iterum attentius concipi, connotando simul factum sensationis ex qua fuit abstracta species intelligibilis, et qua exhibebantur sensibiles notae sensibiliter, ergo concrete materiales singulares.

Coroll. 2^m Ergo primus conceptus est *universalis* quatenus repraesentat talem naturam, non hanc; sed est *singularis* et *materialis* quatenus attendo ad ejus originem.

CAPUT II.

DE VOLUNTATE.

Alterta facultas vitae intellectualis est voluntas. De qua eodem ordine quo de intellectu vestigabimus. Ac primo quidem de ipsa ejus existentia nova quaestio non erit disputanda, post principium generale superiori libro expositum, ubi de appetitu sensitivo; quum enim omni formae respondeat appetitus proportionatus, etiam cognitioni intellectuali appetitus respondeat

oportet, ac proinde potentia quoque appetitiva elicitiva intellectualis, quae voluntas dicitur. Quaeremus igitur de voluntatis objecto proprio; deinde de voluntatis actibus et agendi modo, quae quaestio libertatis existentiam naturamque proponit scrutandam; postea libertatis objecta propria et extensionem conditionesque ac fundamenta inquiremus; ac tandem voluntatis libertatisque impedimenta, quae et quanta sint considerabimus. Sint ergo

Quaestio 1. De voluntatis objecto.

Quaestio 2. De actibus et libertate voluntatis.

Quaestio 3. De extensione et radice libertatis.

Quaestio 4. De impedimentis voluntatis et libertatis.

QUAESTIO 1.

De voluntatis objecto.

Propositio 58.

Objectum proportionatum voluntatis est omne ens, dummodo proponatur ut bonum.

Notiones. 1) *Voluntas* est potentia spiritualiter appetitiva boni, per actus sub directione rationis elicitos.

2) *Voluntas* sub diverso respectu est: vel *prosecutiva*, quatenus fertur in objectum, vel *aversiva*, quatenus ab eo refugit.

Stat. quaest. 1) Existentiam voluntatis in homine supponimus ut implicite probatam argumento generali propositione 49 libri IV, comparato cum propositione 1 hujus praesentis libri.

2) Dicimus objectum adaequatum voluntatis prosecutivae esse quidquid sub specie boni proponitur i. e. cognoscitur subjective, licet res percepta objective sit forsitan reapse mala.

Prob. 1^o Velle prout est tendere in aliquid sibi conjungendum, sub praevia cognitione rationis, non potest versari nisi circa objectum quod apprehendatur ut cum volente in unum aliquomodo veniens; *a.* quidquid convenit alicui est bonum ei; *e.*

Prob. 2^o Nihil potest agere sub directione cognitionis rationalis, i. e. propter finem cognitum, nisi versetur circa bonum saltem apparens; *a.* talis actio est propria voluntatis; *e.*

Ad maj. Quidquid agit propter finem cognitum, versatur vel circa finem cognitum, vel circa media cognita; *a.* primum est bonum honestum vel delectabile, alterum est bonum utile; *e.*

Objic. Illud potest esse objectum voluntatis ut prosequens, circa quod voluntas est libera; *a.* est libera circa bonum et malum etiam ut malum; *e.*—

R. d. maj. circa quod est libera libertate contrarietatis, *c.*; contradictionis *sd.* amoris et non amoris, *c.*; odii et non odii, *n.* — *c. d. min.*

Coroll. 1^m Ergo malum est objectum voluntatis non primario et per se, sed secundo et per aliud, nempe per bonum, cuius privatio facit rem non amabilem sed odibilem, et provocat non prosecutionem sed aversionem.

Coroll. 2^m Ergo intrinsece repugnat voluntatem esse majoris extensionis, vel majoris intensitatis quam cognitionem qua objectum proponatur, i. e. qua bonum percipiatur.

Coroll. 3^m Finis propter se intenditur, media propter finem; *e.* voluntas in finem tendens, qua talem, non in aliud tendit; sed in medium tendens, qua tale, semper per illud in finem tendit; ergo generatim voluntas in omni suo actu, in finem tendit.

Coroll. 4^m Actus voluntatis circa finem sunt *amor, desiderium, delectatio*; circa media sunt *electio, usus*. — Electio ex mediis ab intellectu propositis unum ceteris praefert; usus applicat varias hominis potentias ad operationes quae ad executionem necessariae sunt. — Hinc oritur altera divisio actuum voluntatis in *elicitos* qui ab ipsa voluntate immanenter in ipsa producuntur, et *imperatos* qui sub influxu voluntatis ab aliis potentiis, sive in illis immanenter, sive transeunter, producuntur.

Propositio 59.

Bonum appetitum est semper aliquomodo bonum appetentis.

Prob. 1^o Appetitus est inclinatio quaedam ad sui ipsius aliquomodo perfectionem; *a.* perfectio entis non est nisi per bonum ejus; *e.*

Ad maj. Appetitus, sicut omnes facultates et proprietates, est instrumentum naturae, ad hujus finem assequendum; *a.* finis naturae est ejus perfectio aliquomodo procuranda; *e.*

Prob. 2^o Bonum (honestum, delectabile, utile) quod appetimus, aut nobis (immediate aut mediate), aut aliis volumus; — *a. si nobis*, habetur intentum; — *si aliis*, id fit *a)* quia aliquo modo ad nos spectant, ut amici, propinqui, homines ejusdem nobiscum naturae, dignitatis, destinationis, — *b)* vel quia creaturae, seu entia aliquam nobiscum perfectionem participantia, — *c)* vel quia in ipso actu appetendi aliquam rationem boni proprii (utilitatis, delectationis, honestatis) invenimus; — quae omnia sunt aliquomodo nobis bona; *e.*

Coroll. 1^m Ergo in tantum aliquod bonum est appetibile, in quantum est bonum proportionatum appetentis. Unde licet ratio boni non respiciat hunc vel illum appetentem, ratio tamen ab hoc vel illo appetibilis includit quod bonum ejus sit.

Coroll. 2^m Ergo alius est amor *amicitiae* seu *benevolentiae*, alius amor *concupiscentiae*; nam motus amoris in duo tendit, scilicet in bonum quod quis vult alicui, sibi vel alii; et in illud cui vult bonum; ad prius habetur amor *concupiscentiae*, ad posterius habetur amor *amicitiae*. — Differunt eo quod amatum amore *amicitiae* simpliciter et propter se amatur, amatum amore *concupiscentiae* non simpliciter et propter se amatur sed amatur alteri.

Coroll. 3^m In voluntate non sunt sicut in appetitu sensibili, duae partes realiter distinguendae: concupiscibilis et irascibilis, nam: potentia quae ordinatur ad aliquod objectum secundum universalem rationem, non diversificatur secundum differentias speciales sub illa ratione contentas; potentia autem quae ordinatur ad objectum non universale sed concretum particulare, diversificatur secundum has differentias concretas; *a.* voluntas respicit bonum universale, quale potest ab intellectu percipi et proponi; sensitivus autem appetitus respicit bonum concretum particulare, quale solum potest a sensu proponi; *e.* in voluntate una est facultas, sicut in intellectu una est facultas, non sicut plures facultates apprehensivae sensibiles.

Coroll. 4^m Objectum bonum pro voluntate easdem varietates habet ac pro appetitu sensitivo, ergo etiam similes actuum varietates voluntatis enumerandae sunt. Attamen hi vocandi actus potius quam passiones, quia jam passivam materialem immutationem non dicunt, sed meram actionem vitalem.

QUAESTIO 2.

De actibus et libertate voluntatis.

Propositio 60.

Voluntati repugnat actus caecus, et actus coactus, sed non repugnat actus necessarius.

Stat. quaest. 1) Quaeritur qualis sit voluntatis actus, seu qualis sit voluntas in agendo. Ex qua responsione concludendum postea erit ad naturam voluntatis.

2) Agitur hic solum de actu ipso *immanenter elicto* voluntatis; non vero de actu *imperato*, i. e. quem hic et nunc voluntas imperat sed alia facultas exercet; nec generatim de actu *imperabili*, i. e. quem posset voluntas imperare ab alia facultate exercendum.

Notiones. 1) *Actus caecus*: qui exerceatur sine ductu cognitionis proportionatae objecti boni, i. e. quo voluntas bonum ignotum amaret.

2) Quid sint actus *coactus, violentus, necessarius, spontaneus*, omnino nunc recolendum est ex ontologia, propos. 56.

3) *Necessitas interna* est determinatio ad unum aliquod agendum, innata vi ipsius naturae agentis. — Non tamen dicitur talem actum semper et ubique continenter fore exercendum; sed solum pro data occasione, seu proposito objecto, jam non posse facultatem non agere certum hunc actum.

Prob. 1^a pars (*repugnat caecus*). Essentiale actui voluntatis est, ut sit expansio, tendentia subjecti versus bonum propositum sibi uniendum; *a.* expandere se, tendere versus bonum voluntas nequit sine ductu cognitionis proportionatae; *e.*

Prob. maj. Voluntas est appetitus, rationalis quidem, sed appetitus, elicivus

sui actus; *a.* appetitus aliter concipi nequit quam ut expansio et tendentia versus objectum; *e.*

Prob. min. Ut voluntas tendat ad objectum, expandat se versus illud, debet ad suum actum sollicitari; quod fiet aut ab objecto prout materialiter existit, aut ab objecto prout per cognitionem proponitur; *a.* nequit voluntas sollicitari ab objecto prout materialiter existit; *e.*

ad min. Objectum prout materialiter existit: 1) saepe non est ante actum, sed ex actu fit (finis efficiendus), 2) etiamsi ante actum est, non conjungitur ullo modo cum potentia appetitiva, et proinde non influit, nec allicit.

Prob. 2^a pars (repugnat coactus). Si ad actum eliciendum voluntas cogi posset, idem simul vellet et nollet; *a.* hoc repugnat; *e.*

Ad maj. Actus elicited est volitio cujusdam objecti; *a.* coactio dicit inclinationem voluntatis ad oppositum, i. e. nolitionem ejusdem objecti; *e.*

Prob. 3^a pars (non repugnat necessarius). Necessitas est interna determinatio ad unum; *a.* interna determinatio ad unum neque quoad exercitium voluntatis, neque quoad specificationem actus repugnat; *e.*

Ad min. 1 part. (quoad exercitium). Actus qui a voluntate elicitur, sive haec sit determinata ad unum ab intra, sive non, erit tamen a voluntate elicitus, seu voluntarius; *e.*

Ad min. 2 part. (quoad specificationem). Actus qui a voluntate elicitur, etiamsi haec ab intrinseco sit ad agendum determinata, potest ab objecto ut cognito ab intellectu specificationem accipere; — *vel* etiamsi ab intrinseco esset voluntas determinata ad ipsam specificationem actus, nondum sequeretur actum non a voluntate elici, seu non esse voluntarium; *e.*

Propositio 61.

Humana voluntas in praesenti vitae statu praedita est vera libertate indifferentiae.

Stat. quaest. 1) In praecedentibus dictum est actum voluntatis ab extra cogi non posse, ab intra necessitari posse. — Jam addimus, de facto tamen eum non semper ab intra necessitari, etiam sufficienter proposito objecto bono. — Abstrahimus autem ab amplitudine hujus libertatis, seu a quaestione circa quaenam objecta sit an non sit vere libera voluntas; sed solum factum affirmamus, immunitatem a necessitate intrinseca, seu ab interna determinatione ad unum, quae vocatur *libertas indifferentiae*.

2) Ingens hodie turba libertatem indifferentiae homini abnegat: a) *Materialistae* solam materiam ejusque varias compositiones motusque agnoscentes, subjectum ipsum libertatis tollunt, merasque series phaenomenorum naturalium seu physicorum admittunt; aliqui etiam causalitatem aliquam mechanicam, et principium causalitatis; sed contrariam huic fore libertatem addunt.

b) *Pantheistae* omnes actiones totamque generis humani historiam non

secus ac physici mundi explicationem ex spontanea et necessaria evolutione sui Entis (Dei) derivant.

c) Alii necessitatem repetunt ex *necessitate intellectus*, cujus judicia: « hoc esse bonum, malum, faciendum, vitandum, » sunt necessaria, voluntatem autem sequi necessario judicia intellectus.

d) *Janseniani* docent animam intellectivam, si per se spectetur, esse quidem liberam, sed in praesenti statu post peccatum originale lapsa, trahi cum necessitate *concupiscentiis appetitus sensitivi* ad malum.

Prob. 1^o Teste lucida, firma, constanti, ineluctabili conscientia, qua clarior et evidentior nulla alia est, ita plura bona eligimus ut ea possimus velle et nolle, haec vel illa seligere, rejecta amplecti, electa respuere; *a.* haec sunt elementa sufficientia verae libertatis indifferentiae; *e.*

Ad maj. Haec constant 1) *in genere*: omnes homines naturalem et gravem sentiunt inclinationem ad talem independentiam, et ad vitam ex propriae voluntatis decreto instituendam.

2) *In praecedentibus electionem*: intellectus quaedam apprehendit eligibilia, alia ut necessaria, alia ut non necessario eligenda; sentimus in rebus gravioribus adhibendam esse consultationem et deliberationem, ne imprudenter agamus, in levioribus ridiculam fore; in ipsa deliberatione sentimus nos rationes bonorum ponderare, ut in unam partem potius quam in aliam inclinemur.

3) *In ipsa electione*: distinguimus actus liberos a necessariis, v. e. nos non posse odisse nostram felicitatem; sed dum malum facimus, nos posse virtutem exercere; sentimus; si quando in ipsa deliberatione pro neutra parte graviores rationes praeponderant, nos alterum eligere solum quia volumus.

4) *In subsequentibus electionem*: apprehendimus imputabilitatem actuum liberorum, non imputabilitatem necessariorum, remorsus animi de improba actione, laetitiam de proba.

Prob. 2^o Communi consensu omnibus hominibus persuasio est insita, homines esse liberos; *a.* talis persuasio falsa esse nequit; *e.*

Ad maj. 1) Apud omnes gentes sunt notiones justae et injustae, meriti et demeriti, juris et officii, obligationis moralis et legis naturae; omnes utuntur legibus, hortationibus et precibus, laudibus et reprehensionibus, praemiis et poenis; *a.* haec omnia praesupponunt libertatem; *e.*

2) Ipsi illi qui libertatem theoretice negant, practice tum quoad seipsos tum circa alios homines aestimant et agunt sicut ceteri omnes; *e.*

Ad min. Haec persuasio est fundamentum necessarium omnis moralitatis et ordinis socialis.

Objic. 1^o Voluntas se determinat necessario, si dum se determinat, non potest se non determinare; *a.* ita est; *e.* — *R. d. maj.* si sensu diviso non potest, *e.*; si sensu composito non potest, *n.* — *c. d. min.* (aliis verbis *d. maj.* si necessitate antecedente, i. e. ante suam determinationem, non potest simul, *c.*; si necessitate consequente, i. e. post suam determinationem, non potest simul, *n.*).

Objic. 2° Voluntas utpote causa secunda, non agit nisi vi motionis a causa prima : Deo; *e.* non libere. — *R. d. ant.* motionis antecedentis et necessitantis, *n;* simultaneae et hypothetice concurrentis, *c.*

Objic. 3° Omnes actus creaturae sunt a Deo praesciti et decreti; *a.* quod Deus ab aeterno praescivit et decrevit, nequit esse indifferens; *e.* — *R. d. maj.* praesciti consequenter, et decreti conditionate, *c;* praesciti antecederent, et decreti absolute et necessitanter, *n.* — *c. d. min.*

Objic. 4° Constat experientia nos per concupiscentiam ferri ad agendum directe contra voluntatis inclinationem rationalem; *e.* non libere. — *R. d. ant.* in actibus non imputabilibus, *c;* in actibus a voluntate pendentibus, *sd.* ita ut tamen voluntas resistere possit, licet majore difficultate, *c;* secus, *n.*

Objic. 5° Voluntas, sicut omnis facultas, necessitatur a suo objecto; *e.* non libere illud eligit. — *R. d. antec.* objecto formali, i. e. bono in communi, *c;* materiali, i. e. bono particulari, *sd.* si adaequat objectum formale, *c;* secus, *n.* (cfr. infra de extensione libertatis).

Objic. 6° Voluntas a principio externo, i. e. objecto, moveri debet, ut actu velit; *e.* ab alio, non a se determinatur; *e.* non libere. — *Prob. antec.* 1) est axioma receptum : omne quod movetur ab alio movetur; — 2) voluntas ex se est indifferens ad diversa, sicut intellectus; — 3) secus ratio volitionis esset ipsa volitio : volo quia volo; *a.* hoc est absurdum; *e.*

R. d. antec. debet aliquomodo allici, *c;* necessario trahi, *n.*

Ad 1) d. omne non liberum, *c;* et voluntas, *sd.* si supponitur non libera, *c;* secus, *n.*

Ad 2) d. indifferentia mere passiva, *n;* activa positiva, *c.* (cfr. infra).

Ad 3) d. maj. ipsa volitio sola, *n;* cum objecto proposito, ut alliciente, *c.*

Objic. 7° Duo bona apprehenduntur aut ut aequalia, aut ut inaequalia; *a.* si prius, neutrum potest eligi; si posterius, majus necessario eligitur; *e.*

Prob. min. quoad 1^m. Motiva opposita se elidunt; *e.* si voluntas eligeret, sine motivo ageret.

Quoad 2^m. 1) Voluntas non eligit nisi quod magis placet; *a.* hoc est majus bonum; *e.* — 2) bonum minus quod boni majoris assecutionem impedit est verum malum; *e.* voluntas illud eligens malum eligeret.

R. c. maj. — *n. min.*

Ad prob. quoad 1^m. n. ant. (sunt sub diversis respectibus).

Quoad 2^m ad 1) d. eligit quod deliberate praeplacet (i. e. eligit quod eligit), *c;* quod indeliberate praeplacet (i. e. quod necessario amatur), *n. supp.* (hoc ipsum erat probandum).

Ad 2) d. ant. est malum respectu unius finis particularis, *c;* alterius (et ultimi), *n.*

Objic. 8° Libertas ex experientia non probatur; nam : 1) libertas est indifferentia ad actum; *a.* non hanc, sed actum testatur experientia; — 2) testatur solum nos habere libertatis ideam (nos ipsos liberos credere); — 3) etiam somniantes sibi liberi videntur; — 4) si lapidi cadenti imprimeretur cognitio

sui motus, et desiderium desursum tendendi, crederet se ipsum se movere; *e.* a pari.

R. n. ass. — *ad prob. 1) c. maj.* — *n. min.*

Ad 2) n. et n. supp. (posse aliunde talem ideam haberi).

Ad 3) d. habent repraesentationem actuum liberorum, *c;* habent actus et ipsam eorum repraesentationem eodem modo quo vigilantes, *n.*

Ad 4) n. antec. (sentiret ad summum se non coactione vel violentia, vi tamen externa non sua trahi, sicut qui lectica fertur).

Objic. 9° Praemia, poenae, laus, exhortatio, etc. etiam brutis animantibus adhibentur; *e.* haec nihil probant. — *R. d.* proprie dicta, *n;* improprie dicta, i. e. media ad associanda phantasmata, *c.*

Propositio 62.

Sola voluntas est formaliter libera.

Stat. quaest. 1) Quaeritur quodnam sit *subjectum proximum* libertatis, seu quaenam facultas libertate propria donata sit; — *subjectum remotum* seu *radicale* libertatis est ipse homo, i. e. suppositum quod potentiis suis agit.

2) Putat *Durandus*, tum intellectum tum voluntatem esse formaliter, i. e. intrinsicus in eliciendo suo proprio actu, libera; imo intellectum perfectius quam voluntatem. — Putat *Possevinus* solum intellectum esse formaliter liberum, quum ipsius sit voluntatem determinare et ducere.

3) Docet *Locke* voluntatem esse solum facultatem qua una actio alteri praeferi possit; libertatem autem esse facultatem a voluntate distinctam, nempe facultatem agendi juxta mentis electionem (unde concludit quaestionem, «utrum voluntas libera sit» ridiculam esse); erit ergo juxta eum libertas aliqua potentia executiva.

4) Sint ergo tres partes probandae : a) non intellectum, b) non potentiam aliquam executivam, c) sed ipsam voluntatem esse formaliter liberam.

Prob. 1^a pars (non intellectus). Si intellectus esset formaliter liber, posset idem objectum affirmare sibi, et negare, et non percipere; — *a.* 1) intellectus per se sibi affirmat solum id quod evidens ei est, idque sibi negare nequit; — 2) circa id quod non evidenter videt, non potest sibi affirmare seu percipere nisi hoc : se non percipere; manetque intellectus per se suspensus donec aut melius proponatur objectum, aut voluntas interveniat inclinans illum in unam partem; *e.*

Prob. 2^a pars (non potentia executiva). 1° Si libertas esset formaliter in potentia executiva, nulla esset moralitas in actibus voluntatis praecedentibus, v. c. electionibus, desideriis, etc; *a.* hoc est absurdum; *e.*

Ad maj. Moralitas praesupponit libertatem, in eaque fundatur.

Prob. 2° Si tota libertas hominis revocatur ad facultatem agendi juxta voluntatem, debet voluntas supponi aut interna necessitate determinata ad unum, aut non; — *a. si prius* : confunditur libertas extrinseca a coactione

quoad actus imperabiles, cum libertate intrinseca a necessitate quoad actus elicitos, et sequitur : a) solam externam coactionem vel violentiam esse libertati formali contrariam; b) hominem quoties nulla violentia impeditur, externas suas actiones efficere eadem necessitate naturali qua lapides et plantas; et hanc ejus esse libertatem dicendam! — *si posterius* supponitur : jam non in executiva facultate est libertas indifferentiae, sed in praecedente voluntate; *e*.

Prob. 3^a pars (sed ipsa voluntas). Facultas formaliter libera est facultas electiva; *a*. electio mediorum pertinet ad eandem facultatem atque intentio finis, i. e. ad voluntatem; *e*.

Ad maj. Exercitium formale libertatis consistit in praefereendo unum medium ex pluribus mediis quae ut varie apta ad finem proponuntur; vel in negligendo omne medium quod non ut necessario connexum cum fine necessario (ultimo) appareat.

Ad min. Intentio finis est inclinatio efficax ad finem assequendum, i. e. ad bonum; *a*. inclinatio ad bonum ut finem, implicitam habet inclinationem virtualem ad media ut bona; *e*. explicitam hanc inclinationem, i. e. electionem alicujus medii particularis eadem habebit facultas, quae intensionem finis.

Objic. 1^o Potentiae rationalis proprium est esse liberam; *e*. quo perfectius rationalis erit, eo perfectius libera; *a*. intellectus est perfectius rationalis quam voluntas; *e*. — *R. d. ant.* potentiae rationalis appetitivae, *c*; cognitivae, *sd.* esse liberam radicaliter, *c*; formaliter, *n*.

Objic. 2^o Libertas est et dicitur liberum arbitrium; *a*. arbitrium hujus est, cujus est arbitrari seu judicare, i. e. intellectus; *e*. intellectus est saltem parziale subjectum libertatis. — *R. c. maj.* — *d. min.* si arbitrium intelligitur sententia vel judicium, *c*; si electio secundum judicium, *n*. — *d. cons.* intellectus requiritur in eodem supposito ubi sit libertas, *c*; intellectus est ipsa facultas formaliter libera, *n*.

Objic. 3^o Ille non est liber qui non facit quod vult; *a*. non voluntas facit quod vult sed alia facultas executiva; *e*. — *R. d. maj.* non est liber a coactione, i. e. quoad executionem, *c*; non a necessitate, i. e. quoad intensionem et electionem, *n*; — *c. d. min.*

Coroll. 1^m Ergo libertas proprie dicta dici potest libertas indifferentiae, vel libertas electionis vel liberum arbitrium.

Coroll. 2^m Ergo triplex potest distingui libertas indifferentiae : 1) *contradictionis*, seu *exercitii*, i. e. electio inter duo contradictoria, v. c. agere, non agere, 2) *contrarietatis*, i. e. electio inter duos actus contrarios, v. c. idem objectum amare, odisse; 3) *specificationis*, i. e. inter actus specie diversos, v. c. ambulare, studere, canere, edere.

Coroll. 3^m Ad actum liberum concurrunt : 1) *inclinatio naturalis* voluntatis, seu intentio, implicita in omnibus, finis ultimi; — 2) *deliberatio* seu propositio ab intellectu, plurium mediorum varie aptorum; — 3) *electio* alicu-

jus medii prae reliquis, ab ipsa voluntate; — 4) *executio*. plerumque enim actus eligitur aliquis faciendus ab aliqua potentia sub influxu voluntatis.

Coroll. 4^m Ex his quatuor, solum tertium est formaliter exercitium libertatis, nam *primum* est necessarium, non liberum; *secundum* est praesuppositum in intellectu; *quartum* est effectus sequens in aliis facultatibus; *tertium* solum est independens, et ab ipsa agente voluntate elicitum.

Coroll. 5^m Ergo non realiter distinguitur exercitium elicitum voluntatis seu ipse actus volendi, ab exercitio formali libertatis, seu determinatione propria independente voluntatis; sed distinguitur connotative tantum; nam exercitium formale libertatis debet realiter in eo exercitio voluntatis consistere, quod ita a voluntate dependet ut voluntas possit illud habere vel non habere pro suo nutu; *a*. ita dependet a voluntate ipsum exercitium voluntatis, seu, quod idem est, ipse actus volendi elicitus, scilicet electio; *e*. — Differt autem exercitium formale libertatis ab exercitio voluntatis connotative, seu ratione tantum, nam posterius dicit tantum voluntatis activitatem, abstrahendo ab ejus independentia seu non necessitate, quam illud prius expresse dicit.

Propositio 63.

Ad veram libertatem arbitrii requiritur sed non sufficit indifferentia objectiva.

Stat. quaest. 1) Incipit quaestio contra Thomistas disputanda : quatenam sit intima essentia libertatis, seu quatenam indifferentia essentialiter requiratur ad libertatem.

2) In hac quaestione nec verborum usus constans est, nec videntur semper fuisse ideae clarae apud omnes. Distincti fiant conceptus. — Est ergo : indifferentia — — proprietates opposita antecedenti determinationi ad unum;

qua potentia perinde se habet ad plura, ad quorum singula flecti potest.

objectiva — — judicii, si objectum a mente repraesentatur ut indifferens, i. e. sub ratione diversa boni et mali.

subjectiva — — voluntatis, si proposito objecto, manet indifferens, i. e. potest ad illud inclinari vel non inclinari.

passiva — — quatenus potest inclinari, ita ut consideretur haec inclinatio tanquam potentiae passivae actus.

activa — — si potest ita inclinari ut haec inclinatio sit etiam ejus tanquam potentiae activae actus elicitus.

negativa : si ita, ut potentia activa ad hunc suum actum eliciendum, ab alio praedeterminetur agente superiore.

positiva : si ita, ut potentia activa ad hunc suum actum eliciendum, a nullo alio praedeterminata, se solam determinet, sitque domina sui actus.

3) Requiritur indifferentiam objectivam nemo negat, nec polemicè proponitur, sed dogmaticè potius exponitur. — Sed hanc solam indifferentiam sufficere contendit Bannez, definitque actum liberum: «actum voluntatis cum iudicio rationis indifferente elicito.»

Prob. 1^a pars (requiritur). Ad veram libertatem requiritur ut objectum formale proponatur tale ut non per se jam determinet voluntatem ad unum; *a.* tale objectum nequit proponi nisi per iudicium indifferens; *e.*

Ad maj. Si facultas jam ab ipso objecto suo ad unum actum determinatur, hunc actum cum necessitate, non cum libertate exercet.

Prob. 2^a pars (non sufficit). Si solum iudicium intellectus esset indifferens, supponeretur voluntas intrinsecus necessitata de se ad unum; *a.* sic perit conceptus veræ libertatis indifferentiæ; *e.*

Ad min. Formalis libertas est non in intellectu, sed in sola voluntate; *a.* libera voluntas nequit dici quæ non intrinsecè indifferens ad utrumque oppositorum est, etiamsi facultatis vicinæ, i. e. intellectus, sit actus objective indifferens; *e.*

Propositio 64.

Ad veram libertatem arbitrii requiritur sed non sufficit indifferentia subjectiva passiva.

Stat. quaest. 1) Ex præcedenti propositione, non sufficit indifferentia objectiva; ergo requiritur subjectiva aliqua; neque hoc jam amplius est probandum; sed quaerimus qualis subjectiva requiratur.

2) Alii Thomistæ, pauci tamen, posteriores quam Bannez, Molinistis concedebant requiri subjectivam; sed eam distinguentes, passivam dicebant sufficere; quam ita explicabant ut voluntas humana de se indifferens sit recipere vel non recipere inclinationem ad objectum bonum propositum; quam inclinationem si accipiat, ad modum passionis, a Deo ut causa efficiente, sit determinata voluntas ad unum actum.

Prob. (non sufficit). 1^o Libertas indifferentiæ est propria voluntatis; *a.* indifferentia subjectiva passiva non est propria voluntatis, sed omnis potentia est ita indifferens ad suum actum; *e.*

Prob. 2^o Potentia passive tantum indifferens non determinat seipsam, sed patitur suam determinationem ab alio; *a.* libertas vera est facultas determinandi seipsam; *e.*

Propositio 65.

Ad veram libertatem arbitrii requiritur indifferentia subjectiva activa non negativa sed positiva.

Stat. quaest. 1) Ex præcedenti propositione non sufficit indifferentia subjectiva passiva, sed requiritur activa; quod jam non est probandum; sed quaeritur qualis activa.

2) Thomistæ recentiores Molinistis jam concedunt activam requiri, sed

subdistinguunt negativam, quæ requiratur et sufficiat, et positivam quæ nec requiratur, nec sit intrinsecè possibilis, quum absolute requiratur prædeterminatio physica voluntatis ad unum, a Deo data.

3) Prædeterminatio, seu præmotio physica definitur a Thomistis: «qualitas aliqua realis et fluens, antecedenter ad actionem liberam, a Deo voluntati creatæ immissa, et in voluntate recepta, quam voluntas creata nec sibi dare nec datam recusare potest, quæ intrinsecè ac necessario nexu ita coniungitur cum actione, ut metaphysicè repugnet sine ea fieri actum, cum ea actum non fieri a voluntate.»

4) Dicunt ergo *indifferentiam activam*, quia voluntas, proposito etiam sufficienter objecto, de se sit indifferens ad transeundum in actum vel non, et quidem in actum active eliciendum; sed addunt: «*negativam*,» quia hæc potentia sic active indifferens, negative se habeat ad actum unum determinatum, debeatque positive a Deo præmoveri physice ad unum, ac tum demum ipsa efficienter, immanenter, actura sit suum actum; explicantque amplius: voluntatem a Deo prædeterminari ad actum non quocumque modo, sed modo naturæ humanæ proportionato, nempe ad actum liberum, non ad actum qualemcumque.

5) Contra hos est propositionis nostræ sensus: *a)* præmotionem physicam neque requiri, neque salvo libertatis conceptu admitti posse; — *b)* neque sufficere ad veram libertatem talem indifferentiam *activam negativam*; — *c)* sed requiri indifferentiam *activam positivam*, qua, proposito sufficienter objecto, possit voluntas vi propria seipsam determinare ad unum, i. e. transire in actum, vel non, vel in alium actum.

Prob. 1^o Ad ordinem moralem, v. e. imputabilitatem (teste sensu communi hominum), nihil videtur referre, utrum homo intrinsecus seu ex natura facultatis, an extrinsecus seu a principio prædeterminante determinetur, si ipsum usum suæ facultatis seu utramque indifferentiæ partem non habet in sua potestate; *a.* ex determinatione naturali tolleretur libertas; *e.* a pari ex prædeterminatione extrinseca tolleretur libertas.

Prob. 2^o Voluntas prædeterminata, sua actione licet vitali et voluntaria, nihil aliud faceret nisi id quod ex præmotione recepta inimpebiliter et infallibiliter consequeretur; *a.* qui de nulla re, de nullo modo rei, disponere potest nisi ad nutum alterius, non est liber; *e.*

Prob. 3^o Voluntas ex communi hominum conceptu non intelligitur operari cum libertate indifferentiæ nisi operetur cum expedita potestate non operandi; *a.* cum indifferentia negativa tantum, voluntas esset aut impedita ab agendo per non-præmotionem, aut impedita a non agendo per præmotionem; *e.* nunquam expedita simul ad utrumque, ac proinde nunquam vere in potentia proxima ad utrumque, sed tantum in potentia remota ad utrumque; ac proinde nunquam vere libera.

Coroll. Ergo liberum arbitrium intelligi debet facultas quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere vel non agere, ita ut cum

omnibus praerequisitis ad propriam voluntatis determinationem, possit carentia actus componi.

Propositio 66.

Ad veram libertatem arbitrii non requiritur indifferentia ad bene vel male agendum, quae potius ad imperfectionem subjecti liberi spectat.

Prob. 1° De conceptu potentiae ad bonum ordinatae non est quod deflectat ad malum; *a.* sicut intellectus ad verum, sic voluntas ordinatur ad bonum; *e.* solum per accidens ex defectu deflectit ad malum.

Prob. 2° Sicut intellectus deducit conclusiones ex praemissis, ita voluntas eligit media ad finem; *a.* de conceptu intellectus non est, neque ejus perfectio, sed imperfectio est, quod praepostere inferat falsam conclusionem; *e.* a pari quod voluntas eligat mala media.

Coroll. Ergo liberum arbitrium essentialiter est vis electiva mediorum ad finem (ultimum); ejus perfectio est ut servetur rectus ordo mediorum ad finem; ejus defectus est ut declinet a recto et vero ordine ad falsum aliquem apparentem ordinem.

Propositio 67.

Ad veram libertatem arbitrii non requiritur subjectiva mutabilitas voluntatis, quae potius ad imperfectionem subjecti liberi spectat.

Stat. quaest. 1) Quaeri potest utrum de essentia libertatis sit capacitas illa quam teste experientia nos homines habemus, mutandi voluntatem, ita ut: *a.* circa idem objectum nunc velimus, nunc nolimus; *b.* ex variis objectis nunc unum, nunc aliud velimus.

2) Distinguenda est haec facultas quatenus objective vel subjective spectatur:

a.) Mutabilitas objectiva voluntatis est facultas volendi ut non semper idem objectum sit, vel ut non semper eodem modo sit; quae successio et mutatio objectorum non repugnat uno voluntatis decreto intendi et eligi.

b.) Mutabilitas subjectiva voluntatis est facultas mutandi suum decretum et electionem, ita ut quae objecta fuerant electa, jam nova electione rejiciantur; quae successio et mutatio electionum evidenter non nisi pluribus voluntatis actibus fieri potest.

3) Concedimus mutabilitatem objectivam voluntatis esse de essentia libertatis, neque hoc videtur probandum. Sed negamus de mutabilitate subjectiva.

Prob. Voluntas libera essentiali conceptu illa est, quae in suum actum habet expeditum dominium, i. e. quae in operando unum, habet expeditam potestatem non agendi, vel aliud agendi; *a.* in tali conceptu non includitur essentialiter potestas mutandi suam electionem in aliam electionem subjectivam; *e.*

Prob. min. Concipi potest prima electio: 1) aut talis ut non omnem objectivum eventum, vel non omnes objectivas eventuum conditiones et possibili-

tates praevidens, elegerit unum mediorum ordinem ad finem ultimum, postea mutandum nova electione: *a.)* sive propter novam cognitionem, *b.)* sive propter solum voluntatis beneplacitum;

2) aut talis ut omnia praevidens, decreto ad omnia sufficienti, ordinem unum mediorum aptum elegerit, jam non alia electione mutandum: *a.)* sive propterea quod nulla cognitio accessura sit, *b.)* sive propterea quod voluntas semel determinata jam non possit in aliam determinationem transire;

atqui: in prima est quidem mutabilitas subjectiva, sed quae *a.)* sive ex defectu cognitionis, *b.)* sive ex defectu firmitatis voluntatis oritur;—*in secunda* est quidem immutabilitas subjectiva, sed actus electionis fuit ita effectus ut potuisset aequae expedite aliud eligi, essetque in eligendo voluntas domina sui actus, ac poinde vere libera; *e.*

Coroll. Ergo quoties voluntas per plures successivos actus particularia successiva bona eligit, haec voluntas ut libera sit debet subjective mutabilis esse; sed si qua voluntas (divina) uno actu aeterno totam seriem bonorum particularium eligit, haec ut libera sit non debet subjective mutabilis esse, sed eligit cum pleno dominio suae electionis.

Propositio 68.

Ad exercitium libertatis sufficit iudicium speculativum, non requiritur iudicium practicum.

Notiones. *Judicium speculativum*, i. e. actus mentis quo res apprehensa sub ratione boni et mali voluntati proponitur ut appetibilis vel respuibilis, v. c. « hoc est eligibile; » est ergo iudicium particulare terminatum ad solam cognitionem.

Judicium practicum, i. e. actus mentis quo *res cum motivis* apprehensa proponitur ut eligenda, vel ut non eligenda reduplicative, v. c. « hoc est eligendum; » est ergo iudicium particulare sed alliciens voluntatem.

Stat. quaest. Contra Bellarminum et Sanseverino, dicimus cum Suarez, sufficere iudicium speculativum ut voluntas habeat motivum quo determinare se possit. Sufficere iudicium practicum non est probandum, cum nec negetur ab ullo, nec requiri aliud iudicium amplius possit.

Prob. Voluntas fit expedita ad agendum, propositione objecti sub ratione boni vel mali cogniti; *a.* iudicio speculativo voluntati proponitur objectum sub ratione boni vel mali cognitum; *e.*

Objic. 1° Voluntas non potest ferri nisi in objectum cognitum; *a.* cognitio requisita deest sine iudicio practico; *e.* — **Prob. min.** Voluntas debet hic et nunc velle seu eligere; *a.* solo iudicio practico objectum ut hic et nunc eligendum proponitur; *e.* — **R. c. maj.** — **n. min.** — **ad prob: c. maj;** — **c. min;** — **n. supp.** (non sufficere ut objectum proponatur ut eligibile, sed requiri ut proponatur ut hic et nunc eligendum).

Objic. 2° Objectum voluntatis est ens prout est bonum; *a.* proprium

intellectus speculativi est sola apprehensio veri; *e.* — *R. c. maj.*; — *n. min.* vel *d. min.* i. e. intellectus apprehendit tantum *v. c.* hanc rem esse vere hanc rem, *n.*; apprehendit *v. c.* hanc rem esse vere magnam, *bonam*, utilem, futuram, etc, *c.*

Propositio 69.

Voluntas, posito etiam ultimo iudicio practico, remanet libera sive quoad exercitium, sive quoad specificationem actus.

Stat. quaest. 1) Bellarminus et Sanseverino cum Thomistis docent voluntatem non solum motivum electionis a iudicio practico accipere, sed etiam determinationem necessariam; dicendam tamen esse liberam, quia iudicium illud sit a voluntate libera imperatum, contemplationem exclusivam motivorum unius partis imperante.

2) Contra hos sint duae probandae partes: a) de facto, etiam posito iudicio ultimo practico, voluntatem esse liberam; b) theoretice, si posito tali iudicio voluntas esset determinata, jam non explicari ejus libertatem ab adversariis, sed potius destrui.

Prob. 1^a pars (de facto). Teste experientia, ultimo iudicio practico posito, homines bonum ab eo propositum respuunt, etiam reflexe agnoscentes ac sibi exprobrantes mali electionem; *a.* id non fieret si voluntas ab illo iudicio determinatur; *e.*

Ad maj. «Video meliora proboque, deteriora sequor.»

Prob. 2^a pars (theoretice). 1^o Voluntas in imperando contemplationem hanc exclusivam, aut libera est, aut non; *a.* neutro casu salvatur libertas voluntatis, si haec contemplatio requiritur; *e.*

Prob. min. 1 part. (si libera). Ad hunc ipsum actum voluntatis imperantis praerequeretur novum iudicium practicum; quod iterum erit aut liberum, aut non; *a.* si liberum, redit argumentum in infinitum; si non liberum, perit libertas voluntatis; *e.*

Prob. min. 2 part. (si non libera). Iudicium imperatum non erit liberum, neque extrinsece (imperatum a facultate non libera), neque intrinsece (elicium a facultate non libera); *a.* sic ruit libertas voluntatis; *e.*

Prob. 2^o Absurdum est dicere iudicium practicum determinare voluntatem et ab ea determinari; *a.* ad hoc reducit doctrina adversariorum; *e.*

Objic. 1^o Voluntas in suum objectum tendit secundum ordinem rationis; *a.* ultimum iudicium practicum est determinatum (i. e. intellectus hoc unum, et jam non illud vel aliud, esse faciendum decernit); *e.* — *R. d. maj.* rationis ordinantis seu illuminantis, *c.*; imperantis seu necessitantis, *n.* — *c. min.* — *d. par. cons.*

Objic. 2^o Si voluntas remaneret libera, seu iudicio practico non determinaretur, homo absque ratione ageret. — *R. d.* absque ratione et motivo, *n.*; contra rectam rationem, sed cum motivo aliquo opposito rationis saltem apparente, *c.*

Objic. 3^o Vulgatum est axioma: nullum esse peccatum in voluntate sine errore in intellectu; et omnem peccantem esse ignorantem; *a.* si voluntas non determinatur iudicio practico, posset esse peccatum sine errore vel ignorantia; *e.* — *R. d. maj.* sine errore vel ignorantia invincibili, *n.*; vincibili, orto ex imprudentia et temeritate, *c.* (cfr. logic.) — *c. d. min.*

Coroll. Ergo cognitio intellectus per se et vi propria non influit physice efficienter in actum voluntatis; influit quidem moraliter, alliciendo, dirigendo.

QUAESTIO 3.

De extensione et radice libertatis.

Propositio 70.

Nec bonum in genere, nec beatitudo indeterminate sumpta, nec media ad eam quae appareant ut necessario connexa, electioni subjiciuntur.

Stat. quaest. Quaeritur circa quae objecta sit libera voluntas, seu eligere possit, quae vero ex necessitate appetit.

Notiones. 1) *Bonum in genere*, seu bonum in communi, est res habens notam boni, sed indeterminate, i. e. abstrahendo ab omni alia nota mala, et ab omni modo bonitatis (finitae vel infinitae, hujus vel alterius speciei).

2) *Beatitudo* est bonum perfectum facultatibus subjecti omni ex parte satisfaciens. — *Indeterminate sumpta* est bonum abstrahendo a modo et gradu quo satisfaciatur facultatibus; — *determinate sumpta* est objectum concrete sumptum quod et quatenus satisfaciatur.

3) Bonum in genere et beatitudo indeterminata realiter idem sunt, ratione tantum distincta.

Prob. 1^a pars (bonum in genere). Nulla potentia potest esse indifferens, nec proinde libera, quoad rationem formalem secundum quam in omne suum objectum tendit; *a.* 1) ratio formalis secundum quam voluntas tendit in objectum, est bonum; et 2) in bono in genere nihil exhibetur nisi ratio boni; *e.*

Prob. maj. Inclinatio in rationem formalem sequitur ex natura (essentia) potentiae; *a.* indifferentia contradictorie opponitur inclinationi; *e.*

Prob. min. 1 part. Ex prop. 58, 59, objectum voluntatis non est nisi bonum, et quidem bonum appetentis.

Prob. min. 2 part. Ex notione boni in genere.

Prob. 2^a pars (beatitudo indeterminate). Id ad quod appetendum habetur determinatio ex ipsa natura proveniens, non subjacet electioni; *a.* ad beatitudinem indeterminate sumptam, habetur determinatio ex ipsa natura voluntatis; *e.*

Ad maj. Libera electio est aliquid naturae superadditum; *e.* ubi ex natura, ibi non libera electio.

Ad min. Homo destinatur ad beatitudinem ut ad finem suum ultimum

(intrinsicum, seu ad bonum et perfectionem suam ultimam (cfr. ontolog., cosmolog., ethic.); *a.* destinatio naturalis dicit determinationem in ipsa natura; *e.*

Prob. 3^a pars (*media necessaria*). Intrinsicè contradictoria esset voluntas quae simul ad finem inclinaretur, et a mediis cum fine necessario connexis averteretur; *e.*

Ad antec. Medium quod ab intellectu apprehenditur ut necessarium ad finem, proponitur voluntati ut concretum initium consequendi finis, seu ut quasi pars initialis hujus finis; *e.*

Coroll. Voluntatis, quoad finem ultimum seu beatitudinem, caret quidem libertate contrarietatis ac specificationis, i. e. nequit odisse, vel negligere, vel aliud praeferre; sed non cogitur finem ultimum indesinenter amare, sicut de illo potest intellectus non semper cogitare.

Propositio 71.

Bonum infinitum, ubi intuitivè cognoscitur, necessario diligitur; sed in praesenti vita ejus dilectio electioni subjacet.

Prob. 1^a pars (*intuitive*). Bonum infinitum cognitum ut est in se (intuitive), nullam continet rationem mali; *a.* tale bonum necessitat voluntatem; *e.*

Ad min. Electio non concipitur nisi aut ubi idem objectum sit simul aliquo saltem modo bonum (appetibile) et malum (odibile); aut ubi duo bona proponantur quorum utrumque aliquam bonitatem habeat, qua alteri praeferrì possit; *a.* bono quod nullam continet rationem mali, nullum aliud comparari vel praeferrì potest; *e.*

Prob. 2^a pars (*in praesenti vita*). Bonum infinitum, Deus, prout a nobis nunc cognoscitur: 1) non apparet ut satisfaciens omnibus potentiis nostris, 2) sed apparet ut nonnisi difficile obtinendum; *e.*

Propositio 72.

Bona determinata omnia, dummodo ut media cum beatitudine contingenter connexa proponantur, electioni subjacent.

Prob. Id non necessario amat voluntas, quod ei sub qualicumque ratione exhibetur ut malum; *a.* bona determinata omnia sub aliquo saltem respectu apparent ut mala; *e.*

Ad maj. Homo potest mentem figere in objectum, potius ut inconveniens quam ut bonum; *a.* voluntas necessario trahitur tantum a bono qua tali, non qua malo; *e.*

Propositio 73.

Electio non fertur necessario in id quod ut melius apprehenditur.

Stat. quaest. 1) Constat experientia, voluntatem posse eligere id quod secundum se et absolute minus bonum est; neque de hoc quaeritur. — Sed

quum objectum formale voluntatis sit bonum apprehensum, quaeritur num voluntas possit eligere id quod ut minus aut solum ut aequale bonum percipitur.

2) *Leibnitz* censet voluntatem necessario adhaerere majori bono apprehenso, ac haerere inter duo bona ut perfecte aequalia apprehensa. — Libertatem vero definit potestatem deliberationem circa motiva instituendi, oblata motiva minus considerandi, ea a mente avertendi, novaque inquirendi.

Prob. 1^o Si volitio esset necessario boni quod ut melius proponitur, jam voluntas esset determinata ad unum; *a.* sic perit libertas; *e.*

Prob. 2^o Ipsum judicium, aliquid ut melius proponens, aut est necessarium, aut liberum; *a.* in hypothesi adversariorum neutrum teneri potest; *e.*

Ad min. 1 part. Si necessarium, perit omnis libertas!

Ad 2 part. Si liberum: aut habitum est hoc ipsum judicium ut melius, antequam poneretur, aut non; *a.* si prius, redit quaestio in infinitum; si posterius, hoc judicium liberum est actus non determinatus apprehensione boni melioris, quod repugnat hypothesi; *e.*

Coroll. 1^m Ergo voluntas potest rejicere melius ut eligat minus bonum; at tunc minus bonum non formaliter ratione minoritatis boni eligitur, nempe ratione privationis boni, seu mali; sed ratione suae bonitatis quam tamen habet, licet minor haec sit quam alia.

Coroll. 2^m Ergo inter duo bona perfecte aequalia (quae si unquam, certe rarissime inveniuntur) voluntas eligere potest.

Coroll. 3^m Quandoque arbitrium determinatur ad melius, non vi objecti, sed prioris intentionis, v. c. antecedentis volitionis melius eligendi.

Objic. 1^o Voluntas non movetur nisi ex rationibus objectivis; ideoque ex parte ipsius boni voliti assignari debet ratio sufficiens cur voluntas illud prae alio eligat; *a.* talis ratio nequit esse nisi quod bonum volitum apparet esse majus quam cetera; *e.* — *R. d. maj. 1 part.* non movetur, i. e. non determinatur nisi, *n*; i. e. non allicitur nisi, *e*; — *d. maj. 2 part.* assignari debet ratio sufficiens determinans, *n*; alliciens, *c*; — *c. d. min.* ratio alliciens, *n*; determinans, *tr*; sed *n. supp.*

Objic. 2^o Bonum minus quod boni majoris assecutionem impedit, verum malum est; *a.* voluntas nequit appetere malum; *e.* — *R. d. maj.* est secundum se, seu absolute malum, *n*; est respective malum, *c*; — *c. d. min.*

Objic. 3^o Voluntas eligit quod magis placet; *e.* — *R. d.* quod deliberate magis placet, *c*; quod indeliberate, *n*.

Propositio 74.

Voluntas movet, ad modum agentis, intellectum et potentias sensitivas.

Stat. quaest. 1) In praecedentibus dictum est de extensione libertatis quoad objecta eligenda et appetenda; nunc de extensione quoad influxum voluntatis in alias potentias exercendum.

2) Dupliciter potest aliquid aliquam potentiam movere : a) *ad modum finis*, i. e. agentem excitando et alliciendo per cognitionem; sic intellectus in actu (seu intellectum in actu, objectum) movet voluntatem; b) *ad modum agentis*, i. e. physice impellendo et ad exercitium applicando, atque ad objectum hoc potius quam illud dirigendo.

3) Nullam in propositione dicimus motionem virium vegetativarum, nam experientia satis constat in eas nullum esse voluntatis imperium.

Prob. Teste experientia : 1) saepissime ad nutum voluntatis liberum, aliae potentiae, praeter vegetativas, applicantur ad actum vel ab eo cessant, ad varia objecta diriguntur vel ab eis avertuntur, v. c. membra locomotiva, visus, auditus, phantasia, memoria, ratio, contemplationis attentio; — 2) circa eodem actus habent homines praecepta, monita, praemia, poenas; ac proin eos habent ut imperatos a libera voluntatis electione; *e.*

Propositio 75.

Imperium rationis et voluntatis in appetitum sensitivum non est despoticum sed politicum.

Notiones. *Imperium despoticum* illud est cui resistere et praeter quod agere inferior non potest, quia nihil proprium habet quo agat.

Imperium politicum est cui resistere et praeter quod agere inferior potest, quia etsi regimini superioris subditur, habet tamen aliquid proprium quo agat et renitatur.

Prob. Appetitus sensitivus subditur quidem voluntati rationali, ab eoque dirigi et aliquando etiam impediri potest; attamen habet ipse quo agat et renitatur, v. c. variam dispositionem organorum, inclinationem naturalem cognitione sensitiva excitatam, etc; *a.* ista sunt elementa imperii politici, non despotici; *e.*

Ad maj. Teste propria cujusque experientia, saepissime ratio et voluntas imperat, appetitus sensitivus cedit, at non sine lucta : unde saepe etiam ratio sensui cedit.

Coroll. 1^m Ergo motio in appetitu sensitivo crescere potest : ex perfectione cognitione boni vel mali ex parte rationis; — 2) ex majore affectione vel aversione ex parte voluntatis; — 3) ex meliore complexione corporali; — 4) ex habitu, v. c. virtutis, appetitum sensitivum rationi subjiciente.

Coroll. 2^m Ergo appetitus sensitivus in homine per participationem est rationalis, liber, virtutis capax.

Propositio 76.

Radix propinquior libertatis est intellectus universalitas in judicando de omnibus rebus, etiam reflexe de suo judicio.

Stat. quaest. 1) Dictum est de extensione libertatis quoad objecta eli-

genda et quoad imperium exercendum : — jam de eadem quoad ontologicæ praesupponendas radices et causas ex quibus oriatur.

2) Quia voluntas subjectum libertatis est, dici potest aliquo sensu ejusdem radix; at non hoc sensu nos in propositione. Quaerimus nempe de causa seu principio ontologico ex quo a priori deduci possit libertas.

3) Dicimus, sicut generatim virtute cognitiva boni exigitur virtus appetitiva boni, ita virtutis cognitivae universalitate, seu intellectualitate, exigi virtutis appetitivae indifferentiam activam positivam, seu libertatem.

Prob. Universalitas intellectus apparet si considerantur : 1) natura bonorum ab eo cognitorum; — 2) modus quo illa proponit et dijudicat; — 3) modus quo ipse homo volens, suum intellectum, suumque statum, operationes, conditiones cognoscit; — *a.* ex his tribus proxime, i. e. immediate, sequitur indifferentia voluntatis; *e.*

Ad maj. 1 part. (natura bonorum). Multa bona sunt nobis adiaphora, alia nobis saltem non necessaria, plura inter se repugnant, v. c. studium et oratio, honestas caritatis et delectatio vindictae, alia connexa sunt cum malo.

Ad maj. 2 part. (modus proponendi). Intellectus discernit propriam rationem finis et mediorum; utilitatem et incommodum pro praesenti et pro futuro, pro fine nostro ultimo; necessitatem aliorum, contingentiam aliorum mediorum, sive ad fines secundarios, sive ad finem ultimum.

Ad maj. 3 part. (modus seipsum cognoscendi). Homo ita in seipsum reflectens cognoscit quid in se aptum sit ad finem possidendum, quid recte ordinatum ad eum prosequendum et obtinendum.

Ad min. 1) Talibus cognitionibus proponuntur multa objecta ut non necessario appetenda, sed ut indifferenter eligibilia; et propriae actiones, status, operationes, motus, ut varia bona eligibilia, ac disponibilia per proprias subjecti vires ad fines obtinendos; *e.* ut virtus appetitiva sit virtuti cognitivae correspondens, exigitur ejus libertas indifferentiae.

2) Ratio cur appetitus brutorum non liber sit, est quod eorum cognitio non exhibet plura ut plura, et ut varie apta ad finem, et ut separabilia ac eligibilia; sed exhibet solam praesentem concretam bonitatem sine comparatione ad alia media diversa, nec ipsum aliquem finem ut contingenter connexum cum fine ultimo, sed tantum ut hic et nunc delectabilem; *e.* ex opposito, ratio cur appetitus hominis sit liber, est quod talia cognitione exhibentur.

Propositio 77.

Radix remotior libertatis est immaterialitas seu spiritualitas intellectus, et voluntatis.

Prob. Ad veram libertatem requiritur : 1) iudicium objective indifferens, 2) facultas subjective indifferens, 3) activa positiva virtus seipsum determinandi ad unum; — *a.* haec omnia tandem fundantur in immaterialitate intellectus et voluntatis; *e.*

Ad min. 1 part. Judicium ideo est indifferens, quia intellectus plura concipit ut plura, ut opposita, etc. (cfr. supra); a. tales conceptus nequeunt in potentia materiali haberi, sed solum in immateriali quae possit abstracta et universalia attingere; e.

Ad min. 2 part. Voluntas ideo tantum est indifferens, quia universalis et abstracta objecta proponuntur, et quia objecta abstracta, sub variis respectibus proposita allicere simul eam possunt; a. talia proponi et allicere nequeunt, nisi potentia sit a conditionibus materiae libera; e.

Ad min. 3 part. Determinare seipsum active positive non nisi ejus est, qui 1) in seipsum reflectens potest seipsum suosque actus, status, etc. comparare cum fine et mediis, eorumque aptitudine; et qui 2) simul ita dominus est sui actus, ut omnino independens in agendo sit a proposito objecto; — a. 1) ita reflectere, comparare judicia, nequit intellectus nisi quia immaterialis; 2) ita independens ab objecto esse nequit voluntas, nisi quia independens et ab objecto in seipso, et ab effectibus objecti in organismo proprio productis, i. e. quia spiritualis; e.

QUAESTIO 4.

De impedimentis voluntatis et libertatis.

Actus volendi et libertatis usus potest impossibilis vel saltem difficilis fieri, sive ex parte intellectus praelucens, sive ex parte appetitus sensitivi excitati et voluntati renitentis, sive ex parte ipsius voluntatis habitu ac consuetudine ad unum inclinatae. De his singulis impedimentis, quid et quantum possint, ordine suo exponendum.

Propositio 78.

Omnis ignorantia actualis impedit volitionem actualem et liberam quoad objectum vel objecti respectum ignotum.

Stat. quaest. 1) A parte intellectus dicimus statum ignorantiae, undecumque illa proveniat, et qualiscumque sit (vincibilis vel invincibilis, antecedens vel concomitans...), semper esse impedimentum tale ut id quod ignoratur, sive obtineatur, sive non, debeat dici simpliciter actu non volitum.

2) Distinguenda haec propositio est ab iis quae disseri solent in ethica, de voluntario et involuntario ex ignorantia. Nam in morali quaeritur de voluntario, lato et improprio sensu, i. e. de imputabilitate actuum eorumque effectuum, et responsabilitate agentis, propter liberum usum voluntatis in actu praecedente quo causas praevidere, effectus cavere poterat ac debebat, vel non. — Nos autem de voluntario actu ut physice elicitio circa objectum hic et nunc.

Prob. Voluntati repugnat actus caecus (seu : ignoti nulla cupido); a. circa objectum quod actu ignoratur, vel saltem sub quo respectu ignoratur, actus esset caecus; e.

Schol. Quaeritur utrum dubium, vel suspicio, impediunt voluntatem. — R. Non impediunt, nam in illis cognitio est quae voluntati praelucere possit; licet haec cognitio firma non sit sicut in certitudine; in ethica quaeritur quid cum dubio volenti imputabile sit.

Propositio 79.

Passiones prosecutivae boni, augent voluntarium, sed minuunt liberum actus in quem ipsae influunt.

Stat. quaest. 1) A parte appetitus sensitivi distinguimus passiones prosecutivas boni, scilicet in concupiscibili : amorem, gaudium, desiderium; in irascibili : spem, audaciam; — et passiones aversativas mali, scilicet in concupiscibili : odium, tristitiam, fugam; in irascibili : iram, desperationem, timorem.

2) Agitur hic de passionibus *antecedentibus*, i. e. quae antevertant omnem liberum voluntatis consensum; et hae influunt in actum voluntatis; non agitur de passionibus *consequentibus*, i. e. quae a voluntatis libero consensu excitantur; istae enim non in actum voluntatis influunt, sed potius sunt ejus effectus imperati vel permissi.

Prob. 1^a pars (augent voluntarium). Id auget voluntarium, quod auget, i. e. intensiorem facit, inclinationem voluntatis in actum; a. passiones prosecutivae boni, id faciunt; e.

Prob. min. Excitato appetitu sensitivo, ita disponitur intellectus ut objectum sensibile proponat ut magis delectabile et alliciens, quam alias fecisset; a. ita et voluntas magis in idem objectum inclinatur; e.

Prob. 2^a pars (minuunt liberum). Id minuit liberum, quod minuit indifferentiam positivam saltem contradictionis; a. passiones prosecutivae boni, eam minuunt; e.

Prob. min. Passiones intellectum aliquo modo ligant (influxu indirecto) in consideratione delectabilitatis, et avertunt ab aliis considerationibus, v. c. inhonesti; e. minuunt indifferentiam judicii, ac proinde libertatem.

Objc. Passiones minuunt cognitionem intellectualem; e. minuunt voluntarium. — R. d. ant. sub omni respectu, n; sub aliquo, v. c. honesti, sub quo voluntati hic et nunc non proponitur objectum, dum auget sub alio, v. c. delectabilis, sub quo hic et nunc proponitur objectum, e.

Propositio 80.

Passiones aversativae mali non tollunt quidem, sed minuunt tum voluntarium, tum liberum actus quo ad bonum oppositum tendit voluntas, et in quem influunt.

Stat. quaest. 1) Agitur iterum de passionibus antecedentibus, non de consequentibus, nec de mere concomitantibus.

2) Neque agitur de casu quo passio vehementior usum rationis impediret, quod per accidens evenit.

Prob. 1^a pars (*non tollunt*). Id quod spectatis omnibus adjunctis, voluntas hic et nunc eligit, est voluntarium et liberum; *a.* bonum oppositum ex aversione mali oppositi ita eligitur; *e.*

Prob. 2^a pars (*minuunt voluntarium*). Quoties in actum electionis vere influit aversio a malo, bonum oppositum non eligeretur nisi videretur medium ad vitandum malum; *a.* quod ita eligitur, de se non multum allicit nec valide inclinatum retinet voluntatem; *e.* minore intusitate hoc bonum amplectitur voluntas propter aversionem mali oppositi, quam si illud amplecteretur propter ipsam ejus bonitatem.

Prob. 3^a pars (*minuunt liberum*). Passiones illae minuunt indifferentiam iudicii; *e.*

Propositio 81.

Omnes et solae potentiae vitales subjectum habituum esse possunt. Entibus tamen intelligentibus solis competit habitus in se efformare.

Stat. quaest. 1) Aliud genus impedimentorum vel adjumentorum voluntatis sunt habitus.

2) Habitus est constans inclinatio ad similes actus reproducendos, naturali facultati superaddita. Explicantur verba: *inclinatio*, quia actum faciliat; — *constans*: ita distinguitur ab actu vitali non permanente; — *ad similes actus*, non ad primos ponendos dans facultatem, sed reproductionem facilitans; — *superaddita*: non est ipsa potentia, sed ejus inclinatio ad certos actus, ad quos vi potentiae non magis quam ad alios subjectum determinaretur.

3) Habitus naturaliter producit per actus iterationem; estque principium actionis sequentis, quod ipsa actio praecedens gignit, et per quod eadem actio deinceps producit perfectior, i. e. facilior, promptior, intensior.

4) Habitus est vera permanens qualitas, perficiens subjectum in ordine ad operationem, et proin dicens respectum et ad naturam entis et ad actum.

5) Habitus est qualitas positiva, realiter distincta a remotione impedimentorum; scilicet adest aliquid novi realiter acquisitum.

6) Habitus est subsidium quoddam naturaliter additum vi determinandi operationes entis, ad earum exercitium promptius et expeditius faciendum; unde ab Aristotele definitur: «dispositio perfecti (= potentiae completae) ad optimum (= actum perfecto modo ponendum).»

7) Habitus praesupponit in subjecto aliquam indeterminationem in sua activitate naturali.

8) Habitus, licet non sit peculiaris facultas, earum imitatur modum agendi, et assumit proprietates earum magis minusve pro vi quam ipse adeptus est.

Prob. 1^a pars (*solae potentiae, non substantia*). Ibi solum est facultas agendi (habitus) ubi est posse agere; *a.* posse agere est potentiae non substantiae per se; *e.*

Prob. 2^a pars (*omnes et solae vitales*). Ut facultas possit habitum recipere requiritur et sufficit ut sit aliquatenus indeterminata; *a.* omnes et solae vitales potentiae sunt indeterminatae; *e.*

Ad min. Necessario agentia nunquam dicuntur assuefieri; praedicamus vero habitum (saltem analogice) etiam de animalibus et plantis, idque ad exprimendum factum verum experientiae: crescentem facilitatem ad determinatos actus repetendos; *e.*

Prob. 3^a pars (*intelligenti soli competit*). In seipso formare habitum est sibi ipsi dare aliquam inclinationem praeter determinationem naturalem; *a.* hoc sine interno actu dominio fieri nequit; *e.* non sine libertate et intellectu.

Coroll. 1^m Ergo habitus eo magis proprie ad facultatem pertinet quo magis haec est ad agendum indeterminata; ergo maxime proprie homini, et in homine maxime liberae voluntati competit.

Coroll. 2^m Ergo habitus stricto sensu sunt solius hominis; in aliis viventibus solum participati, quatenus ab homine inducti.

Coroll. 3^m Ergo tot sunt in homine habituum species, quot facultates; imo pro diversitate objectorum plures habitus in una potentia esse possunt.— Dividuntur generatim in physicos et morales.

Coroll. 4^m *Natura non assuescit in contrarium.*

Propositio 82.

Habitus stricte dictus auget voluntarium, sed minuit liberum actus qui ex illo procedit.

Notiones. *Habitus stricte dictus* est qui aliquo modo, tum quoad originem, tum quoad usum, ab imperio voluntatis pendet.

Prob 1^a pars (*auget voluntarium*). Voluntarii elementa sunt: cognitio rationalis, et tendentia voluntatis; *a.* per habitum cognitio non minuitur et propensio augetur; *e.*

Ad min. 1) Praevia cognitio manet, nam agimus de actu humano, i. e. qui vere a voluntate procedat sive elicitive sive imperative, non de mero actu hominis, i. e. qui nullo modo a voluntate pendeat sed eam praevertat; — 2) etiam deliberatio manet, licet facilior et promptior; — 3) augetur propensio: ex ipsa definitione habitus.

Prob. 2^a pars (*minuit liberum*). Per ipsum propensionis augmentum minuitur, non tamen tollitur indifferentia iudicii, et proin voluntatis, quoad actualem ejus determinationem; *e.*

Schol. Licet per habitum minuatur libertas actualis, non tamen minuitur responsabilitas agentis ex habitu, seu imputabilitas actus; nam et ipse habitus fuit libere contractus, et ejus effectus praevideri poterant ac debebant; unde dicuntur libere voliti in causa.

Coroll. 1^m Ergo habitus est altera natura : analogice; i. e. inclinatur potentiam ad unum, est internum principium operationum, licet non primum.

Coroll. 2^m Habitus generati signum est delectatio.

Coroll. 3^m Habitu utimur quum volumus.

SECTIO II.

De principio vitae intellectivae.

Post longam et minutam omnium humanarum operationum atque facultatum proprietatumque analysim, tempus est ut ex effectibus ad causam, ex potentiis ad naturam concludendam facientes gradum, de animae humanae existentia et essentia quaestiones varias solvamus, sive animam in seipsa inspiciamus, sive in sua relatione ad corpus humanum, sive ejus originem et immortalem vitam futuram considerare velimus. Sint ergo

Caput 1. De natura animae in se spectatae.

Caput 2. De natura animae relate ad corpus.

Caput 3. De origine animae.

Caput 4. De animae immortalitate et vita futura.

CAPUT I.

DE NATURA ANIMAE IN SE SPECTATAE.

Propositio 83.

Existit in homine principium vitale, essentialiter a corpore distinctum, quod anima vocatur.

Stat. quaest. Contra materialistas docentes praeter corpus ejusque materiam nihil existere; quod explicant a) vel *mechanice*, omnia reducentes ad meras atomos earumque motus varios; — b) vel *dynamice*, omnia reducentes ad atomos earumque naturales vires mechanicas, physicas, chemicas; — c) vel *physiologicæ*, omnia reducentes ad materialem organismum.

Prob. 1^o Sunt in homine 1) facultates immateriales: intellectus et voluntas, 2) facultates vegetativae et sensitivae; a. hae facultates supponunt existentiam principii vitalis essentialiter a corpore distincti; e.

Ad min. 1) Facultates immateriales aut in seipsis subsistunt, et jam sunt principium de quo quaeritur; aut in alio inhaerent, et hoc aliud est principium eis proportionatum, quale corpus materiale esse non potest.

2) De facultatibus sensitivis et vegetativis eadem recurrunt argumenta ac de brutis et plantis (cfr. organolog.).

Prob. 2^o Si nulla esset hominis anima, sed omnes ejus actus ad materiae vibrationes, etc. reducerentur, nullum esset discrimen inter liberum et neces-

sarium, inter bonum et malum morale, inter meritum et injuriam; a. hoc, teste sensu communi, est absurdum; e.

Objic. 1^o Utcumque ope anatomiae investigata sint omnia hominis interiora, nunquam experimentaliter, neque reflexione deprehendi potuit anima, quae sit distincta a corpore. — R. d. distincta ut corpus separatum, vel ut spiritus separatus, c; ut forma unita corpori, sd. non visu inventa est vel tactu, c; non ratione necessario deducta, n.

Objic. 2^o Recedente anima destruitur harmonia partium corporis; e. anima est ipsa harmonia. — R. a) *tr. ant.* — n. *cons.* — b) *retorq.* e. ab anima conservatur harmonia, seu anima ut causa est distincta ab harmonia.

Objic. 3^o Quod gignitur, crescit, viget, senescit cum corpore, hoc est vel corpus vel aliquid corporis; a. anima simul cum corpore crescit, viget, senescit; e. — R. d. *maj.* quod in se..., c; quod in operatione sua..., sd. quod ab intrinseco..., c; quod ab extrinseco..., n. — c. d. *min.*

Propositio 84.

Anima rationalis non est accidens corporis, sed substantia.

Stat. quaest. 1) Contra alios quosdam materialistas docentes animam rationalem non esse nisi modificationem seu accidens corporis.

2) Nondum inquirimus: a) utrum una an plures distinctae in homine sint animae rationalis, sensitiva et vegetalis, — b) qualis sit animae rationalis gradus subsistentiae; — sed eam dicimus substantiam quatenus distinguitur ab accidente, i. e. ens quod naturaliter existit, vel potest saltem existere, sine subjecto informationis; abstrahimus ergo a notione substantiae completae vel incompletae.

Prob. Illud est substantia (i. e. ens in se subsistens, non necessario in corpore) quod est ultimum principium operationum a corpore independentium; a. anima rationalis talis est; e.

Ad min. Sunt in homine operationes independentes a corpore; a. omnis operatio supponit aliquod ultimum principium a quo procedat; e.

Objic. 1^o Illud dependet a materia quod habet operationes dependentes a materia; a. anima tales habet; e. — R. d. *maj.* quod non habet nisi dependentes, c; quod praeterea independentes, n. — c. d. *min.*

Inst. Eodem jure quo ex independentibus, possum ex dependentibus concludere. — R. d. possum concludere principium non esse minus perfectum quam operatio est, c; non esse magis perfectum, sd. si hanc solam habet, e; secus, n.

Objic. 2^o Actiones sunt suppositorum; a. anima non est suppositum; e. de ea nihil concludendum. — R. d. *maj.* denominative (i. e. ut a principio quod), c; effective (i. e. ut a principio quo), n. — c. *min.*

Objic. 3^o Substantia est id quod subsistit; a. anima non subsistit (nam est ens incompletum); e. — R. d. *maj.* solum id quod subsistit ut suppositum, n; etiam id quod subsistit absque inhaesione alteri, c.

Coroll. 1^m Ergo habitus est altera natura : analogice; i. e. inclinatur potentiam ad unum, est internum principium operationum, licet non primum.

Coroll. 2^m Habitus generati signum est delectatio.

Coroll. 3^m Habitu utimur quum volumus.

SECTIO II.

De principio vitae intellectivae.

Post longam et minutam omnium humanarum operationum atque facultatum proprietatumque analysim, tempus est ut ex effectibus ad causam, ex potentiis ad naturam concludendam facientes gradum, de animae humanae existentia et essentia quaestiones varias solvamus, sive animam in seipsa inspiciamus, sive in sua relatione ad corpus humanum, sive ejus originem et immortalem vitam futuram considerare velimus. Sint ergo

Caput 1. De natura animae in se spectatae.

Caput 2. De natura animae relate ad corpus.

Caput 3. De origine animae.

Caput 4. De animae immortalitate et vita futura.

CAPUT I.

DE NATURA ANIMAE IN SE SPECTATAE.

Propositio 83.

Existit in homine principium vitale, essentialiter a corpore distinctum, quod anima vocatur.

Stat. quaest. Contra materialistas docentes praeter corpus ejusque materiam nihil existere; quod explicant a) vel *mechanice*, omnia reducentes ad meras atomos earumque motus varios; — b) vel *dynamice*, omnia reducentes ad atomos earumque naturales vires mechanicas, physicas, chemicas; — c) vel *physiologicæ*, omnia reducentes ad materialem organismum.

Prob. 1^o Sunt in homine 1) facultates immateriales: intellectus et voluntas, 2) facultates vegetativae et sensitivae; a. hae facultates supponunt existentiam principii vitalis essentialiter a corpore distincti; e.

Ad min. 1) Facultates immateriales aut in seipsis subsistunt, et jam sunt principium de quo quaeritur; aut in alio inhaerent, et hoc aliud est principium eis proportionatum, quale corpus materiale esse non potest.

2) De facultatibus sensitivis et vegetativis eadem recurrunt argumenta ac de brutis et plantis (cfr. organolog.).

Prob. 2^o Si nulla esset hominis anima, sed omnes ejus actus ad materiae vibrationes, etc. reducerentur, nullum esset discrimen inter liberum et neces-

sarium, inter bonum et malum morale, inter meritum et injuriam; a. hoc, teste sensu communi, est absurdum; e.

Objic. 1^o Utcumque ope anatomiae investigata sint omnia hominis interiora, nunquam experimentaliter, neque reflexione deprehendi potuit anima, quae sit distincta a corpore. — R. d. distincta ut corpus separatum, vel ut spiritus separatus, c; ut forma unita corpori, sd. non visu inventa est vel tactu, c; non ratione necessario deducta, n.

Objic. 2^o Recedente anima destruitur harmonia partium corporis; e. anima est ipsa harmonia. — R. a) tr. ant. — n. cons. — b) retorq: e. ab anima conservatur harmonia, seu anima ut causa est distincta ab harmonia.

Objic. 3^o Quod gignitur, crescit, viget, senescit cum corpore, hoc est vel corpus vel aliquid corporis; a. anima simul cum corpore crescit, viget, senescit; e. — R. d. maj. quod in se..., c; quod in operatione sua..., sd. quod ab intrinseco..., c; quod ab extrinseco..., n. — c. d. min.

Propositio 84.

Anima rationalis non est accidens corporis, sed substantia.

Stat. quaest. 1) Contra alios quosdam materialistas docentes animam rationalem non esse nisi modificationem seu accidens corporis.

2) Nondum inquirimus: a) utrum una an plures distinctae in homine sint animae rationalis, sensitiva et vegetalis, — b) qualis sit animae rationalis gradus subsistentiae; — sed eam dicimus substantiam quatenus distinguitur ab accidente, i. e. ens quod naturaliter existit, vel potest saltem existere, sine subjecto informationis; abstrahimus ergo a notione substantiae completae vel incompletae.

Prob. Illud est substantia (i. e. ens in se subsistens, non necessario in corpore) quod est ultimum principium operationum a corpore independentium; a. anima rationalis talis est; e.

Ad min. Sunt in homine operationes independentes a corpore; a. omnis operatio supponit aliquod ultimum principium a quo procedat; e.

Objic. 1^o Illud dependet a materia quod habet operationes dependentes a materia; a. anima tales habet; e. — R. d. maj. quod non habet nisi dependentes, c; quod praeterea independentes, n. — c. d. min.

Inst. Eodem jure quo ex independentibus, possum ex dependentibus concludere. — R. d. possum concludere principium non esse minus perfectum quam operatio est, c; non esse magis perfectum, sd. si hanc solam habet, e; secus, n.

Objic. 2^o Actiones sunt suppositorum; a. anima non est suppositum; e. de ea nihil concludendum. — R. d. maj. denominative (i. e. ut a principio quod), c; effective (i. e. ut a principio quo), n. — c. min.

Objic. 3^o Substantia est id quod subsistit; a. anima non subsistit (nam est ens incompletum); e. — R. d. maj. solum id quod subsistit ut suppositum, n; etiam id quod subsistit absque inhaesione alteri, c.

Objic. 4° Substantia non est quod est in subjecto; *a.* anima est in subjecto, corpore; *e.* — *R. d. maj.* quod est inhaesive in subjecto, *c.*; quod subjective, *n.*; — *c. d. min.* (cfr. infra).

Objic. 5° Substantia est aliquid completum; *a.* anima non est aliquid completum; *e.* — *R. d. maj.* substantia completa, *c.*; incompleta, *n.* — *d. min.* non completum secundum naturalem destinationem, *c.*; secundum necessitatem suam essentialem, et dependentiam, *n.* (cfr. infra).

Propositio 85.

Anima rationalis est essentialiter simplex : nec partibus essentialibus neque integrantibus composita.

Notiones. 1) Duplex distinguitur simplicitas, seu immunitas a compositione : a) *absoluta* omnem compositionem excludens, estque haec solius Dei; — b) *secundum quid* : physicam compositionem excludens, sive *quoad essentialitatem*, i. e. ex partibus essentialibus seu heterogeneis absolute requisitis ut haec sit essentia; sive *quoad quantitatem*, i. e. ex partibus integrantibus, seu homogeneis requisitis ut hoc integrum individuum habeatur.

2) *Essentialiter*, id est non per accidens, neque extrinsece, ratione alterius v. c. subjecti informationis vel alius cuiusque, sed ex propria natura.

3) Simplicitas illa secundum quid, non excludit pluralitatem facultatum, actionum, passionum.

Prob. 1^a pars (quoad quantitatem). 1° Anima rationalis habet facultatem concipiendi res ab omni compositione abstractas, v. c. ipsam simplicitatem, unitatem, identitatem, ens, universalia; *a.* non nisi ens simplex tali facultate potest esse instructum; *e.*

Prob. min. Talis facultas est simplex (nam si esset extensa, per speciem extensam intelligeret; *a.* species extensa non potest repraesentare nisi rem extensam et in loco); — *a.* facultas simplex nequit esse nisi in subjecto simplici (nam facultates sequuntur naturam subjecti); *e.*

Prob. 2° Anima redit in se, reflexione perfecta, v. c. dicendo : « ego » et per hoc significando ultimum principium et radicem omnium; *a.* compositum non potest reflectere et redire in se perfecte; *e.*

Prob. min. Reflexio est quaedam conclusio seu complicatio sui in se, ita ut reflectens seipsum inveniatur in se, nec quidquam ejus sit extra seipsum; *a.* si ens compositum complicatur in se, pars semper manet a parte distincta, ac proinde nec totum reflectitur, nec totum invenitur; *e.*

Prob. 2^a pars (quoad essentialitatem). Anima est distincta a corpore, pars substantialis hominis, principium ultimum operationum independentium a corpore et ab omni ejus compositione; *a.* principium ultimum operationum istarum esse debet simplex quoad suam essentialitatem; *e.*

Ad min. Nisi hoc principium sit simplex, non erit ultimum principium, sed ipsum compositum ex aliis principiis ab iis dependebit; de quibus eadem

redibit quaestio, donec aliquod vere ultimum inveniatur; *a.* hoc ultimum erit simplex quoad essentialitatem, et hoc solum vocamus animam; reliqua omnia aut gratis supponuntur aut ad corpus pertinent; *e.*

N. B. Hic nondum praesupponere possumus animam esse formam substantialem corporis, quod postea probandum manet; quod si nunc supponeretur, circulum vitiosum efficeret.

Objic. 1° Quod non est extensum non potest affici a corporibus; *a.* anima afficitur a corporibus; *e.* — *R. d. maj.* si est corpori conjunctum, *n.*; si non conjunctum, *c.* — *c. d. min.* — *d. par. cons.*

Objic. 2° Quod non est extensum non potest corpora percipere. — *R. d.* secundum rationes intelligibiles, *n.*; secundum rationes materiales, *sd.* si non corpori conjunctum, *c.*; si conjunctum, *n.*

Objic. 3° Quidquid augetur et minuitur est extensum; *a.* variae affectiones animae augentur et minuitur; *e.* — *R. d. maj.* quod augetur et minuitur quoad magnitudinem, *c.*; quoad vim et intensionem, *n.* — *c. d. min.*

Objic. 4° Posset anima esse composita ex materia et forma. — *Prob.* Materia et forma sunt principia subordinata; *a.* talia (sicut potentia et species impressa) possunt producere effectum simplicem; *e.* — *R. a)* *d. assert.* ex materia et forma ut duobus principiis substantialibus, *n.*; improprie : ut ex subjecto substantiali et accidentali forma, *c.* — *ad prob. d. maj.* ita ut unum accipiat vim alterius, *e.*; ut maneant aliquomodo coordinata, *n.* — *R. b)* *d. assert.* si anima habet partem essentialem passivam, *c.*; si est principium mere activum, *n.* — *R. c)* *d. assert.* istud compositum erit anima, *n.*; ista forma erit ipsa anima simplex de qua quaerimus, *tr.* (sed gratis affirmatur haec nova compositio).

Objic. 5° Ad infinitum concipiendum, nec idea nec potentia infinita requiritur; *e.* a pari ad simplex concipiendum, non requiritur simplex. — *R. n. par.* [conceptus infiniti est in repraesentando abstractivus, neque attingit infinitum nisi per notas oppositas finiti, via compositionis notarum, excellentiae perfectionum, negationis limitum; *e.* potest conceptus esse entitative finitus; — sed conceptus simplicis debet aut intuitivus esse aut abstractivus; *a.* si intuitivus : 1) non est proportionatus nostro statui, et 2) jam esset etiam entitative simplex, utpote repraesentans proprie aliquod ens simplex; si abstractivus : fit per notas oppositas extensi et compositi, via negationis; *a.* ipsa negatio est aliquis actus entitative simplex; *e.*].

Objic. 6° Species potest differre entitative ab objecto repraesentando; *e.* ex objecto simplici non sequitur actus simplex. — *R. c. ant.* — *d. cons.* si actus compositus potest repraesentare objectum, *c.*; secus, *n.*

Objic. 7° Diversae partes compositi, incompleta vi cogitandi praeditae, possunt ita conspirare, ut una efficiatur cogitatio; *e.* — *R. a)* *n. supp.* (posse dari vim incompletam cogitandi). — *R. b)* *dato supp.*; *n. antec.* (cognitio est actus immanens).

Propositio 86.

Anima rationalis est essentialiter independens a materia, seu spiritualis.

Stat. quaest. 1) Non asserimus independentiam omnimodam a materia; nam revera anima, vi unionis suae cum corpore, in omnibus operationibus suis dependet, saltem extrinsece, a corpore, et sub multiplici respectu eadem ac corpus subit vicissitudines.

2) Triplex apud scholasticos definitio materiae et spiritus :

a) materiale est quod habet relationem essentialem ad principium potentiale (materiam primam); spirituale quod non habet.

b) materiale est quod habet relationem essentialem ad quantitatem, inde ad divisibilitatem; spirituale, quod non...

c) materiale est quod continet impenetrabilitatem cum alio ejusdem speciei; spirituale quod non...

Sed R. Conceptus impenetrabilitatis est posterior quantitate; et haec saltem natura est posterior quam materia; ergo prima praeplacet notio.

3) Ergo substantia spiritualis qualem dicimus animam : a) est simplex secundum quid, i. e. non habet partes integrantes seu quantitativas, nec constituentes seu essentielles;

b) substantias compositas toto ordine superat sua intrinseca et essentiali perfectione, ita nempe ut nulla intensio perfectionum entium compositorum perfectionem ejus propriam attingat;

c) est immaterialis i. e. nec iners, nec pendens intrinsece a materia, sed ex sua ipsa essentia ordinata ut actu vitali intelligat verum, et tendat in bonum sub ratione boni cognitum, illud amplectatur, ac in illo sit beata.

Prob. 1° Anima rationalis est substantia, et habet facultates immateriales; a. facultas immaterialis supponit necessario principium suum in quo est ut in subjecto, esse immateriale seu spirituale; e.

Ad maj. 1 part. (est substantia). Cfr. prop. 84.

Ad 2 part. (intellectum immaterialem). Cfr. prop. 1 et 34.

Ad 3 part. (voluntatem immaterialem). 1) Voluntas potest ferri, et quidem actu elicito in bona immaterialia; a. hoc non potest appetitus sensitivus, materialis (nam non est altior quam correspondens facultas cognitiva); e.

2) Natura facultatis cognoscitur ex rebus quibus maxime perficitur (nam illae sunt ipsi magis accommodatae); a. voluntas maxime perficitur rebus spiritualibus; e.

3) Voluntas habet libertatem indifferentiae; a. haec libertas fundatur in spiritualitate voluntatis (cfr. prop. 77); e.

Prob. 2° Anima rationalis est substantia essentialiter simplex, tum quoad quantitatem, tum quoad entitatem; a. quod est ita simplex est etiam independens a materia, seu spirituale; e.

Ad min. Ita simplex substantia, necessario potest immanenter agere, et quidem cognitione perfecte reflexiva, abstractiva et universali; i. e. indepen-

denter a materia, spiritualiter; ac proinde est subjectum spirituale; scilicet :
1) *Agit* certe, nam est substantia, i. e. natura (cfr. ontolog.), licet incompleta (cfr. inf.).

2) *Transeunter* forsan, sed saltem etiam *immanenter*, nam modus agendi et patiendi sequitur modum essendi; a. simplex nullam habet partium pluralitatem, extrapositionem, oppositionem, contactum; e. id quod primo et maxime immediate attingi potest per ejus actionem, est ipsa ejus entitas agens.

3) *Cognitione*, nam simplex nequit vegetare, i. e. partes mutare, augere, evolvere; nec potest loco et situ intrinsece movere se, i. e. partium extensione et dispositione; e. manet sola sui assimilatio intentionalis, i. e. cognitio; vel sui expansio appetitiva, cognitionem praesupponens.

4) *Perfecte reflexiva*, nam immanenter agens, attingere potest se ipsam totam, non per partes, tanquam objectum repraesentabile intentionaliter.

5) *Abstractiva et universali*, nam simplex non astringitur ad condiciones materiales, concretas, singulares, objectorum aliorum sibi intentionaliter repraesentandorum, per partes extensas, etc.

Objic. 1° Teste manifesta experientia, una eademque est existentia animae et corporis, ac proinde anima humana est et subsistit in corpore et est ejus forma; a. quod ita est corporis forma, hoc non habet esse et subsistere nisi dependenter a corpore; e. — *R. tr. maj. — n. min.* (cfr. infra).

Objic. 2° Operationes sunt subsistentium; a. non anima sed homo dicitur operari; e. — *R. a) d. maj.* complete subsistentium, c; incomplete subsistentium, n. — vel b) *d. maj.* ut principii quod, c; ut principii quo, n. — *c. d. min.*

Objic. 3° Conceptus animae spiritualis efformatur, vim intelligendi et volendi abstrahendo a cerebro, deinde propter assuetudinem eam sic abstracte considerandi, concipiendo eam tanquam aliquid separatum a corpore et in se subsistens. — *R. d.* conceptus platonius, cartesianus, animae, c; rectus peripateticus, n. (Platonici in ordinem realem transferunt distinctiones rationis; et animam concipiunt non ut formam substantialem, sed ut spiritum separatum corpori mere assistentem).

Objic. 4° Anima ut forma corporis debet ei esse proportionata; a. inter materiam et spiritum nulla est proportio; e. — *R. d. maj.* proportione habitudinis, c; entitatis, n. — *c. d. min.*

Objic. 5° Esse corporis est esse animae; a. esse corporis est esse materiale; e. — *R. d. maj.* esse materiale corporis est esse animae, n; esse formale corporis, c; — *c. d. min.*

Objic. 6° Ens specificatur sua forma; e. si anima esset spiritualis, corpus esset spirituale. — *R. d. ant.* in quantum est forma, c; secus, n. — *c. d. cons.* si anima ut spiritualis esset forma, c; si anima quae est spiritualis, est forma, non ut spiritualis, sed secundum alias virtutes, n.

Objic. 7° Anima non potest produci extra materiam; e. — *R. tr. ant;* — *d. cons.* dependet dependentia propria, n; impropria, c.

Objic. 8° Anima informat corpus, et est radix omnium ejus qualitatum

corporearum; *e.* est corporea. — *R. c. ant.*; — *d. cons.* est corporea ut quod, et entitative, *n.*; ut quo, et informative, *c.*

Objic. 9° Sicut fit species infiniti negando finitudinem, sic species spiritualis fit tantum negando materialitatem; *e.* non debet ipsa esse spiritualis. — *R. n. par.* (potentia materialis adstringitur ad ordinem sensibilem, nec potest eum negare, i. e. transcendere; sed infinitum et spiritus jam sunt ambo in ordine spirituali).

Objic. 10° Qualis inclinatio talis natura; *a.* voluntas fertur in materialia; *e.* — *R. d. maj.* ita ut inclinatio non possit esse perfectioris ordinis quam natura, *c.*; inferioris, per accidens (ex conjunctione cum corpore), *n.*; — *c. min.*

Objic. 11° Anima tangit corpus (movet enim); *a.* contactus est tantum inter corpora; *e.* — *R. d. maj.* contactu spirituali, seu virtutis, *c.*; materiali, seu quantitatis, *n.* — *c. d. min.*

CAPUT II.

DE ANIMAE NATURA RELATE AD CORPUS.

Quid sit anima rationalis non sufficienter explicatum est, si ipsa sola pro se consideretur, quum in corpore humano residens effectus etiam in illo varios habeat, ac modum essendi relativum ad corpus, quo fiat ut unus sit ex utroque compositus homo. Quamobrem praesentem disputationem in quatuor quaestiones distribuemus:

- Quaestio 1. De unitate et sede animae.
- Quaestio 2. De unione animae et corporis.
- Quaestio 3. De effectibus corporalibus animae.
- Quaestio 4. De distinctione animarum.

QUAESTIO 1.

De unitate et sede animae.

Propositio 87.

Unum est in homine principium vitae, nempe anima rationalis, quae quoad substantiam non differt a principio vitae sensitivae et vitae vegetativae.

Stat. quaest. 1) Principium vitae, i. e. ipsa radix potentiarum, non ipsae potentiae, nam hae distinctae sunt.

2) Alii posuerunt tres animas in homine, ut principia trium vitarum ejus (Plato, Galenus, Averrhoes, Pomponatius).

3) Alii ponunt duas animas: vim vitalem, seu principium vitae vegetativae, et animam (vitalistae).

4) Alii ponunt duas animas: animalem, quae materiam vivificet, quacum naturam efformet, et rationalem, spiritum (Gunther).

Prob. 1° Homo est unum vivens; *a.* si plures essent animae plura essent viventia; *e.*

Ad maj. Teste conscientia, idem unum subjectum est homo qui intelligit, vult, crescit, sentit, senescit, nutritur; et qui reflexione percipit suas intellectiones, volitiones, sensationes, ut suas.

Ad min. 1) Si plures essent animae, plura essent immanenter agentia; *a.* quodvis subjectum immanenter agens est speciale vivens; *e.*

2) Omnes hae operationes sunt immanentes; *a.* impossibile est ut una anima experiatur ut suam actionem immanentem alterius, vel in eam reflexione redeat; *e.*

3) Intellectus deberet aut accipere cognitionem rerum sensibilibus ab influxu animae sensitivae materialis, aut sensibilia percipere sine conjunctione cum objecto; *a.* utrumque repugnat; *e.*

Prob. 2° Quo magis intenditur operatio unius vitae, eo magis impeditur vel turbatur operatio aliarum; *a.* hujus rei causa nulla esset si plura essent principia diversa; *e.*

Ad maj. Teste experientia, v. c. a) nimia mentis intensio impedit sensationes visus, auditus, et digestionem nocet; b) nimia plantasiae imaginatio influit in intellectum et in digestionem; c) nimia passio sensitivi appetitus impedit vel turbat vegetalem sanguinis circulationem, digestionem, intellectualem cogitationem et ratiocinium.

Ad min. Singula principia agerent immanenter, nec de se impedirentur ab aliis, nam: operationes immanentes nequeunt se mutuo turbare vel impedire nisi aut radice in uno principio, aut sint sibi mutuo contrariae (quales istae non sunt, sed disparatae); *e.*

Prob. 3° Anima sentit se interne trahi ad diversa bona; *a.* si plures essent animae, haec lucta non esset intrinseca cujus intellectus esset sibi conscius; *e.*

Objic. 1° Ubi est operatio propria alicujus formae ibi est ipsa forma; *a.* in homine praeter intellectionem sunt operationes propriae aliarum animarum; *e.* — *R. d. maj.* ibi est ipsa forma sive formaliter, sive virtualiter, sive eminenter, *c.*; est ipsa semper formaliter, *n.*; — *c. min.*; — *d. par. cons.*

Objic. 2° Anima deberet sibi esse conscia se esse unum principium omnium operationum vitalium, et quomodo influat in operationes vegetativas; *a.* ita non est; *e.* — *R. d. maj.* si istae operationes faciunt impressionem in sensum, et ita objectum proportionatum intellectus et conscientiae fiunt, *c.*; secus, *n.*

Objic. 3° Corruptibile et incorruptibile essentialiter differunt; *a.* anima rationalis est incorruptibilis, vegetativa et sensitiva sunt corruptibiles; *e.* — *R. tr. maj.* — *d. min.* corruptibiles si existunt pro se, *c.*; si in substantia incorruptibili virtualiter contentae, *n.*

Inst. Corruptibile et incorruptibile differunt genere; *e.* homo non in genere animalium esset. — *R. d. ant.* si compositum ut sic esset incorruptibile, *c.*

corporearum; *e.* est corporea. — *R. c. ant.*; — *d. cons.* est corporea ut quod, et entitative, *n.*; ut quo, et informative, *c.*

Objic. 9° Sicut fit species infiniti negando finitudinem, sic species spiritalis fit tantum negando materialitatem; *e.* non debet ipsa esse spiritalis. — *R. n. par.* (potentia materialis adstringitur ad ordinem sensibilem, nec potest eum negare, i. e. transcendere; sed infinitum et spiritus jam sunt ambo in ordine spiritali).

Objic. 10° Qualis inclinatio talis natura; *a.* voluntas fertur in materialia; *e.* — *R. d. maj.* ita ut inclinatio non possit esse perfectioris ordinis quam natura, *c.*; inferioris, per accidens (ex conjunctione cum corpore), *n.*; — *c. min.*

Objic. 11° Anima tangit corpus (movet enim); *a.* contactus est tantum inter corpora; *e.* — *R. d. maj.* contactu spiritali, seu virtutis, *c.*; materiali, seu quantitatis, *n.* — *c. d. min.*

CAPUT II.

DE ANIMAE NATURA RELATE AD CORPUS.

Quid sit anima rationalis non sufficienter explicatum est, si ipsa sola pro se consideretur, quum in corpore humano residens effectus etiam in illo varios habeat, ac modum essendi relativum ad corpus, quo fiat ut unus sit ex utroque compositus homo. Quamobrem praesentem disputationem in quatuor quaestiones distribuemus:

- Quaestio 1. De unitate et sede animae.
- Quaestio 2. De unione animae et corporis.
- Quaestio 3. De effectibus corporalibus animae.
- Quaestio 4. De distinctione animarum.

QUAESTIO 1.

De unitate et sede animae.

Propositio 87.

Unum est in homine principium vitae, nempe anima rationalis, quae quoad substantiam non differt a principio vitae sensitivae et vitae vegetativae.

Stat. quaest. 1) Principium vitae, i. e. ipsa radix potentiarum, non ipsae potentiae, nam hae distinctae sunt.

2) Alii posuerunt tres animas in homine, ut principia trium vitarum ejus (Plato, Galenus, Averrhoes, Pomponatius).

3) Alii ponunt duas animas: vim vitalem, seu principium vitae vegetativae, et animam (vitalistae).

4) Alii ponunt duas animas: animalem, quae materiam vivificet, quacum naturam efformet, et rationalem, spiritum (Gunther).

Prob. 1° Homo est unum vivens; *a.* si plures essent animae plura essent viventia; *e.*

Ad maj. Teste conscientia, idem unum subjectum est homo qui intelligit, vult, crescit, sentit, senescit, nutritur; et qui reflexione percipit suas intellectiones, volitiones, sensationes, ut suas.

Ad min. 1) Si plures essent animae, plura essent immanenter agentia; *a.* quodvis subjectum immanenter agens est speciale vivens; *e.*

2) Omnes hae operationes sunt immanentes; *a.* impossibile est ut una anima experiatur ut suam actionem immanentem alterius, vel in eam reflexione redeat; *e.*

3) Intellectus deberet aut accipere cognitionem rerum sensibilibus ab influxu animae sensitivae materialis, aut sensibilia percipere sine conjunctione cum objecto; *a.* utrumque repugnat; *e.*

Prob. 2° Quo magis intenditur operatio unius vitae, eo magis impeditur vel turbatur operatio aliarum; *a.* hujus rei causa nulla esset si plura essent principia diversa; *e.*

Ad maj. Teste experientia, v. c. a) nimia mentis intensio impedit sensationes visus, auditus, et digestionem nocet; b) nimia plantasiae imaginatio influit in intellectum et in digestionem; c) nimia passio sensitivi appetitus impedit vel turbat vegetalem sanguinis circulationem, digestionem, intellectualem cogitationem et ratiocinium.

Ad min. Singula principia agerent immanenter, nec de se impedirentur ab aliis, nam: operationes immanentes nequeunt se mutuo turbare vel impedire nisi aut radice in uno principio, aut sint sibi mutuo contrariae (quales istae non sunt, sed disparatae); *e.*

Prob. 3° Anima sentit se interne trahi ad diversa bona; *a.* si plures essent animae, haec lucta non esset intrinseca cujus intellectus esset sibi conscius; *e.*

Objic. 1° Ubi est operatio propria alicujus formae ibi est ipsa forma; *a.* in homine praeter intellectionem sunt operationes propriae aliarum animarum; *e.* — *R. d. maj.* ibi est ipsa forma sive formaliter, sive virtualiter, sive eminenter, *c.*; est ipsa semper formaliter, *n.*; — *c. min.*; — *d. par. cons.*

Objic. 2° Anima deberet sibi esse conscia se esse unum principium omnium operationum vitalium, et quomodo influat in operationes vegetativas; *a.* ita non est; *e.* — *R. d. maj.* si istae operationes faciunt impressionem in sensum, et ita objectum proportionatum intellectus et conscientiae fiunt, *c.*; secus, *n.*

Objic. 3° Corruptibile et incorruptibile essentialiter differunt; *a.* anima rationalis est incorruptibilis, vegetativa et sensitiva sunt corruptibiles; *e.* — *R. tr. maj.* — *d. min.* corruptibiles si existunt pro se, *c.*; si in substantia incorruptibili virtualiter contentae, *n.*

Inst. Corruptibile et incorruptibile differunt genere; *e.* homo non in genere animalium esset. — *R. d. ant.* si compositum ut sic esset incorruptibile, *c.*

si in uno composito pars tantum est incorruptibilis, *sd.* differunt quoad hanc partem, *c*; simpliciter, *n*.

Objic. 4° Genus sumitur a materia, differentia vero a forma specificante; *a.* differentia specifica hominis sumitur ab anima rationali, genus a sensitiva; *e.* sensitiva est materia, rationalis est forma; *a.* forma realiter distinguitur a materia; *e.* — *R. d. maj.* a materia et a forma logica, *c*; physica, *n*; — *c. d. 1 min.* — *d. 1 cons.* est materia, et forma logica, *c*; physica, *n*. — *c. d. 2 min.*

Objic. 5° Non repugnat ut plures sint animae, si non repugnant plures formae in homine; *a.* non repugnant; *e.* — *R. d. maj.* si formae substantiales immanenter agentes in eodem subjecto, *c*; secus, *n*. — *c. d. min.*

Objic. 6° Eadem persona tantum est quae sentit et intelligit; *a.* ex hoc non sequitur unam esse animam. — *R. n. maj.* (teste conscientia, non solum eadem persona, sed etiam eadem natura, idem principium).

Objic. 7° Ad explicanda facta influxus mutui variarum vitarum, sufficit unitas subjecti; *a.* haec habetur etiamsi plures sint animae ejusdem corporis; *e.* — *R. d. maj.* unitas subjecti materialis, *n*; viventis ut sic, *c*; — *c. d. min.*

Objic. 8° Lucta nequit haberi nisi saltem duo sint; *e.* ex argumento 3° sequitur contrarium. — *R. d. ant.* lucta extrinseca, *c*; intrinseca, *sd.* nisi duo principia, *n*; duae potentiae, *c*. — *c. d. cons.*

Inst. Inter potentias ejusdem principii non est oppositio. — *R. d.* quoad originem facultatum, *c*; quoad terminum (objectum), *n*.

Objic. 9° In cadavere crescunt capilli et ungues; *e.* absente anima rationali, manet vegetalis. — *R. d. ant.* actione proprie vitali, *n*; analogice, *c*; — *d. cons.* manet vegetalis proprie dicta, *n*; adest forma cadaverica, *c.* (cfr. infra).

Propositio 88.

Anima humana non per intelligentiam et rationem ac voluntatem est principium vitae vegetativae.

Stat. quaest. 1) Dicunt recentiores aliqui (Stahl, Perrault, Bouillet) animam intelligendo ac volendo esse principium operationum omnium corporis, vegetativarum et organicarum.

2) Et explicant sive per facultatem intellectualem distinctam instinctive determinatam, sive per actum intellectus necessarium et subobscurum ac confusum, ideoque sui generis, sive per actum intellectus ordinarium, imo conscium, sed qui propter consuetudinem non animadvertatur nisi ubi turbatio aliqua interveniat.

Prob. 1° Operationum vegetalium et modi quo fiant, anima prorsus nequit esse conscia (teste experientia); *a.* dum anima, licet maxime assueta, per rationem operatur, reflexione potest saltem aliquando (cfr. sup. prop. 21, 22, 23) et operationum et quomodo fiant conscia esse.

Ad min. Ratio dicat modum operandi, et sub ejus influxu et proinde per voluntatem operamur (nam ratio non movet alias facultates nisi mediante voluntate); *a.* quae voluntarie operamur, conscientia cognoscuntur; *e.*

Prob. 2° Quale esse ab anima corpori tribuitur, tales operationes animae in corpus eduntur; *a.* non esse rationale sed esse vegetativum et sensitivum tribuitur corpori ab anima; *e.*

Coroll. 1^m Ergo anima rationalis organismum producit tantum prout est causa naturalis, i. e. prout ex impulsu naturae ipsa agit, seu operatione naturali, non elicitiva.

Coroll. 2^m Ergo non cognoscit mirabilem ordinem inter fines speciales organorum omnium existentem.

Objic. 1° Anima intellectiva nihil operari potest nisi intelligendo ac volendo; *e.* — *R. d. ant.* si unitur corpori ut motor mobili, *c*; si ut forma substantialis, *n*.

Objic. 2° Reflexio animae debet testari omnes quae sunt ei interiores operationes; *a.* vegetativae sunt ei interiores; *e.* — *R. d. maj.* interiores et actu intelligibiles vel sensibiles, *c*; secus, *n*.

Objic. 3° Indecorum est animam spiritualem in operationibus vilibus (digestione, etc.) occupari. — *R. d. assert.* si unitur corpori ut motor mobili, *c*; si ut naturaliter forma substantialis, *n*.

Propositio 89.

Anima non residet in solo cerebro, sed quoad substantiam est tota in toto corpore, et tota in singulis partibus, non tamen secundum omnes potentias est in qualibet parte.

Stat. quaest. De sede animae cum peripateticis dicimus. De ea mire varii errores, sedem assignantes cor, sanguinem, caput, capitis aliquam partem, glandulam pinealem, cerebellum, medullam, corpus callosum...; plures etiam non materialistae recentes cerebrum assignant.

Prob. 1^a pars (non in solo cerebro). 1° Si anima in solo cerebro resideret, omnes operationes, utpote immanentes, in eo solo perficerentur; *a.* ita non est; *e.* (cfr. de potentiis organicis sensitivis et vegetativis).

Prob. 2° Anima resideret aut in cerebri parte extensa, aut in puncto indivisibili; *a.* neutrum; *e.*

Prob. min. 1 part. (non parte extensa). Adversarii animam in parte cerebri collocant, quia impossibile aestimant eam esse pluribus partibus corporis praesentem; *a.* si est praesens parti extensae jam eadem ratio valebit; *e.*

Prob. min. 2 part. (non puncto inextenso). Hoc punctum deberet esse centrum quo omnes nervi confluerent; *a.* 1) nullum tale punctum invenitur, 2) nervi utpote fibrae extensae nequeunt confluere in puncto indivisibili; *e.*

Prob. 2^a pars (substantia in toto corpore). Anima non potest immanenter agere nisi ubi est; *a.* agit immanenter in toto corpore; *e.*

Ad min. In toto corpore perficiuntur actus vitales, sensitivi et vegetativi; *a.* anima est unicum principium vitae in homine; *e.*

Prob. 3^a pars (*in singulis partibus*). Anima est simplex; *e.* ubi est, tota est, non per partes, quas non habet.

Prob. 4^a pars (*non secundum omnes potentias*). Plures sunt potentiae ab organis suis aptis intrinsece et essentialiter dependentes; *a.* haec organa non in qualibet corporis parte sunt; *e.*

Coroll. 1^m Facultates spirituales sunt ubicumque anima existit; imo quia nullo utuntur organo, proprie nusquam corporis esse dicendae sunt, sed in anima sola, i. e. non in genere extensionis sunt sed extra hoc genus. Sed non possunt in praesenti vitae statu exerceri nisi ubi sunt phantasmata et sic intellectus potest dici capiti inesse.

Coroll. 2^m Quum pars corporis abscinditur, neque anima corrumpitur, neque retrahitur, sed desinit informare partem divisam; in ceteris autem partibus eodem ac antea modo manet.

Coroll. 3^m Anima non est proprie in materia corporali tanquam in loco, sed solum tanquam in subjecto; quia quod primo et per se est in loco, hoc est corpus constitutum ex unione animae et materiae; quod si dicas ratione corporis cuius est pars, animam esse saltem per accidens in loco: *R. a.* talis locus non est corpus sed est locus in quo est corpus; *b.* ne per accidens quidem anima est in tali loco, nisi improprie, scilicet non quantitative sed definitive.

Objic. 1^o Quidquid diffunditur per totum corpus, mole constat, ac proinde est extensum, non simplex; *a.* anima est simplex; *e.* — *R. d. maj.* quod diffunditur proprie dicta diffusionem, i. e. partium extra partes positione, *c.*; diffusionem improprie dicta, i. e. immediate praesentia exhibita rei extensae, *n.*; — *d. min.* simplex in genere extensione, i. e. ex imperfectione quantitatis: punctum, linea, superficies, *n.*; simplex extra genus extensionis, i. e. ex perfectione entitatis quae partes non habet, *e.*

Objic. 2^o In hac sententia nequit ratio dari concursus nervorum in cerebro. — *R. n.* (ratio est quod potentiae sensitivae principales sunt in cerebro ut in organo idoneo).

Objic. 3^o Si anima est tota in una corporis parte, nihil ejus potest extra eam partem esse; *e.* — *R. d. ant.* si tota, totalitate quantitatis, *c.*; si totalitate essentiae, *n.*

Objic. 4^o Si anima est tota in qualibet corporis parte, est in toto corpore cum omnibus potentiis quae in ejus essentia radicanur; *a.* hoc falsum est; *e.* — *R. d. maj.* cum omnibus quae in ejus essentia fundantur et ab ea sola intrinsece dependent, *c.*; etiam cum iis quae intrinsece ab aliquo organo dependent, *n.* — *c. d. min.*

Objic. 5^o Totum et perfectum idem est, ac proinde anima erit perfecta in toto corpore; *a.* perfectum est quod habet omnes suas virtutes; *e.* anima habebit in toto corpore omnes suas virtutes. — *R. d. 1 part. maj.* perfectum

in ratione substantiae, *c.*; perfectum in ratione substantiae et potentialium et proprietatum, *n.*; — *d. 2 part. maj.* erit perfecta in ratione substantiae (incompletae), *c.*; in ratione potentialium et proprietatum, *n.*; — *c. d. min.*

Objic. 6^o Si anima est in qualibet parte, est in infinite multis. — *R. d.* multis actu, *n.*; potentia, *e.*

Objic. 7^o Animae simplici, extra quantitatis genus nulla totalitas tribui potest praeter totalitatem virtutis; *a.* totalitate virtutis, i. e. secundum omnes potentias, anima non est in omnibus partibus; *e.* — *R. 1) d. maj.* nulla proprie dicta totalitas, *c.*; improprie, *n.*; — *tr. min.* — *R. 2) tr. maj.*; — *d. min.* totalitate virtutis formalis (i. e. secundum potentias formales), *c.*; virtutis radicalis (i. e. secundum potentias radicales, seu secundum radicem potentialium), *n.*

Objic. 8^o Extra totum nihil ejus est; *a.* anima tota est in parte una; *e.* — *R. d. maj.* extra totum quantitativum, *tr.*; essentialiter, *sd.* extra, i. e. ibi ubi non est, nihil ejus est, *c.*; praeter ejus aliquam assignabilem praesentiam totam, nulla alia praesentia tota assignabilis est, *n.*

Objic. 9^o Minus conveniunt caro et os unius hominis, quam duae carnes duorum hominum; *a.* anima humana una nequit esse in duobus corporibus (carnibus) diversorum hominum; *e.* nec in omnibus partibus ejusdem unius. — *R. d. maj.* minus conveniunt secundum proprietates, *c.*; secundum substantiam, *n.* (ut partes, licet heterogeneae, unius tamen substantiae).

Objic. 10^o Si anima est in corpore, in eo debet esse ad modum corporis; i. e. ita ut ubi una pars sit, alia non sit. — *R. d.* ad modum naturae corporis, *n.*; ad capacitatem corporis, *c.*

Objic. 11^o Quod excedit alicujus capacitatem non potest in eo recipi; *a.* anima excedit capacitatem corporis; *e.* — *R. c. maj.* — *d. min.* in quantum est intellectiva, *c.*; in quantum sensitiva et vegetativa, *n.*

Objic. 12^o Anima in quantum est spiritualis excedit capacitatem corporis; *a.* secundum totam suam essentiam est spiritualis; *e.* — *R. tr. maj.* — *d. min.* est formaliter spiritualis et eminenter sensitiva ac vegetativa, atque habitudinem dicit ad corpus, *c.*; est formaliter spiritualis tantum, *n.*

QUAESTIO 2.

De unione animae et corporis.

Propositio 90.

Anima humana cum corpore ita conjungitur ut una ex utroque resultet natura seu substantia.

Stat. quaest. 1) Praeter materialistas, omnes concedunt hominem esse compositum unum ex anima et corpore; sed disputatur utrum sit unum per se seu substantiale, an unum per accidens seu accidentale.

2) Unionem corporis et animae esse accidentalem docent a) Plato: hominem nihil aliud esse praeter animam quae corpore tanquam instrumento utatur;

— b) Cartesius : idem ratus, quia anima cogitat, cogitatio autem hominem faciat; — c) Malebranche et Leibnitz cum sua harmonia a Deo stabilita; — d) Kant τὸ ἐγὼ reponens in conscientia cogitationum; — e) Rosmini illud reponens in conscientia sui, ergo in anima sola.

3) Peripatetici dicunt : quum anima unitur corpori, nec corpus nec animam dici posse naturam aliquam, quia neutrum habet speciem completam, sed utrumque esse partem unius naturae (S. Thom. c. Gent. 4. 35).

4) *Natura* hic intelligitur essentia singularis actualis quae, et per se existat, nec ordinetur naturaliter ad ineundam compositionem cum alio principio in unam novam substantiam, et sit in specie, unde determinatas habeat vires operandi, i. e. primum operandi principium sit.

5) *Substantia* hic idem est ac natura, ratione tantum distincta, scilicet illud substratum subjectum quod substat omnibus accidentibus, actionibus, proprietatibus et potentiis, i. e. primum operandi principium; quae omnia nota hic supponuntur ex ontologia et cosmologia, suntque omnino recolenda hoc loco.

Prob. Nova est substantia seu natura illud quod habet perfectiones et vires qualitative et essentialiter diversas a viribus et perfectionibus cujusque partis; *a.* homo habet; *e.*

Ad min. a) Sensatio et vegetatio neque solius corporis neque solius animae esse potest, sed essentialiter utriusque simul; — b) ipsa intellectio, non generatim qualiscumque, sed speciatim qualis in homine nunc est, non infusa nec innata, sed per sensum acquirenda, nec corporis est nec solius animae, sed requiritur utrumque simul (cfr. supra).

Coroll. 1^m Ergo neutra pars constitutiva hominis habet in se essentiam specificam, nam non est natura vel substantia completa, sed incompleta tantum.

Coroll. 2^m Ergo corpus et anima, utpote substantiae incompletae, habent naturalem ordinationem ad conjunctionem suam substantialem.

Coroll. 3^m Ergo ex anima et corpore unica persona efficitur; nam persona est suppositum rationale seu substantia rationalis prima completa, una pro se in existendo, i. e. non communicata alteri; *a.* in homine unum idemque est cui ut supposito tribuuntur omnes actiones, passiones, proprietates tum animae tum corporis; *e.*

Coroll. 4^m Ergo humanae personae identitas oritur ex perseverantia ejusdem formae, perseverantia morali ejusdem corporis, et perseverantia ejusdem unionis inter utrumque; nam his manentibus, eadem manet individua substantia prima complete et concrete eodem modo existens.

Coroll. 5^m Ergo anima humana a corpore separata non stricte suppositum seu persona est, nam natura sua est et manet substantia incompleta; sed est persona latiori sensu, i. e. substantia existens pro se, licet incompleta.

Objic. 1^o Corpus est animae instrumentum; *a.* instrumentum non unitur causae principali in unitatem substantiae vel personae; *e.* — *R. d. maj.* instrumentum intrinsecum, *c;* extrinsecum, *n;* — *c. d. min.*

Objic. 2^o Si talis esset unio, altera pars cum altera confunderetur; *a.* hoc est absurdum; *e.* — *R. d. maj.* si unio per mutuam conversionem alterius in alteram esset, *c;* per mutuam unionem, *n.*

Objic. 3^o Anima est principium completum operandi; *e.* substantia completa et persona. — *R. d. ant.* anima qualis nunc est nostra corpori unita, *n;* qualis concipitur morte a corpore soluta, *sd.* est principium suarum operationum spiritualium, sed natura sua habens relationem et exigentiam ad corpus, *c;* sine hac exigentia et relatione, *n.*

Propositio 91.

Unitatem substantialem hominis male explicat systema assistentiae seu causarum occasionalium.

Stat. quaest. 1) Quaeritur quomodo anima corpori uniatur, ut ex eorum unione efficiatur unitas naturae, substantiae et personae. — Ad quam quaestionem varii varie respondent.

2) Systema assistentiae, a Cartesio jam fundatum et praeparatum, a Malebranche expositum, docet animam et corpus omni activitate destitui, nec inter se mutuo influere; operationes autem quae composito tribuuntur, a Deo revera causari, hominem vero eas producendi occasionem tantum Deo praebere.

Prob. Secundum hoc systema : 1) homo nihil ageret, 2) anima nec secundum esse nec secundum operari corpori unita esset, 3) ne localiter quidem unita deberet esse; — *a.* ita perit natura omnis, atque omnis unio physica et substantialis; *e.*

Ad maj. Si solus Deus agit in corpus et in animam et in omnia : 1) homo nihil agit sed tantum patitur; 2) neque ullo modo influentes inter se partes, operationem vel essentiam communicant, sed simul a Deo patiuntur; 3) et a Deo eadem pati possent etiamsi anima apud Germanos, corpus apud Afros esset.

Propositio 92.

Unitatem substantialem hominis male explicat systema harmoniae praestabilitae.

Stat. quaest. Docent *Leibnitz, Wolff,* animam et corpus inter se non influere, sed a Deo in homine fuisse ab origine praestabilitam harmoniam et consensum mirificum inter omnes operationes animae et motus corporis, ita ut perfecte concordent (cfr. supra : prop. 37).

Prob. Secundum hoc systema corpus et anima agunt quidem, sed pro se quodque, propria necessitate fatali; — *a.* sic 1) nulla est substantialis unio animae et corporis, nec quoad essentiam, nec quoad operationem; — 2) ne localis quidem unio essentialiter requiritur; — 3) successio cognitionum in anima est sine ullo influxu ab ordine objectivo, atque ita abitur in idealismum; — 4) destruitur omnis libertas; *e.*

Propositio 93.

Unitatem substantialem hominis male explicat systema influxus physici.

Stat. quaest. Docet *Locke* animam et corpus, natura dissimiles, ita conjungi ut factis in organum impressionibus mens ad sensationes determinetur; et quoties anima velit membrum moveri, nervi impellantur et ita voluntarie moveantur.

Prob. Tota haec unio consistit in physica actione transeunte mutua corporis et animae; — *a.* sic 1) nulla est unio essentialis eorum sed solum commercium per actionem i. e. per accidens; — 2) nulla est unitas naturae sed duae naturae distinctae; — 3) supponitur etiam corporis in spiritum actio physica, quod absurdum; *e.*

Objic. Non repugnat ut anima in corpus agat et vicissim; *e.*

Prob. ant. a) Animae repugnaret agere in corpus vel quia spiritus vel quia finita; *a.* neutrum; *e.*

b) Si corpori repugnaret agere in animam, anima nullam rem externam cognoscere posset, maneretque de se indeterminata ad varias cognitiones (nam objecta externa non directe in animam sed in corpus agunt); *e.*

R. d. assert. si corpus ab anima vere informetur, *c.*; si sunt duae substantiae completae distinctae, *n.*

ad prob. a) n. maj. (sed quia incompleta natura est).

ad b) d. ant. si corpus est separatum ab anima, *n.*; si unitum substantia-liter, *c.* — *c. rat. add.*

Propositio 94.

Unitatem substantialem hominis male explicat systema perceptionis fundamentalis.

Stat. quaest. Docet *Rosmini* animam sensitivam corpori uniri percipiendo illud sensu fundamentalis et perenni; animam rationalem corpori uniri percipiendo sensum fundamentalem, actu sibi immanente, non ut affectionem subjecti sed ut objectum et entitatem; et sic unam rem ex percipiente et percepto coalescere.

Prob. Haec unio animae et corporis esset unio cognoscentis et cogniti; *a.* unio cognoscentis et cogniti non realis est sed intentionalis; *e.*

Propositio 95.

Anima humana cum corpore unitur tanquam forma substantialis cum materia.

Stat. quaest. 1) Eiusdem quaestionis solutionem proponit S. Ecclesia ut fidei dogma, et peripatetici scholastici unanimes ut veritatem rationis. Qua solutione dicitur:

2) *Corpus sine anima humana esset massa materiae, nullius naturae specificae, determinabilis ad aliquam certam naturam, sed de se indeterminata, neque proinde ullas potentias vitales vel actus habens.*

3) *Anima est hujus corporis forma substantialis, i. e. pars determinans hoc corpus ad talem speciem humanam, seu id quo haec materia est corpus humanum vivens, imo quocumque modo vivens.*

4) *Est autem haec forma corporis: a) substantialis, ita determinans corpus ut vita quam tribuit non sit corpori accidentalis sed essentialis, non superveniens alicui ejus jam habitae naturae, sed constituens primam ejus essentiam completam.*

b) *Vere substantialis: non metaphorice forma substantialis (sicut v. c. in sacramentis, in societate, in peccato, aliisque moralibus rebus) sed physice, stricto sensu.*

c) *Per se forma: non per accidens evenit animae ut corpus informet, sed per se, per suam essentiam ad hoc destinata est.*

d) *Immediata forma: non mediante alio principio vegetativo vel sensitivo, vel potentia, vel actione, i. e. non per suum aliquem influxum, per suam activitatem communicans corpori aliud quid, sed propriam suam substantiam seu entitatem, suum proprium esse illi communicans, quae sit ipsa determinatio qua corpus sit vivum humanum.*

5) *Ad facilitatem probationis sint plures partes: a) animam esse corporis formam, — b) substantialem, — c) veram, — d) per se, — e) immediatam.*

Prob. 1^a pars (est forma corporis). In composito aliquo *materia* est subjectum quod de se quidem indeterminatum est ad certum aliquod esse, sed determinari potest; — *forma* est principium intrinsecum determinativum quo subjectum ad certum hoc esse determinatum est; — *a.* in homine: *corpus* est subjectum de se quidem non vivens vita humana, sed quod fieri potest vivens humanum; *anima* est principium intrinsecum quo corpus est vivens et humanum potius quam mortuum vel alienum; *e.*

Ad min. Cfr. prop. 83, 84.

Prob. 2^a pars (forma substantialis). Substantialis illa est forma qua non accidentalis aliqua mutatio in subjecto inducitur, sed constituitur subjectum in nova specie, in nova natura; *a.* corpus non accidentaliter sed essentialiter mutatur accedente vel recedente anima, constituitur in nova natura specifica; *e.*

Ad min. Cfr. prop. 90.

Prob. 3^a pars (vera). Vera physica forma est, non metaphorica (logica, metaphysica, moralis...) quae a materia sua est realiter distincta, et cum ea realiter componitur in unum physicum; *a.* talis est anima relate ad corpus; *e.*

Ad min. Cfr. prop. 83, 84, 86, 90.

Prob. 4^a pars (per se). Anima est principium unicum vitae omnis in homine, habetque ad hoc potentias essentiae suae proportionatas; *a.* vitam hanc suam exercere, potentiisque suis uti nequit nisi dependenter, saltem

aliquomodo, a corpore; *e.* natura sua destinata est ad informandum corpus.

Ad maj. Cfr. prop. 87, et ontolog. de potent.

Ad min. Cfr. a) de vita vegetativa, b) de potentiis sensitivis, c) de ipso intellectu.

Prob. 5^a pars (immediata). Non intermedia alia forma inferior : cfr. prop. 87; — neque influxus : cfr. prop. 93; — neque actio immanens : cfr. prop. 94; — neque actio transiens (nam anima non causa formalis vera esset sed causa efficiens); — neque aliud quiddam excogitari potest; — nec si quid excogitaretur, melius rem explicaret, sed potius difficultatem auget (nam hoc esset aut spirituale aut materiale; *a.* utrinque manet difficultas explicandi unionem rei materialis et spiritualis in unum subjectum).

Objic. 1^o Si homo non est homo per animam suam nisi prout haec informat materiam, sequitur hominem non intelligere per animam nisi prout haec informat materiam; *a.* ex hoc sequetur etiam materiam intrinsece concurrere ad intellectionem, atque inducitur materialismus; *e.* — *R. d. maj.* sequitur..., i. e. informationem esse conditionem requisitam ad intellectionem, *c;* informationem esse ipsam rationem intelligendi, *n.*

Inst. Si esse corporis et esse animae commune est, omnes formas cognitivas anima recipit materialiter et individualiter (nam quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur). — *R. d. ant.* si animae esse ita commune est corpori ut intrinsece ab illo pendeat, *c;* secus, *n.*

Inst. Impossibile est virtutem esse abstractiorem (i. e. magis a corpore separatam) quam essentia est unde emanat; *e.* intellectus ipse informabit corpus. — *R. d. ant.* virtutem radicaliter sumptam esse abstractiorem, *c;* formaliter, *n.*

Objic. 2^o Secundum modum loquendi omnium hominum anima dicitur movere, regere corpus, corpus autem dicitur instrumentum animae; anima corpori unitur non ut forma sed ut motor mobili. — *R. d. ant.* movere, regere ut aliquid separatam a corpore, *n;* ut habens esse commune cum corpore, *sd.* dicitur synecdochice : tribuendo animae potentias quae sunt compositi, *c;* secus, *n.*

Objic. 3^o Operari sequitur esse; *a.* anima habet operationem intellectivam separatam a corpore; *e.* — *R. c. maj.* — *d. min.* operationem intrinsece separatam a corpore, *c;* extrinsece, *n.* — *d. cons.* anima non unitur corpori in quantum est intellectiva, *c;* in quantum virtualiter continet formas inferiores, *n.*

Objic. 4^o Anima non unitur cuilibet corpori sed proportionato; *e.* est proportio inter animam et corpus; *e.* mediante proportione fit unio animae cum corpore. — *R. c. ant.* — *d. cons.* 1 proportio quae est in ipsis proportio-natis, *c;* secus, *n.* — *n. 2 cons.*

Objic. 5^o Nulla forma naturaliter unitur materiae a qua impediatur a perfectione suae operationis; *a.* anima intellectiva unione ad corpus impeditur a perfectione intelligendi; *e.* — *R. d. maj.* si forma de se sufficienter instructa

est requisitis (puta speciebus infusis, innatis) ad agendum perfectius, *c;* si debet per hanc unionem paulatim disponi (puta species acquirendo), *sd.* pro tempore quo formae convenit talis operatio perfecta, *c;* pro tempore quo paulatim debet ad talem operationem disponi, *n.* — *c. d. min.*

Objic. 6^o Quod est per se subsistens nequit esse forma alterius; *a.* anima rationalis est per se subsistens; *e.* — *R. d. maj.* quod..., et habet esse completum, *c;* secus, *n.*

Objic. 7^o Quod habet esse in seipso non potest esse in alio; *a.* anima rationalis habet esse in seipsa; *e.* — *R. d. maj.* esse in alio tamquam dependens ab eo in esse (in existendo), *c;* tanquam communicans suum esse, *n.*

Objic. 8^o Operationes animae rationalis (velle et intelligere) propter suam immaterialitatem non recipiuntur in subjecto corporeo; *a.* anima rationalis non est minus immaterialis quam operationes; *e.* — *R. c. maj.* — *d. min.* anima in quantum est intellectiva, *c;* in quantum est forma, *sd.* non est minus immaterialis, i. e. non est in essendo minus independens a materia, *c;* non est minus libera ab omni destinatione naturali ad materiam informandam, *n.*

Objic. 9^o Ex duabus substantiis actu existentibus nequit fieri unum per se, tanquam ex potentia et actu, seu materia et forma; *a.* anima et corpus sunt substantiae actu existentes; *e.* — *R. d. maj.* ex duabus..., quarum utraque habet ultimam suam actualitatem per se, *c;* quarum utraque eam per alteram habet, *n.* — *c. d. min.*

Objic. 10^o Inter actum et potentiam requiritur proportio; *a.* inter corpus et spiritum nulla est; *e.* — *R. d. maj.* proportio entitatis, *n;* habitudinis, *c;* — *d. min.* et spiritum purum (non destinatum ad informandum corpus), *c;* et spiritum humanum (destinatum...), *sd.* nulla proportio entitatis, *c;* habitudinis (i. e. ut possit informare, et debeat compleri), *n.*

Objic. 11^o Si anima unitur corpori ut forma, erit materiae actus; *e.* materialis. — *R. d. ant.* erit exclusive materiae actus, *n;* erit etiam materiae actus, sed potentias habebit etiam a materia independentes, *e.*

Objic. 12^o Anima non dat corpori esse rationale; *e.* non se illi immediate communicat. — *R. d. ant.* non dat corpori ut sic, i. e. homini secundum materialem partem inadaequate sumpto, *c;* non dat corpori informato, i. e. homini adaequate sumpto, *sd.* non ut composito, *c;* non secundum formalem ejus partem, *n.* — *n. supp.* (nunquam forma ulla refundit in materiam ut sibi contradistinctam, nec in compositum reduplicative sumptum, denominationes sibi proprias exclusive).

Coroll. 1^m Ergo falsa sententia Origenis, animam rationalem esse ejusdem speciei cum angelis. Docuit is, animas nostras angelos olim fuisse, qui, peccantibus daemonibus, Deo adhaerentibus sanctis angelis, velut ancipites haesissent, unde ut magis probarentur in corpora humana detrusi essent.

Coroll. 2^m Ergo falsa sententia Platoniorum, Leibnitz, Robinet, Ulrici, et spiritistarum : animam rationalem habere tenue corpus sibi naturaliter unitum a quo nunquam separetur, etiam quum a corruptibili corpore se-juncta.

Coroll. 3^m Ergo falsa sententia Tongiorgi et Palmieri, qua substantialis unio animae et corporis eo constitui videatur quod anima, substantia in ratione substantiae completa, pervadens corpus seu corporis atomos, substantiam alteram in ratione substantiae completam, vim propriam suam vi corporis propriae associet admisceatque, atque ita ex utraque una nova natura, unum novum subjectum constitui dicatur. — Nam : a) sic haberemus non formam veram informantem immediatam, sed formam improprie dictam, assistentem, mediantibus suis viribus et actionibus; — b) haberetur mutua actio et reactio, et recidimus in systema influxus mutui physici; — c) manerent duo subjecta prima, in unum quidem effectum concurrentia, sed non unum subjectum per se.

Propositio 96.

In homine nulla est alia forma substantialis praeter animam rationalem, et per hanc homo non solum est homo, sed animal, et vivum, et corpus, et substantia, et ens. — (S. THOM. de Spir. creat. a. 3.)

Stat. quaest. 1) Post probatam praecedentem propositionem ulterior manet quaestio inter scholasticos libere disputata : utrum determinationes omnes essentiales corporis humani sint a sola anima, an solae vitales omnes, reliquae vero ab alia forma essentiali inferiore. Prius affirmant scholastici fere omnes cum D. Thoma, alterum Scotus cum suis.

2) Minime confundi potest opinio Scoti cum opinione recentiorum, qui cum Palmieri docent animam esse substantiam *in ratione substantiae completam*, principium trium vitarum in homine; corpus item substantiam *in ratione substantiae corporeae completam*; ex unione harum substantiarum per mutuam communicationem *virium et actionum* effici novam naturam unam.

3) Scotus docet subjectum quod ab anima immediate informatur non esse materiam primam ut puram potentiam, sed materiam jam *aliquatenus actualem et determinatam*, ita ut ante suam unionem cum anima jam sit corpus, materia nempe actuata ab alia quadam forma *imperfecta et transitoria*, quam appellat formam corporeitatis, nam, ait, « forma animae non manente, corpus manet, et ideo universaliter in quolibet animato necesse est ponere formam qua corpus est corpus, aliam ab illa qua est animatum. » Hanc tamen materiam per formam corporeitatis aliquatenus determinatam et actuatam independentem ab anima expresse asserit Scotus esse aliquid *plane imperfectum et insufficientem ad existendum* per se, sine anima; negat enim eam materiam, sic aliquatenus determinatam, *esse individuum nec speciem in genere corporis, nec in genere substantiae*; dein : « et ita illa forma necessario est alia ab anima, sed non est individuum sub genere corporis nisi tantum per reductionem ut pars; sicut nec anima separata est per se inferius ad substantiam sed tantum per reductionem. » (In 4 dist. XI. q. 3. schol. penult.) — Idem Scotus : *De rer. pr. qu. 9. a. 2. s. 3* : « quamvis sint diversae formae in homine, dantes diversa esse, anima intellectiva non solum dat esse intellectui, sed *perficit actus alia-*

rum formarum. Quod patet quia ipsa recedente incipit materia corrumpi quoad actus aliarum formarum; ergo si secundum Boetium forma dat esse, ista forma dans esse consummatum et perfectum, quale creaturae corruptibili potest communicari, est perfectior omni forma, ac per hoc unitiori et intimiori forma intimat et unum facit, tanquam forma, in qua terminatur tota ratio essendi. »

4) Docet D. Thomas in homine nihil aliud physice esse nisi animam, a qua omnes omnino essentiales determinationes hominis sint, et materiam primam, potentiam subjectivam puram sine ullo actu determinationis, quae proinde de se nec corpus, nec organisatum, nec substantia, imo nec ens plene existens sit, sed haec omnia ab anima accipiat; — corpus igitur in homine si animae opponitur, intelligendum esse materiae primae indeterminatae massam; — corpus si jam determinatum quid intelligitur, esse totum compositum, hominem, cujus jam una pars anima rationalis sit. Cfr. S. Th. p. 1. q. 76. a. 4.

5) Hanc Sⁱ Thomae sententiam in propositione defendere volumus.

Prob. 1^o Si anima unitur materiae, jam actuatae per aliam formam essentialem seu substantialem, per quam illa recipiat primum esse independentem ab anima, sequitur animam non dare corpori esse substantiale, sed accedere post primam constitutionem substantialem; *a.* sic anima non est forma substantialis sed accidentalis, neque ejus unio est substantialis; *e.*

Prob. 2^o Entia non sunt multiplicanda sine necessitate, nec proin admitenda est forma inferior in homine si possunt omnia haberi per solam animam rationalem; *a.* possunt; *e.*

Ad min. « Perfectior forma facit per unum omnia quae inferiores faciunt per diversa, et adhuc amplius; » i. e. forma superior continet virtualiter et eminenter formas inferiores; *e.*

Objic. 1^o Si anima daret corpori ipsum esse corporis, anima esset pars essentialis corporis; *a.* spiritum esse partem corporis induceret materialismum; *e.* — R. *d. maj.* pars formalis corporis, *c.* materialis, *n.* — *c. d. min.*

Objic. 2^o Si praeter animam non esset corporeitatis-forma, corpus Ch^{ti} separatum ab anima triduo mortis non mansisset idem corpus; *a.* hoc repugnat; *e.* — R. *d. maj.* idem natura, *c.* idem supposito, *n.*

Inst. Si ita esset, corpus Ch^{ti} fuisset obnoxium corruptioni. — R. *d. i. e.* separationi componentium, *c.* solutioni elementorum, *n.*

Inst. Saltem dici nequit corpus Ch^{ti} separatum idem mansisse simpliciter. — R. *d. i. e.* totaliter, *c.* supposito, *n.*

Inst. Verbum fuisset hypostatice unitum formae cadavericae; *a.* axioma est : quod verbum semel assumpsit, nunquam dimisit; *e.* — R. *d. maj.* tanquam alicui primario assumpto, *n.*; tanquam alicui consequenter assumpto cum natura primario assumpta, *c.*; — *c. d. min.* quod semel primario assumpsit, *c.*; quod consequenter..., *n.* (scil. vicissitudines omnes naturales humanae naturae : somnum, frigus, dolorem, motum, mortem et statum mortui corporis i. e. formam cadavericam, etc.).

Objic. 3° Corpus Ch^{ti} in Eucharistia est sub specie panis vi verborum, anima autem non vi verborum sed naturalis illius connexionis et concomitantiae; *a.* ita non esset, si anima esset sola forma, et proinde pars corporis ut sic; *e.* — R. *d. maj.* corpus Ch^{ti} praecisione facta a gradu (vitae variae, substantialitatis, etc...), *c.*; prout realiter invenitur in ordine rerum, *n.* — *c. d. min.* ita non esset, i. e. etiam vi verborum adesset anima considerata ut formalis pars corporis, *c.*; considerata ut principium certi alicujus gradus (v. c. vitae), *n.*

Objic. 4° Si anima daret in homine etiam corporeitatem, mors non esset homini naturalis; *a.* hoc falsum est; *e.* — *ad maj.* Mors sequitur ex pugna inter diversas vires aut diversa elementa corporis; *a.* hoc impossibile esset, si unum principium esset omnium illarum virium; *e.* — R. *n. maj.* — *ad prob. tr. maj.*; — *d. min.* si unum principium radicale, *n.*; si unum principium proximum, *c.*

Objic. 5° Saltem deberet admitti nova forma in cadavere; *a.* nulla causa est quae eam producat; *e.* — R. *c. maj.* — *n. min.* (eadem agentia quae causant mortem).

Objic. 6° In cadavere manent eadem accidentia, ac proinde eadem substantialis forma; *a.* non manet anima; *e.* — R. *tr. 1 part. maj.* (disputatur; satis facile tamen concederemus; nam manet subjective idem numero corpus, etsi essentialiter mutatum) — *n. 2 part. maj.* (sufficit nova formaeducta e potentia materiae, i. e. talis qualem sibi exigebat materia ita praedisposita).

Objic. 7° Si anima rationalis, nulla mediante alia forma, uniretur materiae primae, esset in ordine imperfectissimarum formarum; *a.* hoc falsum est; *e.* — *ad maj.* Quo forma est propinquior materiae, eo est imperfectior; *e.* imperfectissima est, quae immediate materiae primae unitur. — R. *n. maj.* — *ad prob. d. maj.* quo propinquior i. e. quo magis a materia pendens in generatione sui et minus elevans materiam in gradibus entium, *c.*; i. e. quo magis immediate unitur materiae, *n.*

Objic. 8° Esse animae intellectivae est formaliter indivisibile, incorruptibile, inextensum, incorporeum; esse vero corporis est formaliter corruptibile, divisibile, extensum, corporeum; *a.* impossibile est notas oppositas esse ab eadem forma; *e.* — R. *c. maj.* — *c. min.* — *n. supp.* (notas corporis esse ab anima sola ut forma; sed sunt etiam, imo potius, a parte materiae unitae).

Objic. 9° Si anima uniretur materiae ut forma unica, deberet corpori tribuere complementum et actum essendi; *a.* id facere nequit; *e.* — *ad min.* Quidquid anima rationalis continet est spirituale; *a.* spirituale nequit complere materiam; *e.* — R. *c. maj.* — *n. min.* — *ad prob. d. maj.* i. e. simplex, inextensum, *c.*; excedens capacitatem materiae, *sd.* in quantum est rationalis, *c.*; in quantum virtualiter continet formas inferiores, *n.*

Objic. 10° Nemo dat quod non habet; *a.* anima incorporea non habet corporeitatem; *e.* — R. *a) retorq.* anima non habet vegetationem. — R. *b) d.*

maj. virtualiter vel eminenter, vel formaliter, *c.*; formaliter tantum, *n.*; — *c. d. min.*

Objic. 11° In homine vivo, caro, ossa, medulla, pellis, cerebrum, etc. differunt substantialiter, non accidentaliter; nam non minus differunt viva quam mortua. — R. *n. ant.* et *n. rat. add.* (cfr. inf. coroll. 1^m).

Objic. 12° Anima definitur actus primus corporis physici organici potentia vitam habentis; *a.* materia prima nuda non est corpus physicum organicum; *e.* anima non recipitur in materia nuda. — R. *a) retorq.* materiae non nudae actus non esset actus primus sed actus secundus. — R. *b) d. maj.* organici organisatione quae sit ab anima, *c.*; ab alio actu praecedente substantiali, *n.*

Inst. Corpus debet esse organisatum ante adventum animae; *e.* — R. *d. ant.* organisatione praevia (ab anima per ejus adventum excludenda), *tr.*; organisatione concomitante (quae retineatur cum anima, sed non sit ab ea), *n.*

Coroll. 1^m Ergo praeter alia discrimina, hoc etiam differunt materia mineralis et materia viva, i. e. corpus animatum, quod corpus minerale omnes suas proprietates homogeneae per totam massam diffusas habet, vel si turbatur aequilibrium (calefit vel comprimitur una extremitas), corpus natura sua tendit ad aequilibrium restaurandum; corpus autem *vivum* natura sua proprietates varias, et stabiliter varias, pro variis suae massae partibus habet; quae varietas ad operationum varietatem adaptat partes atque ita organa efficit (ossa, carnes, nervos; nasum, oculos, pedes, stomachum; cellulas, fibras, ramos, folia).

Coroll. 2^m Ergo ab eadem una anima humana informantur omnes hominis partes (v. c. ossa, pellis, capilli, ungues...); nec mirum *a)* quod istae tamen partes sensationem non habeant, nam ad hoc destinatae non sunt; — *b)* quod aliqua earum etiam post mortem succrescant, nam forma cadaverica quae statim in mortis instante, et ipso facto, ex potentia materiae educitur, talis est ut per aliquantum tempus pergant aliqua vegetationis vestigia; mox tamen pereant et isti actus, et ipsa corporis unitas, solvaturque forma una in multas cadavericas formas, abeatque in elementares minerales.

Coroll. 3^m Necessario mutuus influxus physicus exercetur inter animam et corpus redundantque aliquo modo alterius in alterum dispositiones, etiam accidentales, non per actionem et passionem mutuam, sed per communicationem.

Coroll. 4^m Ergo intima essentia animae humanae in eo consistit, quod sit spiritualis substantia, quae simul sit et principium actionum intellectualium et forma substantialis corporis vegetativo-sensitivi humani. — Est ergo ipsa sua natura in confinio spiritualium et corporalium creaturarum, quoad esse et quoad operari.

QUAESTIO 3.

De effectibus corporalibus animae.

Propositio 97.

E corporis conformatione probabilia tantum indicia de hominis interiore statu haberi possunt.

Stat. quaest. 1) *Physiognomia* est scientia qua e corporis habitu externo indoles animae et passiones atque habitus investigantur. Haec jam ab antiquissimis temporibus exsurrexit, propter intimum nexum inter animam et corpus. Cultores habuit praecipuos inter antiquos : Platonem, Aristotelem, Galenum, — medio aevo : Averrhoem, B. Albertum M. — recentius : Lavater, Camper, Blumenbach.

2) *Lavater* principia ut certa posuit : pulchritudinis externae typum typo internae pulchritudinis necessario respondere; — typum autem externae pulchritudinis in eo situm esse quod omnes partes corporis mirifice consentirent.

3) *Camper*, ex varietate anguli faciei hominum ingenia metiebatur, qui est apud simium 58°, apud Nigritas 70°, apud Tartaros, Mongolos, Sinenses 85°, apud Europaeos aliquando 90°.

4) *Blumenbach*, idem metitur ex tota calvariae latitudine : unde stirpes praecipuas tres distinguit : Caucasicam, Aethiopicam, Mongolicam, quibus addit secundarias : Malaianam, Americanam.

Prob. Motiva quibus nititur physiognomia sunt 1) *a priori* : intima unio animae cum corpore et mutuus eorum influxus; 2) *a posteriori* : inductio ex observatis factis humanis; *a*. haec motiva probabilitatem quidem, et saepe veritatem dare, certitudinem vero non possunt dare; *e*.

Ad min. 1 part. (unio). Anima licet tali corpori unita, est tamen libera quoad actus morales, quoad habitus contrahendos vel vincendos, quoad naturales propensiones retundendas.

Ad 2 part. (experientia). Facta saepe plane contraria observantur; *e*. nec inductio satis completa est, nec satis uniformis observatio.

Propositio 98.

E calvariae protuberantiis nihil omnino de hominis interiore statu concludere licet.

Stat. quaest. 1) *Phrenologia* est systema cujus praecipua sunt haec asserta :

a) cerebrum non unicum est organum, sed ex multis distinctis organis constituitur;

b) illorum circumvolutionibus, earumque dimensionibus respondent totidem protuberantiae in calvaria;

c) sunt autem sedes primitivarum animi facultatum, quae nomine cum organis propriis confundi possunt;

d) illae vero sunt animi propensiones, v. c. ad poesim, mathesim, iram, homicidium, amores, etc; nec inter eas connumerantur facultates a metaphysicis communiter admissae; quae sunt secundariae et prioribus quasi subjectae, earumque veluti attributa generalia;

e) inde toties in eodem individuo secundariae omnes inveniuntur, quoties illud primariis facultatibus praeditum reperitur.

2) Hujus systematis auctor, *Gall*, 25 organa seu facultates primitivas in cerebro computat; — ejus discipulus et collaborator *Spurzheim*, 35 facultates distinguit et in tres ordines secundum earum sedes in calva dividit : a) *instinctivas* in parte posteriore, b) *affectivas* in parte superiore, media, c) *intellectuales* in parte anteriore.

3) Si quis igitur locum noverit cujusque facultatis in calva, is poterit ex protuberantiis earumque dimensione dijudicare, utrum homo habeat aliquam facultatem vel inclinationem, et qua intensitate.

Prob. Systema phrenologiae : 1) factis certis plurimis contradicit, 2) gratuito affirmatur, 3) ad absurda ducit; *e*.

Ad ant. 1 part. (factis contradicit). v. c. a) laesiones quae perturbant facultates, et in pathologia numerantur, non in iis circumvolutionibus fiunt, quae illis facultatibus tanquam sedes assignantur; — b) non existit consensus quem supponunt, inter externas calvae prominentias et cerebri internas circumvolutiones; — c) organum theosophiae etiam in cranio arietum detegitur! — d) in cranio celeberrimi Laplace apparebat organum stupiditatis; etc.

Ad 2 part. (gratuito). a) Nec ipsi sibi phrenologistae, nec inter se concordantes sunt circa naturam, numerum, sedem organorum assignandorum; — b) neque principio aliquo nituntur a priori, nisi quis vellet materialismi doctrinis uti; — c) neque experientia satis ampla, constanti, varia, ut possit legitima fieri inductio; — d. quae facta narrantur apud Gall, etc, vel prorsus incredibilia sunt, vel ad rem nihil faciunt.

Ad 3 part. (ad absurda ducit...). v. c. a) humanas facultates primitivas non omnibus hominibus inesse. — secundarias omnibus communes esse, scilicet voluntatem, rationem; — b) facultates ratioeinandi, reminiscendi, toties in eodem homine repeti, quot facultates et organa in calvaria inveniuntur; — c) fatalismum et materialismum, non quidem absoluta necessitate logica, sed valde prona consequentia inducit.

Schol. Axioma medicorum est, idque optimo jure admissum : « Cerebri obscura textura, obscuriores morbi, functiones obscurissimae! »

QUAESTIO 4.

De distinctione animarum.

Propositio 99.

Tot sunt animae, quot sunt homines.

Stat. quaest. *Averrhoes* asseruit animam humanam esse substantiam completam unam numero in omnibus hominibus effusam; quae tamen pro diversitate corporum ac phantasmatum varietate, in singulis accidentaliter modificaretur, ut ventus unus in diversis organi fistulis. — Hanc doctrinam resuscitavit *Pomponatius*, sed damnatur a concilio Lateranensi IV.

Prob. 1° Singulae potentiae actuatae, per singulos diversos numero actus actuantur; *a.* in homine unoquoque est potentia essentialis (materia) actuata; *e.* est in singulis hominibus actus essentialis distinctus, i. e. anima distincta.

Prob. 2° Si pluribus una inesset anima, *a)* cogitatio unius esset cogitatio omnium propria; *b)* cogitationes omnium essent eadem, nunquam oppositae; *a.* teste experientia, ita non est; *e.*

Ad maj. Cogitatio est immanens in sola anima independenter a corpore.

Propositio 100.

Absurda est metempsychosis, seu transmigratio animarum ab uno corpore in aliud.

Stat. quaest. Hanc transmigrationem antiqui multi, apud Indos hodieum Brachmani, sed et apud nos docent qui spiritismo sese exercent.

Prob. Metempsychosis supponit: 1) praesistentiam animarum, 2) vitae praecedentis culpam luendam, 3) cursum denuo incipiendum, 4) corpus esse carcerem animae, 5) oblivionem culpae antiquae; *a.* haec totidem sunt falsa; *e.*

Ad min 1 part. (praeexistencia). Cfr. infra.

Ad 2 part. (culpa luenda). Hujus culpae nulla est memoria, sed invincibilis oblivio; *a.* de culpa ignota absurde et injuste quis puniretur, et inutilis est correctio (cfr. moral.); *e.*

Ad 3 part. (nova probatio). Sic nulla esset seria moralis legis sanctio, sed certitudo felicitatis tamen aliquando obtinendae post alias et alias vitas, nec alia peccati poena nisi nova occasio peccandi.

Ad 4 part. (corpus carcer animae). *a)* Sic jam nulla unio substantialis inter animam et corpus, sed accidentalis tantum, et violenta: contra experientiam!

b) Sic possent, imo deberent migrare animae peiores in corpora pejora, inferiora, v. c. brutorum, plantarum, et tunc aut retinerent suas naturales facultates, quod falsum est; — aut non retinerent, quod est contra earum naturam, et ipsum scopum hujus novae vitae.

Ad 5 part. (oblivio). Species olim impressae in intellectu sunt qualitates spirituales in spiritu inhaerentes; *a.* tales difficillime amittuntur, sed firmiter conservantur; et nulla hic affertur ratio cur, vel causa a qua debuerint deleri; *e.*

Propositio 101.

Non sunt omnes animae humanae perfectione substantiali omnino aequales.

Notiones. Distingui potest *inaequalitas*:

accidentalis — quae spectatur secundum accidentia rei, v. c. virtus, scientia, substantialis — qua una substantia vel unum ens altero perfectius est per seipsum, v. c. homo perfectior bruto.

{ specificae, seu formaliter, si alias perfectiores habet potentias, v. c. rationale, et non rationale.

{ entitative, seu materialiter, si mediantibus iisdem potentiis perfectius agit, v. c. melius intelligit naturaliter.

Stat. quaest. 1) Omnes concedunt animas humanas esse perfectione accidentali inaequales; et perfectione substantiali specifica aequales; sed disputatur de perfectione substantiali entitative.

2) Multi negant omnem inaequalitatem substantialem, neque ipsam distinctionem admittunt inter perfectionem substantialem specificam et entitativam. Videtur ipse S. Thomas utrumque aliquando censuisse, cfr. p. 1. q. 85. a. 7. — p. 3. q. 69. a. 8. ad 3. — q. lib. 3. a. 8.

3) Cum Scoto, Ferrarensi, Cajetano, dicimus intra eandem specificam perfectionem qua non differunt, esse in singulis animabus individuum differentiam perfectionis quoad entitatem ipsius animae.

Prob. Anima humana est forma substantialis, immediata, unica hominis; *a.* ex hoc conceptu sequitur tot et tantas esse differentias substantiales animarum, quot et quantae sunt differentiae substantiales corporum; *e.*

Ad maj. 1 part. (substantialis). Per hanc homo habet: *a)* quidquid sibi est praeter ipsam materiam primam physice essentielle seu substantiale, scilicet specificationem humanam totaliter, et ipsam etiam completam existentiam et individuationem; — *b)* et radicaliter quidquid sibi est physice et individue proprium, scilicet talem externam et internam structuram et figuram, talem complexionem, talem facultatem cognitivam, sensitivam, locomotivam, vegetativam, appetitivam, etc.

Ad maj. 2 part. (immediata). Per suam propriam entitatem communicatam, non per aliquam sui partem, vel per aliquam suam operationem vel influxum; — *aliis verbis*: ipsa non facit vel producit corporis determinationes substantiales, sed ipsa est istae determinationes: essentielles quidem formaliter, propriae et exigitivae vero radicaliter.

Ad maj. 3 part. (unica). Per hanc solam habet homo quidquid sibi substantiale est in quoquo ordine et triplici vita, ita ut praeter eam in homine nihil

sit physice substantiale nisi materia prima, i. e. potentia subjectiva pura, sine ullo actu physico.

Ad min. Determinationes substantiales physicae sunt totae a forma substantiali, nullae a materia prima quae est mera potentia; ergo ubi formae substantiales unicae sunt aequales, ibi omnes determinationes compositi sunt aequales, et ubi inaequales formae ibi inaequales determinationes; sed et vicissim, ubi determinationes substantiales compositi seu corporis sunt aequales vel inaequales, ibi formae substantiales immediatae unicae sunt aequales vel inaequales.

Objic. 1° Omnes differentiae explicari possunt per materiae informandae dispositiones varias, a parentibus praeparatas et traditas, ab influxibus extrinsecis modificatas; *e.* — *R. d.* differentiae accidentales, *c*; substantiales, *sd.* partim explicantur, i. e. non sine omni influxu praedispositionum materialium existunt, *c*; totaliter explicantur, i. e. solis illis praedispositionibus et influxibus externis omnia explicantur, *n.*

Objic. 2° Si in substantia unius animae est aliquis gradus, qualis non est in substantia alterius animae, istae duae animae differunt specie. — *R. d.* si aliquis gradus perfectionis formalis seu specificae, *c*; materialis seu entitativae, *n.* (plus et minus perfectionis seu intensitatis earumdem notarum, non mutant speciem; sed plures vel pauciores perfectiones seu notae essentialis aliae et aliae mutant speciem).

Objic. 3° Si juxta corpus magis perfectum anima esset perfectior, sequeretur esse animae dari a corpore, eamque e potentia materiae educi (nam aliter non posset corpus causare animam perfectiorem); *a.* hoc est falsum; *e.* — *R. n. maj.* et *n. supp.* (non corpus causat animam, sed potius anima determinat corpus secundum suam communicatam essentiam, et jam non ideo anima est perfectior quia corpus est perfectius, sed ideo corpus est perfectius quia anima est perfectior. Aliquatenus tamen influit etiam praedispositio materiae, nempe secundum dispositionem substantialiter perfectiorem creatur anima entitative perfectior et proportionata ad exigentiam materiae).

Objic. 4° Si pro corporis perfectione anima esset perfectione differens, sequeretur eandem numero animam mutari essentialiter cum corpore mutato, aegrotante, senescente, etc; *a.* hoc est impossibile; *e.* — *R. d. maj.* mutari cum corpore mutato, i. e. si corpus mutatur essentialiter, *tr. sed n. supp.*; i. e. si corpus mutatur accidentaliter, *n.*

Objic. 5. Omnes differentiae quae inter varios homines, sunt accidentales tantum, non substantiales. — *R. d.* logice, i. e. secundum mentis conceptus universales, *c*; physice, i. e. secundum concretam rerum existentiam, *n.*

Inst. Eadem et non minores sunt ejusdem individui differentiae adolescentis, vigentis, aegrotantis, senescentis; *e.* redit objectio praecedens. — *R. n.* vel *d.* quoad effectus apparentes aliquo temporis intervallo, *tr.*; quoad ipsius principii constitutionem, *n.* (de principii constitutione judicandum, non ex aliquo ejus statu et aliqua parte vitae, sed ex totali ejus activitate et vita integra).

Objic. 6° Aliqui nascuntur perpetuo amentes et hebetes, ac proinde eorum anima secundum propositionem dici deberet non rationalis; *a.* hoc est absurdum; *e.* — *R. c. maj. 1 part.* — *d. maj. 2 part.* non rationalis, i. e. facultate intelligendi privata, *n*; i. e. incapax vincendi nimis malam praedispositionem materiae suae, eamque suis facultatibus adaptandi complete, *c*; — *e. d. min.*

Inst. Eadem incapacitas vincendi sufficet ad explicandas omnes varietates hominum. — *R. d.* varietates accidentales, *c*; substantiales, *sd.* quoties condiciones normales ordinariae adsunt ut habeatur ordinarius cursus naturae, *n*; in extraordinariis et raris, *sd.* et etiam tunc incapacitas non eadem esset omnium animarum, *c*; secus, *n.* (accidit non initio solum vitae, sed etiam postea, ut simili mala dispositione materiae, v. c. ex morbo vel ex maestitia, ira, terrore, gaudio subito et vehementiore, alter homo resistat, alter vel succumbat, vel rationis usum amittat).

Schol. *Quid ergo si mutuarentur duorum corporum animae.* — *R. 1)* Probabilius neganda possibilitas talis mutationis, ut v. c. tua anima meo corpori substantialiter uniatur. — *R. 2)* Ex tali unione, si fieret, constitueretur nec tua persona, nec mea, nec nova aliqua, sed monstrum sine nomine compositum ex partibus essentialibus sibi non proportionatis. — *R. 3)* Vi talis unionis anima in corpus ita influeret ut actibus vitalibus vegetativis paulatim mutaretur corpus et animae adaptaretur, fieretque tale quale antea corpus habebas tuum.

CAPUT III.

DE ORIGINE ANIMAE.

Post praecedentem disquisitionem, qua quid sit anima humana, tum in seipsa inspecta, tum in sua unione cum corpore, quid proinde homo ex corpore et anima compositus, scrutati sumus; alia se offert solvenda quaestio, quo nimirum modo haec spiritualis forma oriatur, corpori infundatur, in humano genere propagetur. — Cujus quaestionis solutionem per revelationem quidem habemus certam et claram, extra revelationem maxima etiam ingenia turpiter errarunt, quid recta possit attingere ratio dispiciamus.

Propositio 102.

Anima humana non est aliquid productum ex substantia divina.

Stat. quaest. 1) Triplici modo intelligi potest haec sententia pythagorica; a) animam esse aliquid de substantia divina; — b) animam produci ex substantia divina, et esse partem decerptam ac divisam a substantia divina; — c) animam ex substantia divina produci per modum phaenomenalis manifestationis ejus.

2) Singula haec ut absurda rejicimus per partes probationis.

sit physice substantiale nisi materia prima, i. e. potentia subjectiva pura, sine ullo actu physico.

Ad min. Determinationes substantiales physicae sunt totae a forma substantiali, nullae a materia prima quae est mera potentia; ergo ubi formae substantiales unicae sunt aequales, ibi omnes determinationes compositi sunt aequales, et ubi inaequales formae ibi inaequales determinationes; sed et vicissim, ubi determinationes substantiales compositi seu corporis sunt aequales vel inaequales, ibi formae substantiales immediatae unicae sunt aequales vel inaequales.

Objic. 1° Omnes differentiae explicari possunt per materiae informandae dispositiones varias, a parentibus praeparatas et traditas, ab influxibus extrinsecis modificatas; *e.* — *R. d.* differentiae accidentales, *c*; substantiales, *sd.* partim explicantur, i. e. non sine omni influxu praedispositionum materialium existunt, *c*; totaliter explicantur, i. e. solis illis praedispositionibus et influxibus externis omnia explicantur, *n.*

Objic. 2° Si in substantia unius animae est aliquis gradus, qualis non est in substantia alterius animae, istae duae animae differunt specie. — *R. d.* si aliquis gradus perfectionis formalis seu specificae, *c*; materialis seu entitativae, *n.* (plus et minus perfectionis seu intensitatis earumdem notarum, non mutant speciem; sed plures vel pauciores perfectiones seu notae essentialis aliae et aliae mutant speciem).

Objic. 3° Si juxta corpus magis perfectum anima esset perfectior, sequeretur esse animae dari a corpore, eamque e potentia materiae educi (nam aliter non posset corpus causare animam perfectiorem); *a.* hoc est falsum; *e.* — *R. n. maj.* et *n. supp.* (non corpus causat animam, sed potius anima determinat corpus secundum suam communicatam essentiam, et jam non ideo anima est perfectior quia corpus est perfectius, sed ideo corpus est perfectius quia anima est perfectior. Aliquatenus tamen influit etiam praedispositio materiae, nempe secundum dispositionem substantialiter perfectiorem creatur anima entitative perfectior et proportionata ad exigentiam materiae).

Objic. 4° Si pro corporis perfectione anima esset perfectione differens, sequeretur eandem numero animam mutari essentialiter cum corpore mutato, aegrotante, senescente, etc; *a.* hoc est impossibile; *e.* — *R. d. maj.* mutari cum corpore mutato, i. e. si corpus mutatur essentialiter, *tr. sed n. supp.*; i. e. si corpus mutatur accidentaliter, *n.*

Objic. 5. Omnes differentiae quae inter varios homines, sunt accidentales tantum, non substantiales. — *R. d.* logice, i. e. secundum mentis conceptus universales, *c*; physice, i. e. secundum concretam rerum existentiam, *n.*

Inst. Eadem et non minores sunt ejusdem individui differentiae adolescentis, vigentis, aegrotantis, senescentis; *e.* redit objectio praecedens. — *R. n.* vel *d.* quoad effectus apparentes aliquo temporis intervallo, *tr.*; quoad ipsius principii constitutionem, *n.* (de principii constitutione judicandum, non ex aliquo ejus statu et aliqua parte vitae, sed ex totali ejus activitate et vita integra).

Objic. 6° Aliqui nascuntur perpetuo amentes et hebetes, ac proinde eorum anima secundum propositionem dici deberet non rationalis; *a.* hoc est absurdum; *e.* — *R. c. maj. 1 part.* — *d. maj. 2 part.* non rationalis, i. e. facultate intelligendi privata, *n*; i. e. incapax vincendi nimis malam praedispositionem materiae suae, eamque suis facultatibus adaptandi complete, *c*; — *e. d. min.*

Inst. Eadem incapacitas vincendi sufficet ad explicandas omnes varietates hominum. — *R. d.* varietates accidentales, *c*; substantiales, *sd.* quoties condiciones normales ordinariae adsunt ut habeatur ordinarius cursus naturae, *n*; in extraordinariis et raris, *sd.* et etiam tunc incapacitas non eadem esset omnium animarum, *c*; secus, *n.* (accidit non initio solum vitae, sed etiam postea, ut simili mala dispositione materiae, v. c. ex morbo vel ex maestitia, ira, terrore, gaudio subito et vehementiore, alter homo resistat, alter vel succumbat, vel rationis usum amittat).

Schol. *Quid ergo si mutuarentur duorum corporum animae.* — *R. 1)* Probabilius neganda possibilitas talis mutationis, ut v. c. tua anima meo corpori substantialiter uniatur. — *R. 2)* Ex tali unione, si fieret, constitueretur nec tua persona, nec mea, nec nova aliqua, sed monstrum sine nomine compositum ex partibus essentialibus sibi non proportionatis. — *R. 3)* Vi talis unionis anima in corpus ita influeret ut actibus vitalibus vegetativis paulatim mutaretur corpus et animae adaptaretur, fieretque tale quale antea corpus habebas tuum.

CAPUT III.

DE ORIGINE ANIMAE.

Post praecedentem disquisitionem, qua quid sit anima humana, tum in seipsa inspecta, tum in sua unione cum corpore, quid proinde homo ex corpore et anima compositus, scrutati sumus; alia se offert solvenda quaestio, quo nimirum modo haec spiritualis forma oriatur, corpori infundatur, in humano genere propagetur. — Cujus quaestionis solutionem per revelationem quidem habemus certam et claram, extra revelationem maxima etiam ingenia turpiter errarunt, quid recta possit attingere ratio dispiciamus.

Propositio 102.

Anima humana non est aliquid productum ex substantia divina.

Stat. quaest. 1) Triplici modo intelligi potest haec sententia pythagorica; a) animam esse aliquid de substantia divina; — b) animam produci ex substantia divina, et esse partem decerptam ac divisam a substantia divina; — c) animam ex substantia divina produci per modum phaenomenalis manifestationis ejus.

2) Singula haec ut absurda rejicimus per partes probationis.

Prob. 1^a pars (*aliquid de substantia divina*). Deus est actus purus, imperfectibilis, omnimode simplex; *a.* anima humana habet potentias, perfectionem sumit a rebus creatis, virtualiter extenditur et componitur cum potentiis et actibus accidentalibus variis; *e.*

Prob. 2^a pars (*pars decerpta*). Deus est absolute et omnimode simplex, i. e. partes non habet quae decerpantur.

Prob. 3^a pars (*phaenomenalis manifestatio*). Deus est actus purus; *a.* non actus purus sed ens maxime in potentia potest varie seipsum, substantiam propriam, manifestare, i. e. ipsum alia et alia fieri, seu ut subjectum variis differentiis subesse; *e.* repugnat talis manifestatio Dei, et si supponitur ducit ad pantheismum.

Propositio 103.

Anima humana non propagatur a parentibus per traducem sive materialem sive spiritualem.

Stat. quaest. 1) Traduciani (Tertullianus, Apollinaris) docent animas filiorum oriri a parentibus per generationem, quod alii aliter explicant.

2) *Per traducem materialem*, i. e. animam oriri sicut reliquae formae oriuntur, organisato embryone per vim plasticam seminis, concurrentibus viribus naturalibus.

3) *Per traducem spiritualem*, i. e. animam oriri per directum quemdam influxum spiritualem, ita ut in semine simul adsit tradux quidam spiritualis.

Prob. 1^a pars (*per materialem*). Res illa corporea quae a parentibus in prolem traducitur, nec actu nec virtute in se continere potest animam, rem spiritualem; *e.*

Ad ant. 1 part. (non actu). patet.

Ad 2 part. (non virtute). In tantum anima containeretur in virtute seminis, in quantum hoc semen eam induceret dispositionem, vi cujus oriretur anima ad ortum compositi; *a.* anima, ens a materia independens, non potest in fieri dependere intrinsece a dispositione corporali; *e.*

Prob. 2^a pars (*per spiritualem*). Talis traductio intelligitur aut separatio animae infantis ab anima parentum, tanquam partis a toto, aut effectio animae infantis ab anima parentum per actum generationis; *a.* utrumque repugnat; *e.*

Ad min. 1 part. (separatione). Anima parentum est simplex, non habens partes quae separentur.

Ad 2 part. (effectio). Deberet semini impressa esse virtus aliqua spiritualis, animae humanae productiva; — *a.* 1) virtus semini impressa nequit ordinari nisi ad producendum novum compositum ut sic, adeoque ad producendam animam cujus totum esse sit constituere compositum, non vero quae sit in se etiam subsistens; — 2) virtus ista utpote ens spirituale et a materia seminali independens, totam redintegrat quaestionem quoad suum ortum; — 3) virtus ista utpote accidens inhaerere nequit materiae nisi ipsa sit materialis, non jam spiritualis; — *e.* et virtus illa repugnat, et animae effectio per eam.

Objic. 1^o In Deo est generatio Verbi, et tamen simplicitas; *e.* haec non excludit generationis possibilitatem. — *R. d. ant.* est generatio, i. e. processio unius substantiae ab alia, *n*; unius personae ab alia, quarum neutra distincta sit ab unica substantia divina, *e.*

Objic. 2^o In omni alia specie viventium invenitur vivens produci a vivente non solum quoad corpus sed etiam quoad animam; *e.* toti analogiae naturae repugnat animam humanam non produci a parentibus. — *R. a) c. ant;* — *d. cons.* repugnat spectato termino per se generationis, i. e. composito vivente, *n*; spectato termino per accidens, i. e. parte constitutiva hujus viventis spirituali, *e.* — *R. b) c. ant;* — *c. cons.* — *u. supp.* (requiri posse hanc analogiam ubi agitur de unica essentiali exceptione animae simplicis et spiritualis).

Objic. 3^o Pater vere generat filium hominem, non solum corpus filii; *a.* ille solus vere generat hominem, qui est causa animae rationalis; *e.* — *Prob. min.* Generatio est productio viventis, a vivente conjuncto, in similitudinem naturae specificae; *a.* anima, non corpus, dat speciem humanam filio; *e.* — *R. c. maj.* — *d. min.* qui causat esse animam, *n*; qui causat inesse animam, *e*; — *ad prob: e. maj;* — *d. min.* anima in suo esse dat speciem, *n*; in suo inesse, *e.* (esse animam, i. e. quod existat anima, nude sumpta existentia; inesse animam in corpore, i. e. animam substantialiter uniri corpori).

Objic. 4^o In homine, nobilissimo animalium, virtus seminis generativa debet superare illam quae est in aliis animalibus; *a.* in brutis potestas seminis generativa pertingit usque ad animae productionem; *e.* — *R. d. maj.* si nihil aliunde obstat, *c*; secus, *n*; — *tr. min.* (sed obstat animae rationalis spiritualitas).

Objic. 5^o Plurium actionum diversorum agentium nequit esse unus effectus; *a.* homo qui fit est unum ens; *e.* — *R. d. maj.* plurium agentium inadaequatorum, *n*; adaequatorum, *e*; — *c. min.*

Objic. 6^o Causa attingens ultimam alicujus formae dispositionem, habet vim productivam illius formae; *a.* generans attingit ultimam dispositionem animae (i. e. omnia ultimo disponit ut anima oriatur); *e.* — *R. d. maj.* productivam formae ejusdem rationis cum illis dispositionibus, *c*; secus, *n*; — *tr. min.*

Objic. 7^o Quae sunt ejusdem generis, habent eundem productionis modum; *a.* anima mere sensitiva et anima sensitiva rationalis sunt ejusdem generis; *e.* — *R. d. maj.* nisi obstat ratio specifica, *c*; si obstat, *n*.

Propositio 104.

Anima humana non conditur ex nihilo actione generantis.

Stat. quaest. Docet Froschammer animam filii a parentibus per creationem produci (sententia damnata a Pio IX).

Prob. 1^o Vis illa creandi si parentum animae inesset, esset spiritualis; *a.* talis vis spiritualis non inest; *e.*

Ad maj. Effectus est spiritualis; *e.* et causa, anima; *e.* et hujus accidens, vis producendi.

Ad min. Facultates spirituales reducuntur ad intellectum et voluntatem; *a.* 1) non intellectus creat (nam anima producitur nescientibus etiam parentibus existentiam ejus vel naturam); — 2) non voluntas creat (nam nolentibus etiam malis parentibus vel ignorantibus anima producitur); *e.*

Prob. 2° Creatio est productio entis independenter a materia subjecta; *a.* parentes non possunt independenter a materia subjecta producere animam; *e.*

Prob. min. Posset quisque pro libitu sine alia conditione producere animam; *a.* non potest; *e.*

Propositio 105.

Anima humana nequit in quantum sensitiva derivari a parentibus, et postea intellectiva fieri per manifestationem entis.

Stat. quaest. Contra Rosmini.

Prob. Illa anima sensitiva esset aut substantia spiritualis, aut non; *a.* si est, non potest produci a parentibus; si non, nequit fieri spiritualis per illam manifestationem (h. e. per actionem accidentalem: visionem, mutari substantialiter, et quidem ex materiali fieri spiritualis); *e.*

Propositio 106.

Anima humana in quovis homine immediate a Deo per creationem producitur.

Stat. quaest. Existentiam Dei creatoris nondum probavimus; quomodo ergo haec nostra propositio intelligenda? — R. Nondum probata, non hic praesupponitur, sed hic implicite probatur a posteriori, ex animae existentia et natura, atque exclusione omnis alius excogitabilis hujus causae productricis.

Prob. Nulla alia causa nec alius productionis modus admitti potest; *e.*

Ad ant. Omnis excogitabilis productio animae esset:

a Deo					
{ ex ejus substantia	—	—	—	—	1
{ per ejus actionem creativam	—	—	—	—	2
a parentibus					
{ ex eorum substantia per generationem					
{ per traducem corporeum	—	—	—	—	3
{ per traducem spiritualem	—	—	—	—	4
{ per eorum actionem creativam	—	—	—	—	5
ab alia creatura	—	—	—	—	6

a. de 1°, 3°, 4°, 5° cfr. supra;

de 6°: gratis affirmaretur; et gratis multiplicarentur causae (nam eodem jure, imo melius possent et deberent parentes producere);

e. solum 2^{um} admitti potest.

Objic. 1° Si Deus crearet singulas animas, ipse non raro cooperaretur peccato hominis fornicantis vel adulteri. — R. *n.*; vel *d.* concurreret peccato formaliter (ut malo morali), *n.*; materialiter (ut est res naturalis physice bona), *c.*

Objic. 2° Inconveniens est operationem Dei et naturae esse imperfectam; *a.* si anima sola est a Deo, corpus autem solum a natura parentum, erit utraque operatio imperfecta; *e.* — R. *a)* *c. maj.* — *n. min.* (utrumque virtute Dei: anima immediate, corpus mediate fit). — R. *b)* *d. maj.* imperfectam i. e. talem qualis esse non deberet, *c.*; i. e. inadaequate in terminum unum cooperans, idque propter alias rationes, *n.*

Coroll. 1^m Ergo homo ad generationem concurrat materiam dispositam ministrando, Deus animam rationalem creando.

Coroll. 2^m Homo generat hominem; nam *a)* genitor est causa inadaequata vere influens in productionem hominis; et materia ministrata non est solum conditio sed pars essentialis compositi; — *b)* terminus generationis est homo; et genitor ac genitus debent esse ejusdem speciei.

Coroll. 3^m Deus non generat hominem, quia de substantia divina nihil accipit homo, neque est ejusdem speciei ac Deus.

Propositio 107.

Animae humanae non ante creantur quam corporibus uniuntur.

Stat. quaest. Praeexistentiam animarum varie admittebant et explicabant Pythagoras (cfr. prop. 102), Plato (prop. 35, 100), Origenes (prop. 95 coroll.); Leibnitz (ab initio animas creatas esse et infusas corpusculis organicis, quo in statu sensitivae tantum sint, sed intellectivae fiant dum aptantur corporibus humanis).

Prob. Anima existens ante corpus aut haberet existentiam sibi sufficientem ad operationes proprias, aut non talem haberet, sed naturalem exigentiam corporis; — *a. si prius*, anima de se esset substantia completa, sine relatione necessaria ad corpus, et unio animae cum corpore non substantialis esset sed accidentalis; — *si posterius*, anima esset in statu insufficientiae ad omnem omnino operationem, tum vegetativam, tum sensitivam (patet!), tum intellectivam (nondum acquisito phantasmate); ac proinde in statu violento et inutili, foret ens ad nihil bonum, non bonum, non ens; *e.*

Objic. Potest anima praeeexistens intelligere per species rerum infusas, vel per propriam suam substantiam; *e.* etiam sine acquisito phantasmate non est in statu violento. — R. *d. ant.* si habet essentialem relationem ad corpus, *n.*; secus, *c.*; — *d. cons. pariter.*

Propositio 108.

In generatione hominis non tres animae successive producuntur.

Stat. quaest. 1) Aliae de ortu animae manent quaestiones : quarum prima quando incipiat animari fetus humanus, satis videtur soluta argumentis generalibus prop. 19 organol.

2) Ad alteram quaestionem : *quo ordine animetur* fetus, responsio est communis et evidens : exerceri prius vitam vegetativam, quam sensitivam, et hanc prius quam intellectivam. Nec de his jam disputamus.

3) Ad tertiam quaestionem : *quam anima animetur* ab initio fetus, respondet S. Thomas fetum prius animari vita vegetativa; deinde materia jam melius praeparata, vegetativam desinere, sensitivam oriri; tandem corpore apte disposito, creari rationalem, desinere sensitivam. Tres igitur produci in homine animas, sed successive, non simultanee; cfr. prop. 87.

4) Ad eandem quaestionem dicimus, ab initio animationis suae fetum probabilius jam ipsam rationalem animam habere, etsi varias successive potentias suas haec exercent.

Prob. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate; a. nulla est necessitas multiplicandi animas successivas; e.

Ad min. Sola ratio esset defectus dispositionis materiae, seu organisationis corporis; — a. 1) dispositiones correspondentes naturae humanae adsunt fetui ab initio, utpote humano; — 2) ad introductionem formae sufficit organisatio accidentaliter a parentibus data; — 3) anima rationalis potest facere quidquid facerent aliae formae inferiores; — 4) minor requiritur dispositio materiae ad introductionem formae quam ad operationem ipsius omnino perfectam; e.

Objic. 1° Anima humana est actus corporis organici; e. non potest esse nisi in corpore organisato convenienter tali animae; a. fetus initio suae vitae hanc organisationem convenientem non habet; e. — R. c. 1 assert.; — d. 1 cons. convenienter ad informationem, e; ad hanc operationem, sd. saltem aliquam, e; completam, n; — c. d. min. (potest jam vegetationem suam propriam exercere et per eam corpus sibi aptatum efformare).

Objic. 2° Abscisso capite, anima rationalis non manet in corpore, ob insufficientem organisationem; e. a fortiori nequit jam esse in massa quae capite et carnibus et ossibus et nervis careat. — R. d. ant. organisationem ut sic, n; ut medio connaturalis operationis (v. c. vegetationis), e; — n. cons. et n. suppos. (haec massa sufficit ad operationem vegetalem nutritionis, augmentationis, plasmationis, sibi connaturalem).

CAPUT IV.

DE ANIMAE IMMORTALITATE ET DE VITA FUTURA.

Propositio 109.

Anima humana natura sua est immortalis.

Notiones. Immortalitas dividitur :

absoluta seu essentialis, si enti metaphysice vi suae essentiae repugnat non esse et non vivere (solus Deus).

hypothetica, si enti non absolute sed ex conditione repugnat non perseverare in essendo et existendo.

naturalis seu per naturam, si posita ejus existentia, natura entis postulat perseverantiam.

(intrinsicam, si quia nullum in se habet corruptionis principium, v. c. spiritus.

(extrinsicam, si quia nulla vi creata destrui potest.

gratuita seu per gratiam, si non postulante ejus natura, ens Dei benignitate conservatur, v. c. corpora gloriosa, vel corpora ante peccatum Adae.

Stat. quaest. Adversantur animae immortalitati : a) materialistae; — b) pantheistae (animam post mortem resorberi divina substantia et ita individuationem suam amittere; — c) fautores continui progressus (hominem modo sub una, modo sub alia forma inveniri in mundo, ac per mortem suam formam amittere sed aliam induere).

Prob. Res naturaliter perit, 1) aut dissolutione partium suarum; — 2) aut amissione principii vitalis; — 3) aut subtractione subjecti exigit; — a. anima humana 1) non habet partes quae dissolvantur; — 2) est ipsa sibi principium vitale; — 3) est intrinsicè independens a subjecto suo corpore; e.

Objic. 1° Anima est obnoxia morbis; a. morbi sunt initium corruptionis; e. — R. d. maj. anima secundum se et absolute, n; per accidens et improprie (ratione unionis cum corpore), e.

Objic. 2° Quorum est simile principium et similis processus, eorum est similis finis; a. animae brutorum et animae humanae est simile principium (oriuntur cum corpore), et similis processus (cum corpore invalescunt et declinant); e. — R. c. maj; — n. min. (prior educitur ex potentia materiae, et dependet a materia; altera creatur et est independens).

Objic. 3° Si anima non corrumpetur cum corpore, non horreret naturaliter mortem. — R. d. si..., et si haberet naturam et essentiam completam, e; secus, n.

Propositio 108.

In generatione hominis non tres animae successive producuntur.

Stat. quaest. 1) Aliae de ortu animae manent quaestiones : quarum prima quando incipiat animari fetus humanus, satis videtur soluta argumentis generalibus prop. 19 organol.

2) Ad alteram quaestionem : *quo ordine animetur* fetus, responsio est communis et evidens : exerceri prius vitam vegetativam, quam sensitivam, et hanc prius quam intellectivam. Nec de his jam disputamus.

3) Ad tertiam quaestionem : *quam anima animetur* ab initio fetus, respondet S. Thomas fetum prius animari vita vegetativa; deinde materia jam melius praeparata, vegetativam desinere, sensitivam oriri; tandem corpore apte disposito, creari rationalem, desinere sensitivam. Tres igitur produci in homine animas, sed successive, non simultanee; cfr. prop. 87.

4) Ad eandem quaestionem dicimus, ab initio animationis suae fetum probabilius jam ipsam rationalem animam habere, etsi varias successive potentias suas haec exercent.

Prob. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate; *a.* nulla est necessitas multiplicandi animas successivas; *e.*

Ad min. Sola ratio esset defectus dispositionis materiae, seu organisationis corporis; — *a.* 1) dispositiones correspondentes naturae humanae adsunt fetui ab initio, utpote humano; — 2) ad introductionem formae sufficit organisatio accidentaliter a parentibus data; — 3) anima rationalis potest facere quicquid facerent aliae formae inferiores; — 4) minor requiritur dispositio materiae ad introductionem formae quam ad operationem ipsius omnino perfectam; *e.*

Objic. 1° Anima humana est actus corporis organici; *e.* non potest esse nisi in corpore organisato convenienter tali animae; *a.* fetus initio suae vitae hanc organisationem convenientem non habet; *e.* — *R. c.* 1 *assert.*; — *d.* 1 *cons.* convenienter ad informationem, *c.*; ad hanc operationem, *sd.* saltem aliquam, *c.*; completam, *n.*; — *c. d. min.* (potest jam vegetationem suam propriam exercere et per eam corpus sibi aptatum efformare).

Objic. 2° Abscisso capite, anima rationalis non manet in corpore, ob insufficientem organisationem; *e.* a fortiori nequit jam esse in massa quae capite et carnibus et ossibus et nervis careat. — *R. d. ant.* organisationem ut sic, *n.*; ut medio connaturalis operationis (v. c. vegetationis), *c.*; — *n. cons.* et *n. suppos.* (haec massa sufficit ad operationem vegetalem nutritionis, augmentationis, plasmationis, sibi connaturalem).

CAPUT IV.

DE ANIMAE IMMORTALITATE ET DE VITA FUTURA.

Propositio 109.

Anima humana natura sua est immortalis.

Notiones. Immortalitas dividitur :

absoluta seu essentialis, si enti metaphysice vi suae essentiae repugnat non esse et non vivere (solus Deus).

hypothetica, si enti non absolute sed ex conditione repugnat non perseverare in essendo et existendo.

naturalis seu per naturam, si posita ejus existentia, natura entis postulat perseverantiam.

(intrinsicam, si quia nullum in se habet corruptionis principium, v. c. spiritus.

(extrinsicam, si quia nulla vi creata destrui potest.

gratuita seu per gratiam, si non postulante ejus natura, ens Dei benignitate conservatur, v. c. corpora gloriosa, vel corpora ante peccatum Adae.

Stat. quaest. Adversantur animae immortalitati : *a)* materialistae; — *b)* pantheistae (animam post mortem resorberi divina substantia et ita individuationem suam amittere; — *c)* fautores continui progressus (hominem modo sub una, modo sub alia forma inveniri in mundo, ac per mortem suam formam amittere sed aliam induere).

Prob. Res naturaliter perit, 1) aut dissolutione partium suarum; — 2) aut amissione principii vitalis; — 3) aut subtractione subjecti exigit; — *a.* anima humana 1) non habet partes quae dissolvantur; — 2) est ipsa sibi principium vitale; — 3) est intrinsicè independens a subjecto suo corpore; *e.*

Objic. 1° Anima est obnoxia morbis; *a.* morbi sunt initium corruptionis; *e.* — *R. d. maj.* anima secundum se et absolute, *n.*; per accidens et improprie (ratione unionis cum corpore), *c.*

Objic. 2° Quorum est simile principium et similis processus, eorum est similis finis; *a.* animae brutorum et animae humanae est simile principium (oriuntur cum corpore), et similis processus (cum corpore invalescunt et declinant); *e.* — *R. c. maj.*; — *n. min.* (prior educitur ex potentia materiae, et dependet a materia; altera creatur et est independens).

Objic. 3° Si anima non corrumpetur cum corpore, non horreret naturaliter mortem. — *R. d. si...*, et si haberet naturam et essentiam completam, *c.*; secus, *n.*

Propositio 110.

Anima humana a corpore separata vivere potest.

Stat. quaest. In praecedenti propositione dicitur animam *natura sua* immortalitatem exigere; — nunc addimus animam etiam non *per accidens* mortem exigere, i. e. propter unionem cum corpore tanquam conditionem sine qua non posset operari.

Prob. Operatio vitalis propria animae constat actibus intellectus et voluntatis; *a.* haec ab unione cum corpore non dependet, nec a parte subjecti, nec a parte objecti, nec a parte conditionis; neque aliud apparet quo dependeat; *e.*

Ad min. 1 part. (subjecti). Intellectus et voluntas sunt facultates inorganicae et spirituales.

Ad 2 part. (objecti). Objectum primum et proprium intellectus est ens re vel abstractione incorporeum; objectum proprium voluntatis est ens bonum prout in intellectu versatur; *a.* tale objectum animae separatae non deest; *e.*

ad min. a) Anima seipsam per propriam substantiam cognoscere potest; — **b)** cognoscendo seipsam ut creaturam, cognoscit Deum in seipsa; — **c)** cognoscere potest alias substantias vel per propriam suam substantiam, vel per species earum (non quidem acquisitas ope intellectus agentis et phantasmatis, sed infusas sive a Deo, sive ab aliis creaturis); — **d)** conservat in memoria intellectiva cognitiones praeteritas.

Ad 3 part. (conditionis). Condicio dependentiae est necessitas phantasmatis extrinsece nunc requisiti ad intelligendum; *a.* dependentia a phantasmate non erit in altera vita; *e.*

ad min. Ex unione cum corpore anima intellectualis habet ut in operatione dependeat a phantasmate; *a.* in anima separata non est ista unio; *e.*

Propositio 111.

Anima humana non potest seipsam annihilare.

Stat. quaest. Duabus praecedentibus propositionibus dictum est animam esse *intrinsece* immortalem; jam additur in hac et sequentibus, eam esse *extrinsece* immortalem, i. e. defectu causae efficientis.

Prob. 1° Anima se annihilaret aut actione positiva aut negativa; *a.* neutrum est possibile; *e.*

Ad min. 1 part. Actio positiva necessario est positivi productiva; *a.* annihilatio est negativum; *e.*

Ad 2 part. Actio negativa, i. e. cessatio ab actione positiva, supponeret animam conservari per proprium influxum activum; *a.* hoc falsum est; *e.*

Prob. 2° Omnis actio animae utpote entis creati, est reductio de potentia in actum; *a.* anima nullam potentiam habet activam nec passivam ad non esse; *e.*

Ad min. 1 part. (activam). Nihil potest simul esse et non esse; *a.* anima

agens corruptionem sui deberet simul existere, ut subjectum actionis, et non existere, ut recipiens terminum actionis, annihilationem; *e.*

Ad 2 part. (passivam). Ut possit pati actionem corruptivam, deberet habere partes constitutivas quae solvantur; *a.* anima est simplex; *e.*

Propositio 112.

Animam humanam annihilare nec ulla creatura nec ipse Deus naturaliter potest.

Stat. quaest. 1) Quoniam Deus est causa prima et libera omnium rerum existentiae, potens est omnes creaturas, ergo et animas, in nihilum redigere; non tamen omnes naturaliter, i. e. sine miraculo: quoties nempe opponuntur naturales leges, vel ipsae rerum naturae.

2) De anima dicimus, ita eam se habere, ut non nisi per miraculum contra naturam fieri ejus annihilatio concipi possit.

Prob. 1^a pars (vis creata). Annihilare, sicut creare, est disponere independenter de ente ut sic; *a.* tale dominium nullius creaturae sed solius entis a se, infiniti, esse potest; *e.* (cfr. theolog. natur.).

Prob. 2^a pars (ipse Deus). Quidquid contrariatur naturali inclinationi rei, est ei contranaturale; *a.* annihilatio contrariatur inclinationi naturae ad perpetuo vivendum; *e.*

Ad maj. Naturalis inclinatio non actus aliquis elicited est, sed proprietas ipsius naturae, qua necessario, invincibiliter tendat ad bonum suum proportionatum, naturaliter debitum.

Ad min. a) Teste experientia, anima horret invincibiliter annihilationem; **b)** anima semper intelligit vitam longiorem, aeternam, et hanc ut bonum sibi, et medium necessarium ad beatitudinem; *e.*

Propositio 113.

Anima rationalis post hominis mortem superstes de facto servabitur.

Stat. quaest. Servabitur: abstrahendo nunc, quanto tempore.

Prob. 1° Anima rationalis superstes erit, si 1) ad hoc a Deo destinatur, 2) haec destinatio nec destinatione ad finem altiore, nec causis accidentalibus tolli potest; *a.* ita est; *e.*

Prob. maj. Quod Deus vult absolute, hoc fiet; *a.* finem qui nec altiore fine nec aliis causis accidentalibus tolli potest, vult absolute; *e.*

Prob. min. 1 part. Destinatio entis cognoscitur ex ejus naturali capacitate et inclinatione; *a.* anima est natura sua capax et inclinata ad vitam futuram; *e.*

Prob. min. 2 part. Finis animae est Deus (cognoscendus, amandus, laudandus, manifestandus); *a.* hoc fine nullus altior est quo tollatur; nec Deum fine frustrare potest ulla creatura; *e.*

Eadem prob. aliis verbis. Deus ut sapiens creator talem vult durationem rei, qualem exigit creaturae natura, nisi obstat finis altior vel causa accidentalis; *a.* 1) animae natura exigit ut post corporis mortem maneat, 2) nec obstat altior ullus finis; *e.*

Ad maj. Conferre capacitatem et exigentiam naturalem, et hanc sine ulla ratione non implere, repugnat sapientiae et bonitati; *e.*

Ad min. 1) Anima natura sua illud exigit ad quod habet naturalem inclinationem, et inclinationem invincibilem; 2) nec obstat... (cfr. supra).

Prob. 2° Deus ut sapiens legislator debet sufficientem legis sanctionem dare, praemia, poenas; — *a.* sine futura vita, haec non haberetur (nam : a) multae actiones non accipiunt nunc sanctionem, — b) bona et mala hujus vitae non sufficiunt, — c) saepe ipsa mors exigitur a lege morali, et pro ea debetur praemium); *e.*

Objic. 1° Omne ens contingens habet naturalem tendentiam in nihilum; *a.* anima est ens contingens; *e.* — *R. d. maj.* tendentiam negativam (i. e. impotentiam seipsum active conservandi), *c;* tendentiam positivam (i. e. appetitum et exigentiam nihili ut termini ad quem destinatur), *n;* — *c. d. min.*

Objic. 2° Anima separata est pars tantum; *a.* pars destinatur ad totum; *e.* anima separata privatur fine et proinde destruitur. — *R. d. maj.* pars relate ad hominem, *c;* non est integrum quid in se, *n.*

Instant. Anima naturaliter requirit corpus. — *R. d.* destinatio ad corpus est naturalis aliqua animae relatio ad corpus, quae tamen potest non expleri, sed aliter compensari, *c;* est ei absolute necessario explenda, *n.*

Objic. 3° Ex desiderio continuandae vitae nihil sequitur pro bruto; *e.* etiam pro homine. — *R. n. par.* (homo apprehendit et appetit immortalitatem formaliter, brutum novit et fugit tantum periculum praesens).

Objic. 4° Ex destinatione animae cognoscitur ejus natura; *a.* destinatur ad corpus corruptibile; *e.* — *R. d. maj.* ex destinatione completa essentiali, i. e. primaria et secundaria, *c;* ex destinatione secundaria tantum, *n;* — *d. min.* destinatur primarie ad corpus, *n.* (sed ad gloriam Dei); secundarie, *c.* (ut ad medium ad finem primum).

Objic. 5° Anima separata a corpore esset in statu violento. — *R. a) d.* si inclinatur magis ad corpus, *c;* si magis ad bona spiritualia (quae corpus abunde supplet), *n.* — *R. b) n.* (destinatur ad corpus corruptibile, ergo ad informationem temporalem).

Propositio 114.

Vita futura erit sempiterna.

Stat. quaest. Non quaerimus utrum ipsa animae felicitas vel poena sit in aeternum duratura; de his enim cfr. ethica. — Sed quaerimus utrum animae vita sit sine fine duratura (sive haec anima sit felix, sive misera).

Prob. Tamdiu durare debet vita futura, quamdiu valent rationes vitae animae, et novae rationes contrariae non accedunt sufficientes; *a.* ita in aeternum erit; *e.*

Ad maj. Si Deus sine ulla ratione sufficiente nollet ea quae natura operis exigit, sibi contradiceret; *e.*

Ad min. 1 part. (eadem rationes). Natura animae non mutatur post longiorem vel breviorum durationem, in uno vel alio statu accidentali; *e.*

Ad 2 part. (non novae rationes). Novae afferri possent rationes : a) animae separatio a corpore, ac proinde ejus status violentus, utpote formae sine sua materia; b) animae status damnationis ob peccata, ac proinde summae miseriae et desperatae privationis a fine suo ultimo; *a.* neutrum valet; *e.*

prob. 1 part. min. (separatio). Naturalis et necessaria erat animae unio cum corpore pro hoc vitae suae stadio; *a.* aequale naturale homini erat mori aliquando; *e.* status animae separatae nequit esse contra ejus naturam et violentus.

prob. min. 2 part. (damnatio). De essentia animae est : 1) ut sit de se naturaliter immortalis; — 2) ut habeat naturalem inclinationem ad beatitudinem et ad summum bonum; — 3) ut libertatem indifferentiae habeat, qua inter bonum et malum eligat; — 4) ut haec libertas ei data sit tanquam medium merendi vel demerendi, et tanquam via ad terminum : statum certe aliquando futurum; — *a.* id quod de essentia rei creatae est, voluntatem Dei manifestat, quae effectu suo frustrari non potest per id quod non de essentia sed per accidens opponitur, scilicet per abusum libertatis humanae; — *e.* quod homo miserum statum culpa sua elegerit, non est ratio cur Deus debeat miraculose animam annihilare.

Objic. 1° Quod pendet a libera creatoris voluntate, nequit ratione sola cognosci; *a.* animae immortalitas pendet a libera voluntate creatoris; *e.* — *R. tr. maj;* — *d. min.* quatenus Deus liber fuit ad hominem creandum, *c;* posita creatione, *n.*

Objic. 2° Multa sunt naturalia desideria, v. e. scientiae, honoris, quae non implentur. — *R. d.* naturalia, i. e. necessaria et essentialia, *n;* connaturalia, fundata in natura, sed conditioni alicui alligata, *sd.* non implentur si conditio requisita ponitur, *n;* secus, *tr.* (homo habet exigentiam immortalitatis necessariam et essentialem; exigentiam beatitudinis sub conditione, nempe recto usu libertatis, implendam).

Objic. 3° Vivere infinito tempore dicit virtutem infinitam; *a.* vivere in perpetuum est vivere infinito tempore; *e.* dicit virtutem qualem anima finita non habet. — *R. d. maj.* dicit in causa efficiente, conservante, *c;* in ipsa forma vitali, *n.*

Objic. 4° Manente causa manet effectus; *a.* anima est causa vitae; *e.* si est immortalis, etiam corpus erit immortale. — *R. d. maj.* si aliunde manent dispositiones requisitae, *c;* secus, *n.*

Objic. 5° Si futura esset vita, homines mortem non horrerent. — *R. d.* quatenus est violenta separatio a corpore, *n;* quatenus est transitus ad aliam vitam, *sd.* si certi essent de futuro statu beatitudinis, *c;* secus, *n.*

Objic. 6° Non potest duplex dari modus operandi animae naturalis; *e.* —

R. d. ant. diversus extrinsece, *n*; intrinsece, *sd.* ejusdem potentiae, *c*; diversarum, *n*.

Objic. 7^o Nulla operatio animae fit naturaliter sine corpore. — R. d. nulla vegetalis, sensibilis, *c*; intellectualis, *sd.* ratione intellectionis, *n*; ratione status praesentis unionis, *c*.

Objic. 8^o Anima nequit habere duos fines; *a.* animae finis est informare corpus; *e.* nequit destinata esse ad vitam futuram perpetuam. — R. d. *maj.* duos fines supremos, *c*; subordinatos, *n*. — *d. min.* finis supremus, *n*; subordinatus ut via ad terminum, *c*.

Objic. 9^o Homo habet naturale desiderium beatitudinis, non vero desiderium essendi, ut sic; — *e.* si quando fuerit prorsus desperata beatitudo, et praesens summa miseria, poterit homo concipere annihilationem tanquam bonum, et eam appetere; — *e.* ex appetitu naturali beatitudinis, non sequitur necessitas immortalitatis. — R. d. ant. 1 part. beatitudinis incompletae et idealis, *n*; completae et realis, cujus proinde elementum primum essentiale est realis existentia, *sd.* desiderium naturale quod feratur in beatitudinem completam solum, *n*; in singula etiam distributive ejus elementa, *c*; — *n.* 2 part. ant. — *d.* 1 cons. annihilationem ut non miseriam, *c*; ut non existentiam praecise, *n*. — *n.* 2 cons.

Coroll. 1^m Ergo mors est homini naturalis, licet non a forma immortali, simplici, sed a materia composita, corruptibili repetenda sit.

Coroll. 2^m Ergo anima post separationem a corpore non amittit neque acquirit quidpiam substantiale; scilicet: *a)* non *essentiam*: simplicem! — *b)* nec *existentiam*, quam jam habebat independentem a corpore; — *c)* nec *personalitatem*, quam vi essentiae suae nec habet, nec habere potest, completam incommunicabilitatem; sed servat suam relationem, aptitudinem ad corpus informandum.

Coroll. 3^m Ergo anima post mortem hominis solum modum essendi mutat: nempe subsistit, non tamen impletur ejus aptitudo ad corpus.

Coroll. 4^m Ergo absolute magis naturale est animae esse in corpore quam extra corpus, nam hoc ei convenit secundum suam determinationem ultimam specificam (ut formae corporis), non secundum notam genericam (ut spiritui).

Coroll. 5^m Ergo ratione spiritualitatis suae magis naturale est animae esse extra corpus, nam ibi perfectius, sine ulla dependentia etiam extrinseca a corpore, expeditius et intensius possunt adimpleri operationes spirituales.

Coroll. 6^m Ergo status unionis cum corpore est quidem naturalis animae; potius tamen naturalis imperfectio quam naturalis perfectio.

Coroll. 7^m Inter animas separatas est communicatio et societas; nam anima habet naturalem sociabilitatem ad entia sibi similia, iisque delectatur, et jam in hac vita habet naturalem inclinationem ad aliorum commercium ac consortium, ad felicitatem suam aliis communicandam, quo ipsa felicitas augetur, vel ad miseriam suam cum aliis conquerendam, quo et ipsa lenitur, imo et ad spem ac desperationem connarrandam...; ergo a fortiori post mor-

tem ubi et cognitio perfectior, et major felicitas, vel miseria major, majusque naturale desiderium felicitatis.

Coroll. 8^m Quomodo sibi communicare mutuo possint cognitiones et affectus suos, non certo scimus; ad Dei providentiam spectat media dare, sive ipse species infundat, sive potentiam concedat species imprimendi in alias animas, etc..., neque deerunt species ex hac vita conservatae.

Propositio 115.

Resurrectio nec physice nec moraliter debetur homini secundum solam naturam.

Notiones. 1) *Debitum physicum* illud est quod essentia vel naturalis vis rei exigit. — *Debitum morale* quod exigit lex quaedam moralis, v. c. Dei justitia, providentia, finis hominis.

2) *Secundum solam naturam*, i. e. attentis purae rationis principiis et lumine naturali.

Prob. 1^a pars (non physice). Tale debitum esset aut ratione corporis, aut ratione animae, aut ratione causae efficientis; *a.* nihil horum; *e.*

Prob. min. 1 part. (corporis). Capacitas corporis ad formam olim amissam est valde remota; *a.* Deus non tenetur implere remotas capacitates entis; *e.*

Prob. min. 2 part. (animae). 1) Regressus formae ad materiam olim amissam, est naturaliter impossibilis; — 2) Ad animae vitam spiritualem expeditam et beatam non est corpus necessarium (cfr. sup.); *e.*

Prob. min. 3 part. (causae). Sola causa resurrectionis est Deus; *a.* Deus utpote liber non obstringitur ad quemcunque effectum ponendum; *e.*

Prob. 2^a pars (non moraliter). Tale debitum esset aut ex parte Dei, aut ex parte hominis; *a.* neutrum; *e.*

Prob. min. 1 part. (Dei). Justitia et providentia Dei tantum requirunt praemium boni et poenam mali; *a.* corpus per se nec bonum nec malum fecit (nam facultates spirituales, solae liberae, corpori non communicantur); *e.*

Prob. min. 2 part. (hominis). Ad beatitudinem requireretur corpus aut corruptibile, aut incorruptibile; *a.* corpus corruptibile minueret vel impediret, potius quam augetur beatitudinem; corpus incorruptibile esset miraculosum, ac proinde non naturaliter requisitum *e.*

Coroll. Ergo anima licet naturalem appetitum servet ad corpus cujus est forma, non tamen elicitu appetitu desiderat unionem. — Nunc quidem in ordine supernaturali animae beatae in coelo reapse desiderant appetitu elicitu unionem, quia sciunt fore corpus miraculose gloriosum.

Objic. Ad corpus servat anima appetitum naturalem; *a.* non datur appetitus naturalis ad terminum naturalem impossibilem; *e.* resurrectio est naturaliter possibilis, ac proinde debita. — R. d. *maj.* appetitum, i. e. aptitudinem naturalem, *c*; necessitatem, *n*; — *c. d. min.* necessitas, *c*; aptitudo, *sd.* ad rem simpliciter impossibilem, *c*; ad rem impossibilem secundum quid;

n. (non dicimus resurrectionem corporis esse simpliciter impossibilem, sed dicimus impossibile esse ut corpus naturale et corruptibile sicut nunc est, sit necessarium vel etiam utile ad perfectam felicitatem animae).

APPENDIX AD PSYCHOLOGIAM.

DE NATURALIBUS ANIMAE HUMANAЕ DEFLECTIONIBUS.

Restant post psychologicas praelectiones superius expositas, aliqua humanae vitae facta, quae nondum explicare tentavimus; neque ordinario satis clare explicantur, quin imo distinctae ac clarae disquisitioni non adeo se praebent pervia. Deficiunt enim non raro aliquae nostrae operationes, et sine norma, sine voluntatis libero ductu perficiuntur. Harum naturam et conditiones, si quomodo deprehendere fuerit possibile, examini subjicere in animo est. Erunt autem :

- Articulus 1. De somno.
- Articulus 2. De somnio.
- Articulus 3. De amentia.

ARTICULUS 1.

De somno.

Propositio 116.

Somnus est naturalis interruptio aequilibrī inter varias hominis facultates. orta ex fatigatione virium vegetalium, et naturaliter ad has vires reficiendas ordinata.

Stat. quaest. 1) Quid sit somnus practice omnes sciunt, theoretice physiologi fatentur nescire hucusque, quia nempe quaerunt quomodo tunc variae functiones fiant, ac varia organa influant et patiantur.

2) Philosophice de causis non jam proximis sed remotioribus quaerentes respondemus : a) *causam formalem* esse interruptionem aequilibrī...; — b) *causam efficientem* esse fatigationem vegetalium virium ex ordinario earum usu; — c) *causam finalem* esse reparationem virium istarum.

Prob. 1^a pars (interruptio). Tres sunt in homine ordines facultatum : vegetativae, sensitivae, intellectivae, quibus tota hominis vita continetur; — a. 1) quoties istae vires normali sua activitate vigent, certo ordine contemperatae sunt, ut aliae alias juvent, foveant, sustineant excitent; diciturque homo sanus et vigil; — 2) quoties contemperatio haec turbatur modo insolito, quo non ordinaria restauratio efficiatur, dicitur homo aegrotus; — 3) quoties est turbatio hujus aequilibrī ordinaria et ad reparationem, dicitur homo dormiens; e.

Prob. 2^a pars (orta ex...). 1^o Causae quae somnum provocant, v. c. cibus vel potus copiosior, liquores narcotici, nimium frigus vel nimia aestuatio, cetri aliqui morbi; — et causae quae somnum impediunt, v. c. quidquid turbat digestionem, respirationem, sanguinis circulationem, vel quod sanguinem agitat, nervos irritat, et certi aliqui alii morbi; — hae omnes causae non nisi vitam vegetativam per se afficiunt; e.

Prob. 2^o Ordinarius somnus ea mensura necessarius invenitur, qua vel debilia sunt vegetationis organa, vel vehementius fatigantur, vel restorationi apta sunt; e. (inde somnus in embryone continuus, in infante facillimus et longus, in adolescente jam brevior, in viro moderatus, in sene brevissimus et difficilis...).

Prob. 3^a pars (ordinata ad...). Propter unitatem principii vitalis (cfr. prop. 87), quo magis intenduntur activitates sensitivae et intellectivae, eo magis teruntur et consumuntur organa, debentque per vegetationem refici; a. ad hoc requiritur ut sibi pacata relinquatur vitae vegetativae activitas; e.

Coroll. Ergo eodem somno etiam bruta dormiunt; sed nec mirum est etiam in plantis aliquem somnum inveniri, non solum quietem hibernalem, sed etiam inter aestatis dies ac noctes; atque id experimentis aliquibus videtur notum.

Propositio 117.

Somnus primo et directe est in potentiis vitae vegetativae, consequenter et secundario est in ceteris omnibus humani compositi facultatibus.

Prob. Somnus oritur ex organorum fatigatione et deperditione reparanda; a. 1) haec reparatio est opus vitae vegetativae sicut ejus detrimentum erat illa fatigatio; — 2) non directe in se reparationem faciunt vel subeunt potentiae aliae, neque in se directe interrumpuntur, sed solum ex necessario nexu cum vegetali organorum robore et sanitate; e.

Ad min. 1) Per somnum vires vegetativae omnes pergunt operari, sed lentius, suavius, magis uniformi motu; — 2) sensitivae potentiae impediuntur, sed inaequaliter pro variis individuis, vel temporibus, vel adjunctis aliis; — 3) intellectuales potentiae conscie quidem non agunt, agunt tamen saepe, sed sine ordine pro varietate dispositionum, et sine libertate (cfr. prop. 21, 22).

Objic. 1^o In somno solae potentiae vegetativae libere et pacate operantur, ceterae impediuntur vel turbantur; e. somnus primo et directe potius in ceteris potentiis est. — R. d. ant. 1 part. et illud proprie somnus est, e; secus, n; — d. 2 part. consequenter ad somnum, propter nexum facultatum inter se, e; secus, n.

Objic. 2^o Qui dormit, in operatione impeditur vel turbatur; a. impediuntur vel turbantur in operatione ceterae potentiae, non autem vegetativae; e. — R. d. maj. qui dormit (i. e. suppositum, homo), impeditur vel turbatur in illa operatione secundum quam dormit, n; in aliis operationibus, sd. formaliter,

n. (non dicimus resurrectionem corporis esse simpliciter impossibilem, sed dicimus impossibile esse ut corpus naturale et corruptibile sicut nunc est, sit necessarium vel etiam utile ad perfectam felicitatem animae).

APPENDIX AD PSYCHOLOGIAM.

DE NATURALIBUS ANIMAE HUMANAЕ DEFLECTIONIBUS.

Restant post psychologicas praelectiones superius expositas, aliqua humanae vitae facta, quae nondum explicare tentavimus; neque ordinario satis clare explicantur, quin imo distinctae ac clarae disquisitioni non adeo se praebent pervia. Deficiunt enim non raro aliquae nostrae operationes, et sine norma, sine voluntatis libero ductu perficiuntur. Harum naturam et conditiones, si quomodo deprehendere fuerit possibile, examini subjicere in animo est. Erunt autem :

- Articulus 1. De somno.
- Articulus 2. De somnio.
- Articulus 3. De amentia.

ARTICULUS 1.

De somno.

Propositio 116.

Somnus est naturalis interruptio aequilibrīi inter varias hominis facultates. orta ex fatigatione virium vegetalium, et naturaliter ad has vires reficiendas ordinata.

Stat. quaest. 1) Quid sit somnus practice omnes sciunt, theoretice physiologi fatentur nescire hucusque, quia nempe quaerunt quomodo tunc variae functiones fiant, ac varia organa influant et patiantur.

2) Philosophice de causis non jam proximis sed remotioribus quaerentes respondemus : a) *causam formalem* esse interruptionem aequilibrīi...; — b) *causam efficientem* esse fatigationem vegetalium virium ex ordinario earum usu; — c) *causam finalem* esse reparationem virium istarum.

Prob. 1^a pars (interruptio). Tres sunt in homine ordines facultatum : vegetativae, sensitivae, intellectivae, quibus tota hominis vita continetur; — a. 1) quoties istae vires normali sua activitate vigent, certo ordine contemperatae sunt, ut aliae alias juvent, foveant, sustineant excitent; diciturque homo sanus et vigil; — 2) quoties contemperatio haec turbatur modo insolito, quo non ordinaria restauratio efficiatur, dicitur homo aegrotus; — 3) quoties est turbatio hujus aequilibrīi ordinaria et ad reparationem, dicitur homo dormiens; e.

Prob. 2^a pars (orta ex...). 1^o Causae quae somnum provocant, v. c. cibus vel potus copiosior, liquores narcotici, nimium frigus vel nimia aestuatio, cetri aliqui morbi; — et causae quae somnum impediunt, v. c. quidquid turbat digestionem, respirationem, sanguinis circulationem, vel quod sanguinem agitat, nervos irritat, et certi aliqui alii morbi; — hae omnes causae non nisi vitam vegetativam per se afficiunt; e.

Prob. 2^o Ordinarius somnus ea mensura necessarius invenitur, qua vel debilia sunt vegetationis organa, vel vehementius fatigantur, vel restorationi apta sunt; e. (inde somnus in embryone continuus, in infante facillimus et longus, in adolescente jam brevior, in viro moderatus, in sene brevissimus et difficilis...).

Prob. 3^a pars (ordinata ad...). Propter unitatem principii vitalis (cfr. prop. 87), quo magis intenduntur activitates sensitivae et intellectivae, eo magis teruntur et consumuntur organa, debentque per vegetationem refici; a. ad hoc requiritur ut sibi pacata relinquatur vitae vegetativae activitas; e.

Coroll. Ergo eodem somno etiam bruta dormiunt; sed nec mirum est etiam in plantis aliquem somnum inveniri, non solum quietem hibernalem, sed etiam inter aestatis dies ac noctes; atque id experimentis aliquibus videtur notum.

Propositio 117.

Somnus primo et directe est in potentiis vitae vegetativae, consequenter et secundario est in ceteris omnibus humani compositi facultatibus.

Prob. Somnus oritur ex organorum fatigatione et deperditione reparanda; a. 1) haec reparatio est opus vitae vegetativae sicut ejus detrimentum erat illa fatigatio; — 2) non directe in se reparationem faciunt vel subeunt potentiae aliae, neque in se directe interrumpuntur, sed solum ex necessario nexu cum vegetali organorum robore et sanitate; e.

Ad min. 1) Per somnum vires vegetativae omnes pergunt operari, sed lentius, suavius, magis uniformi motu; — 2) sensitivae potentiae impediuntur, sed inaequaliter pro variis individuis, vel temporibus, vel adjunctis aliis; — 3) intellectuales potentiae conscie quidem non agunt, agunt tamen saepe, sed sine ordine pro varietate dispositionum, et sine libertate (cfr. prop. 21, 22).

Objic. 1^o In somno solae potentiae vegetativae libere et pacate operantur, ceterae impediuntur vel turbantur; e. somnus primo et directe potius in ceteris potentiis est. — R. d. ant. 1 part. et illud proprie somnus est, e; secus, n; — d. 2 part. consequenter ad somnum, propter nexum facultatum inter se, e; secus, n.

Objic. 2^o Qui dormit, in operatione impeditur vel turbatur; a. impediuntur vel turbantur in operatione ceterae potentiae, non autem vegetativae; e. — R. d. maj. qui dormit (i. e. suppositum, homo), impeditur vel turbatur in illa operatione secundum quam dormit, n; in aliis operationibus, sd. formaliter,

quia dormit, *u*; consequenter ad nexum facultatum, *c*. (corrigen- dus hic paululum est conceptus vulgaris : dormire non est non agere, sed est pacatius et remissius agere, quo fortius et intensius post quietam restaurationem agere possit facultas refecta).

ARTICULUS 2.

De somnio.

Propositio 118.

Somnium humanum est series actuum phantasiae, cum virium intellectualium congrua cooperatione, in subjecto dormiente.

Prob. 1^a pars (est phantasiae). Somnium est formaliter nec virium vegetativarum (patet); — nec virium intellectualium (nam etiam bruta somniantur; neque est libertas in somniis); — nec sensuum externorum (nam hi plenius sopiti manent, et plerumque somnium repraesentat objecta non realiter praesentia extra nos); — nec solius memoriae (nam repraesentantur ut praesentia objecta, saepe etiam nunquam antea cognita); — *e*. somnium est formaliter phantasiae.

Prob. 2^a pars (cum cooperatione). Teste experientia, in somnio non solum apparent phantasiae objecta, sed etiam ratiocinia efficiuntur, et effectus variarum passionum in appetitu excitantur; non tamen haec omnia ordinate et libere fiunt; *e*. exercentur quidem aliae facultates, sed subordinate tantum ad phantasiam cooperantes.

Propositio 119.

Somnia oriuntur non solum a peculiari statu corporis, sed etiam a peculiari statu animae.

Prob. Propter intimam substantialem unionem animae et corporis, verus est mutuus influxus eorum; *a*. pro variis affectionibus et statibus unius, correspondentes existunt alterius affectiones et status, v. c. nervorum, cerebri, sanguinis, cordis, ... et maestitiae, laetitiae, irae, pacis, alacritatis; *e*. sive in corpore existat talis status, redundabit in animam ejusque facultates, sive in anima praeelegant tales affectus, immutabunt corpus ejusque organa ac potentias.

Coroll. 1^m Causare tales dispositiones possunt vel causae interiores, v. c. actus praecedentes, vel habitus, vel valetudo varia; vel causae exteriores, v. c. Deus, vel spiritus sive boni sive mali; unde divisio somniorum in naturalia et praeternaturalia.

Coroll. 2^m Fieri etiam potest ut in statu vigiliae eadem turbatio phantasiae pro aliquantulo tempore habeatur, qua res appareant quae de facto non adsunt, sed post breve tempus errorem ipsi nostrum agnoscamus; suntque ista quasi somnia in vigilia, et vocantur hallucinationes.

Coroll. 3^m Quae in somniis vel in hallucinatione apparent, saepe tanta claritate videntur quanta res maxime evidentes in statu vigiliae sanae : *a*) quia tunc remota omni alia cogitatione, totus animus in illis imaginibus absorbetur; *b*) quia tunc impedito libero facultatum usu, nequit animus oblatas imagines examinare, discutere, cum factis aliis comparare.

Propositio 120.

Actus somnambulismi est somnium producens in ordine externo actiones sibi convenientes.

Stat. quaest. Agimus nunc de somnambulismo vulgari, non de statu illo magnetico, quem ex defectu verae cognitionis passim variis nominibus appellant.

Prob. Somnambuli ita somniantur se aliqua facere, 1) ut revera externis actionibus eadem compleant; et quidem miro aliquo modo, — nam : 2) videre videntur res materiales, obstacula, oculis tamen clausis, — 3) faciunt res difficiles et ingeniosas, quas vigiles nullo pacto facere scivissent, — 4) ubi evigilaverint, nihil eorum recordantur quae per somnium viderunt, dixerunt, fecerunt; — *a*. haec omnia apte explicantur per somnium quod non solos internos affectus, sed etiam externas actiones sibi correspondentes provocet; *e*.

Ad min. 1 part. (externis actionibus). Somnus si altus sopor non est, relinquit sensitivis et intellectualibus facultatibus aliquam licet non consciam activitatem; potestque talis somnus varios habere gradus intensitatis; *a*. minor aliquis gradus, relinquet etiam locomotionis activitatem, facultatis nempe sensitivi ordinis; *e*. nihil mirum in tali externa actione (eo vel minus, si recogites rem non nisi debilibus hominibus accidere, quorum somnus parum proficius ad restaurationem vegetalem).

Ad min. 2 part. (videre res externas). Phantasia repraesentat res quales cognoscuntur aliunde, et motu externo circa illas agunt somniantes quasi videant; — ignotas vel eas quae de industria opponuntur, aut non videntes impingunt ac remonent, aut tactu percipientes vitant.

Ad min. 3 part. (facere difficilia). Quia : *a*) absentia conscientiae reflexionisque, proprii periculi aufert notionem, et omnem haesitationem et timorem; *b*) colligit omnem attentionem in unam rem agendam absentia omnis distractionis ac facultatum dispersionis; sopitae aliae facultates alias non retinent, sed hae liberiores ad excelsiora prorumpunt, v. c. poesim, vim rhetoricam, vim aequilibrum mechanici.

Ad min. 4 part. (non recordari). Facta fuerunt ea sine conscientia; *e*. nulla manebit memoria.

ARTICULUS 3.

De amentia.

Propositio 121.

Amentia est somnium vigilantis permanens et invincibile.

Prob. Somnium generatim est series actuum phantasiae, cum congrua aliqua operatione aliarum potentiarum, etiam intellectualium, sine potestate comparandi et discutiendi illos actus, eorumque objectivam veritatem explorandi ac discernendi; *a.* talis facultatum activitas si fit in homine vigile, qui possit post aliquod breve tempus errorem agnoscere, est hallucinatio tantum; sin autem nec post longum tempus agnoscere possit errorem, dicitur homo amens, seu carens usu expedito rationis et reflectionis; *e.*

Coroll. 1^m Ergo amens non ratione privatur, sed ejus usu expedito circa unam aliquam rem, vel unum rerum ordinem, vel imo circa plures rerum ordines. — Amens ratiocinatur, et recte quidem, sed errat in supposito aliquo unde orditur sua ratiocinia.

Coroll. 2^m Amenti falsa sua imaginatio tanquam omnino evidens apparet, nam huic invincibiliter, vi ipsius sui morbi, alligatur; unde obstinatio, et aliquando eloquentia, ira, furor etiam in ea defendenda.

Coroll. 3^m Ergo amens circa suae amentiae objectum libertatem non habet.

Propositio 122.

Amentiae universim duae causae sunt: certae laesiones corporis, et passionibus animi vehementiores.


Prob. 1^a pars (laesiones corporis). Vi unionis substantialis humanae, anima quoad intellectum dependet extrinsece a corpore apto et bene disposito; *e.* si corporis aliqua laesio phantasiae organum diu et invincibiliter turbat vel impedit, etiam intellectus usus turbatus et partim impeditus erit.

Prob. 2^a pars (passiones...). Teste experientia, passio vehemens, praesertim si subito excitata, saepe amentiam etiam perpetuam producit.

Schol. 1^m Quaeritur utrum semper aliqua laesio corporis adsit tanquam amentiae causa, an vero solae animi passionibus sufficiant. — R. 1) Alii dicunt solos animi motus non sufficere, sed ex eis prius produci aliquam corporis laesionem, quae jam sit causa immediata amentiae. — Sed contra est: a) saepe repente sequitur amentia ex motu vehementi animae; *a.* tunc non videtur quae laesio tanta tam cito in corpore producta sit; — b) saepe obstinata aliqua falsitas amentiam pariens, per tranquillum ratiocinium et sensibilem aliquam repraesentationem facile sanatur; *a.* non videtur ita posse tanta effici in corpore permanens conversio, quae animae statum immutet.

2) Alii dicunt cum animi passionibus semper tamen requiri corporalem aliquam laesionem, quae tamquam concausa concurrat ad producendam amentiam. — Sed contra: non sufficienter probatur praesentia talis vitii permanentis, praesertim quando v. c. oritur amentia ex aliquo intellectuali errore obstinato cum influxu malae voluntatis.

Schol. 2^m Quae sint amentiae remedia. — R. 1) Quoniam causa nunc est mere physica, nunc mere moralis, nunc utraque simul, remedia proportionata causis eligenda sunt. — 2) Meliora remedia, sicut alibi, ita et hic, sunt praeventiva quibus vitentur causae, v. c. quidquid sanguinem inflammet vel nervos irriteret, quidquid frigidae rationis dominium in alias potentias abdicaret liberumque voluntatis imperium in eas, moestitia nimia, etc.



LIBER SEXTUS.

THEOLOGIA NATURALIS.

PROOEMIUM.

Tractatum aggredimur altissimae contemplationis, totius philosophiae speculativae quasi fastigium. Postquam enim in praecedentibus mundum cum omnibus suis partibus ordine mirifico constantem, variasque rerum naturas tum corporearum inertium, tum organicarum viventium, tum hominis mirabiliter compositi ex corpore mortali et anima spirituali, consideravimus, recta nos ratio porro urget, ut a notis ad ignota, a visibilibus et mutabilibus ad invisibilia et incommutabilia assurgentes, rerum causam ultimam tentemus agnoscere, eaque qualis sit in seipsa, qualem se habeat erga nos, explorare conemur.

1° *Definitur theologia naturalis*, scientia de Deo, naturali rationis lumine quaesita. Potest autem jure dici scientia, nam quamvis Dei causae nullae sint extrinsecae per quas cognoscatur, neque etiam intrinsecae causae seu principia quibus constituatur, quibus fundentur proprietates distinctae, pro nostro tamen imperfecto et alieno cogitandi modo, in essentia tam simplici aliqua subordinatio, quae totius constitutionem explicet, apparebit admittenda.

2° *Objectum* hujus scientiae formale est Deus prout rationi nostrae in praesenti mundo naturaliter manifestatus. Atque illa est nota distinctiva theologiae naturalis ab altera supernaturali. Haec enim objectum suum formale considerat Deum prout rationi nostrae in revelatione supernaturaliter manifestavit se.

3° *Finis* hujus scientiae est cognitionem de Deo acquirere, quantum fieri poterit, intime attingentem objectivas rationes divinas, easque dilucide ac distincte pro nostro humano modulo exponentem.

4° *Nexus* hujus scientiae cum aliis ille est, ut quamdiu quis Dei essentiam atque existentiam ignoraverit, vel circa eam erraverit, aliarum scientiarum qualiumcumque ultimo complemento privatus existat, neque ultimam rerum omnium rationem essendi agendive perspicere queat. Quid enim mundi universa machina, quid splendidum istud rerum omnium per gradus suos ordine dispositarum aedificium, si fornix tandem conclusura deficiat, si creationis inquam totius causa una efficiens, exemplaris, finalis ignoretur?

5° *Excellentia* exinde apparet hujus scientiae. Sive enim *objectum* cogites, nobilissimam illam ac praestantissimam essentiam; sive *certitudinem* cognitionum, qua nulla naturalis major, quum providus Deus illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum; sive *suavitatem* contemplationis circa Eum a quo omne datum optimum et omne donum perfectum; sive *utilitatem* ac *necessitatem* ascensionis ad primum principium et finem ultimum nostrum, ne pecudum instar casu vivere, appetitu trahi, moribus destitui, fato mori videamur; altissimum istud studium esse, atque inter omnes scientias sedem facile principem occupare, necesse erit fateamur.

6° *Media* hujus studii experimentalia jam immediata nulla sunt, non enim animalis homo percipit, sed rationalis tantum attingit quae rationis altissima sunt. Verumtamen ita Bonitas divina disposuit omnia ut ex visibilibus ad superna gradus sit facillimus. Media igitur ea omnia erunt quae libris praecedentibus observavimus atque conclusimus, ex quibus ratiocinio naturali unitatem finis et auctoris concludamus.

7° *Methodus* in hoc libro, ut a notis ad ignota ducat, vix alia excogitari posse videtur, quam ut tota tractatio circulo regressivo, a creaturis orta, ad existentiam creatoris surgens, ipsius deinde essentialia proprietates atque naturam intuens, activitatem postea essentialem et internam vitalem concludens, tandem activitatem etiam ad extra considerans, effectus eorumque essentialia modos ad Deum relativos concludat, atque ita ad creaturas novo lumine ac sublimiori conspectu agnoscendas nos reducat. — Sed et illud notare juvat, nullo pacto nobis in animo esse, quaestiones nonnullas, easque satis subtiles et arduas, diuturnum tempus absumentes, atque apprime inutiles, quales apud multos auctores passim inveniuntur, ac praesertim quo tractantur loco, disputare; sed aut omnino omittere aut alio ordine facilius, brevius pro suo valore solutas ostendere. Quis enim tolerandum rationabiliter ducat, antequam existentia et essentia Dei ostendantur, praeviis discussionibus immorari nos, *an Dei existentia demonstrari possit, et quibusnam argumentis; quo conceptu nobis exhibeatur essentia Dei, et quomodo is efformandus sit?* Neque enim ista demonstrari debent praevie, sed ex facto ipso constabunt, neque demonstrari imo possunt praevie, sed sequentes quaestiones jam solutas supponunt. Nos igitur, multo efficacius ac brevius, primo ostendemus de facto existentiam Dei, cujus rei argumenta varia perpendemus; quae si fuerint ineluctabiliter stringentia, ipso facto liquidissime patebit existentiam Dei demonstrari posse, et quidem *illis demonstrandi viis*. Deinde ex iisdem argu-

mentis, ea quae implicite continebantur explicite exponentes, Dei essentialia attributa analytice demonstrantes, ipso facto talem *Dei essentiae conceptum comparabimus* qualis nobis in praesenti nostra conditione possibilis est.

8° *Divisio* igitur hujus libri ex iis quae modo diximus naturalis illa deducitur, ut sit

- Caput 1. De Dei existentia.
- Caput 2. De Dei essentia.
- Caput 3. De Dei operatione ad intra.
- Caput 4. De Dei operatione ad extra.

CAPUT I.

DE DEI EXISTENTIA.

Omissa igitur sicut in prooemio monuimus praevia omni alia quaestione, agendum nobis nunc erit de existentia ultimae causae totius rerum universitatis ex praecedentibus libris cognitae. Et primo varias demonstrationes hujus existentiae perlustrabimus, quarum alteras efficaces, alteras invalidas esse ostendendum suscipiemus; deinde eorum opiniones attingemus, qui vel demonstrationis necessitatem ideo negent quia Dei existentiam ut evidentem et intuitive notam existiment, vel ipsam Dei existentiam negant, vocanturque athei. Sit ergo.

- Quaestio 1. De argumentis validis existentiae Dei.
- Quaestio 2. De argumentis invalidis.
- Quaestio 3. De nostra cognitione Dei existentiae.

QUAESTIO 1.

De argumentis validis existentiae Dei.

Varia proponimus argumenta tanquam valida; non tamen omnia tanquam aequalis facilitatis pro omnium etiam minus eruditorum hominum captu. Alia nimirum ex obviis factis experimentalibus, *ut existentibus*, hauriuntur, atque aliquam quidem, non autem valde acutam attentionem requirunt; vocanturque argumenta *physica*. Alia ex iisdem obviis factis cuique notis, *ut essentiis*, hauriuntur, et acutiorem mentis aciem requirunt ac praeparatam attentionem ad philosophicas analyses; vocantur illa argumenta *metaphysica*. Alia denique ex ipsius *humani generis* agendi, cogitandi, volendi, patiendi modo communi naturali depromuntur: haec obvio cuique homini apta sunt, sed aliquam requirunt reflexionem attentam, multam praesupponunt bonam fidem; ac propterea dicuntur argumenta *moralia*.

- Articulus 1. Argumenta physica.
- Articulus 2. Argumenta metaphysica.
- Articulus 3. Argumenta moralia.

4° *Nexus* hujus scientiae cum aliis ille est, ut quamdiu quis Dei essentiam atque existentiam ignoraverit, vel circa eam erraverit, aliarum scientiarum qualiumcumque ultimo complemento privatus existat, neque ultimam rerum omnium rationem essendi agendive perspicere queat. Quid enim mundi universa machina, quid splendidum istud rerum omnium per gradus suos ordine dispositarum aedificium, si fornix tandem conclusura deficiat, si creationis inquam totius causa una efficiens, exemplaris, finalis ignoretur?

5° *Excellentia* exinde apparet hujus scientiae. Sive enim *objectum* cogites, nobilissimam illam ac praestantissimam essentiam; sive *certitudinem* cognitionum, qua nulla naturalis major, quum providus Deus illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum; sive *suavitatem* contemplationis circa Eum a quo omne datum optimum et omne donum perfectum; sive *utilitatem* ac *necessitatem* ascensionis ad primum principium et finem ultimum nostrum, ne pecudum instar casu vivere, appetitu trahi, moribus destitui, fato mori videamur; altissimum istud studium esse, atque inter omnes scientias sedem facile principem occupare, necesse erit fateamur.

6° *Media* hujus studii experimentalia jam immediata nulla sunt, non enim animalis homo percipit, sed rationalis tantum attingit quae rationis altissima sunt. Verumtamen ita Bonitas divina disposuit omnia ut ex visibilibus ad superna gradus sit facillimus. Media igitur ea omnia erunt quae libris praecedentibus observavimus atque conclusimus, ex quibus ratiocinio naturali unitatem finis et auctoris concludamus.

7° *Methodus* in hoc libro, ut a notis ad ignota ducat, vix alia excogitari posse videtur, quam ut tota tractatio circulo regressivo, a creaturis orta, ad existentiam creatoris surgens, ipsius deinde essentialia proprietates atque naturam intuens, activitatem postea essentialem et internam vitalem concludens, tandem activitatem etiam ad extra considerans, effectus eorumque essentialia modos ad Deum relativos concludat, atque ita ad creaturas novo lumine ac sublimiori conspectu agnoscendas nos reducat. — Sed et illud notare juvat, nullo pacto nobis in animo esse, quaestiones nonnullas, easque satis subtiles et arduas, diuturnum tempus absumentes, atque apprime inutiles, quales apud multos auctores passim inveniuntur, ac praesertim quo tractantur loco, disputare; sed aut omnino omittere aut alio ordine facilius, brevius pro suo valore solutas ostendere. Quis enim tolerandum rationabiliter ducat, antequam existentia et essentia Dei ostendantur, praeviis discussionibus immorari nos, *an Dei existentia demonstrari possit, et quibusnam argumentis; quo conceptu nobis exhibeatur essentia Dei, et quomodo is efformandus sit?* Neque enim ista demonstrari debent praevie, sed ex facto ipso constabunt, neque demonstrari imo possunt praevie, sed sequentes quaestiones jam solutas supponunt. Nos igitur, multo efficacius ac brevius, primo ostendemus de facto existentiam Dei, cujus rei argumenta varia perpendemus; quae si fuerint ineluctabiliter stringentia, ipso facto liquidissime patebit existentiam Dei demonstrari posse, et quidem *illis demonstrandi viis*. Deinde ex iisdem argu-

mentis, ea quae implicite continebantur explicite exponentes, Dei essentialia attributa analytice demonstrantes, ipso facto talem *Dei essentiae conceptum comparabimus* qualis nobis in praesenti nostra conditione possibilis est.

8° *Divisio* igitur hujus libri ex iis quae modo diximus naturalis illa deducitur, ut sit

- Caput 1. De Dei existentia.
- Caput 2. De Dei essentia.
- Caput 3. De Dei operatione ad intra.
- Caput 4. De Dei operatione ad extra.

CAPUT I.

DE DEI EXISTENTIA.

Omissa igitur sicut in prooemio monuimus praevia omni alia quaestione, agendum nobis nunc erit de existentia ultimae causae totius rerum universitatis ex praecedentibus libris cognitae. Et primo varias demonstrationes hujus existentiae perlustrabimus, quarum alteras efficaces, alteras invalidas esse ostendendum suscipiemus; deinde eorum opiniones attingemus, qui vel demonstrationis necessitatem ideo negent quia Dei existentiam ut evidentem et intuitive notam existiment, vel ipsam Dei existentiam negant, vocanturque athei. Sit ergo.

- Quaestio 1. De argumentis validis existentiae Dei.
- Quaestio 2. De argumentis invalidis.
- Quaestio 3. De nostra cognitione Dei existentiae.

QUAESTIO 1.

De argumentis validis existentiae Dei.

Varia proponimus argumenta tanquam valida; non tamen omnia tanquam aequalis facilitatis pro omnium etiam minus eruditorum hominum captu. Alia nimirum ex obviis factis experimentalibus, *ut existentibus*, hauriuntur, atque aliquam quidem, non autem valde acutam attentionem requirunt; vocanturque argumenta *physica*. Alia ex iisdem obviis factis cuique notis, *ut essentiis*, hauriuntur, et acutiorem mentis aciem requirunt ac praeparatam attentionem ad philosophicas analyses; vocantur illa argumenta *metaphysica*. Alia denique ex ipsius *humani generis* agendi, cogitandi, volendi, patiendi modo communi naturali depromuntur: haec obvio cuique homini apta sunt, sed aliquam requirunt reflexionem attentam, multam praesupponunt bonam fidem; ac propterea dicuntur argumenta *moralia*.

- Articulus 1. Argumenta physica.
- Articulus 2. Argumenta metaphysica.
- Articulus 3. Argumenta moralia.

ARTICULUS 1.

Argumenta physica.

Propositio 1.

Causa efficiens mundi formatrix male assignatur casus vel series infinita causarum.

Stat. quaest. 1) Primum argumentum existentiae Dei erit ex ipsa existentia tantae naturarum varietatis deducendum. Quomodo enim cumque velit quis naturas rerum varias explicare intrinsece, sive per motuum proportionumque diversitatem in atomis vel viribus simplicibus, sive per formas substantiales diversas in materia, hujus tandem diversitatis causa efficiens requiritur, quam (sit haec conventio) formatricem vocamus.

2) Plures variae opiniones sunt quae factum sine existentia Dei conentur explicare: ideoque ne longius atque intricatius per multas partes subdividendum appareat argumentum, rem dividimus, refellimusque adversas negationes per duas propositiones praevias, antequam propositione tertia nostram offerimus probationem.

3) Respondent *materialistae multi* principium causalitatis negantes generationes et corruptiones rerum non aliud esse nisi fortuitas (sine causa) mutationes materiae (atomorum).

4) Respondent *alii*, principium causalitatis concedentes, ens quodlibet rationem sui sufficientem habere in ente aliquo priore, et ita deinceps in infinitum, nam in hac serie semper eandem esse singularum causarum necessitatem et efficaciam. Hinc singula entia esse contingentia, sed totam seriem esse necessariam et aeternam causarum causantium et causatarum.

Prob. 1^a pars (non casus). 1^o Principium causalitatis est universale et analyticum (cfr. ontol.); e. valet etiam de mundi origine.

Prob. 2^o Inductione universali novimus, res naturales nunquam active se disponere ad aliquod opus artificiale constituendum; sed in hoc se passive habere sub influxu alicujus causae efficientis efformantis; a. in fabricatione mundanae diversitatis naturarum non magis quam ad opus artis humanae active est disposita materia; e.

Ad min. Inter formas naturales est: a) maxima diversitas, b) maxima fixitas specierum et stabilitas proprietatum, c) constans rerum activitas tum efficiens tum finalis.

Prob. 2^a pars (non series infinita). 1^o Existere non potest series nisi supponatur causa alia extra seriem posita; e.

Ad antec. 1) Id quod cuilibet membro seriei est essenziale non potest toti seriei non convenire; a. esse contingens, existere vi alterius entis efficientis, per se esse insufficientis ad existendum, cuilibet membro seriei essenziale est; e.

2) Unaquaeque causa in hac serie esset suo effectui causa *fiendi*, cessans postquam effectus productus est; a. ita non habetur causa *essendi*, de qua hic quaeritur; e.

ad min. Totum esse rerum naturalium est contingens, nec potest manere idem constans quoad essentiam nisi quatenus a causa sustinetur; e.

Prob. 2^o Posita causarum serie infinita, haberetur numerus actu infinitus; a. is repugnat; e.

Objic. 1^o A sensu distributivo ad sensum collectivum non valet illatio; a. contra sensum collectivum (seriei infinitae) arguitur a sensu distributivo (natura singularum causarum); e. — R. *d. maj.* ad sensum collectivum formaliter, seu reduplicative sumptum (i. e. ad id quod in collectione, vi ipsius collectionis adsit, quod in singulis non esset), e; materialiter, seu denominative sumptum (i. e. ad id quod in collectione sit, quia singulis essenziale est, neque eis potest non inesse, sive collectis sive dispersis), n; — c. *d. min.*

Objic. 2^o Primum est illud, ante quod non est aliud; a. ante omnem causam est alia causa; e. prima causa cogitari nequit. — *Prob. min.* Omnis causalitas (actio) est mutatio; a. omnis mutatio supponit actionem a qua sit profecta; e. — R. *tr. maj.* — n. *min.* — *ad prob. min* : *d. maj.* in ente quod transit de potentia in actum, c; quod est actus purus, n. — c. *min.*

Objic. 3^o Series causarum sine aliqua causa ultima est possibilis; e. a pari serie sine aliqua causa prima. — R. *c. antec.* — n. *cons. et parit.* (series sine causa ultima nequit esse actu infinita, sed finita crescens, et habet causam adaequatam in sua causa prima necessaria).

Objic. 4^o In hac serie singuli termini sunt possibles; a. collectio hanc singularum possibilitatem non tollit; e. — R. *d. maj.* distributive sumpti, c; collective, *sd* si sumitur collectio finita, c; actu infinita, n; — c. *d. min.*

Objic. 5^o Saltem concipi potest collectio (etsi finita) cujus singuli termini se mutuo in orbem producant; a. ita nulla requiritur causa extra hanc seriem; e. — R. *n. maj.* (prius est esse quam agere; a. hic prius ens ageret quam esset; nam : A produceret B, B produceret C, C produceret A; i. e. A produceret B, et per B produceret C, per C produceret seipsum; i. e. produceret antequam produceretur, et quam esset).

Propositio 2.

Causa efficiens mundi formatrix male assignatur evolutio materialis, vel anima mundana, vel evolutio logica, vel conceptus aseitatis.

Stat. quaest. 1) Secundum *plures materialistas* recentiores: a) nec materia sine viribus, nec vires sine materia possunt concipi; sunt proin indissolubiliter unitae, — b) estque materia improductibilis et indestructibilis, — c) ac proinde ejus vires sunt pariter improductibiles, indestructibiles, aeternae, — d) talis materia necessario est determinata ad operandum, — e) et ita seriem motuum et transformationum indefinitam efficit, — f) et seipsam progressive evolvit in mineralia, vegetantia et animantia.

2) Secundum *hylozoistas* : a) insidet materiae anima ei indissolubiler conjuncta, eamque totam pervadens, — b) quae necessario et caeco naturae impulsu vires sibi inditas ab aeterno evoluit, — c) evolutione modo progressiva, modo regressiva, secundum leges certas, varias efformat naturas. — Hanc animam veteres *Stoici* dicebant intelligere, et agere necessario sed non caece.

3) Secundum *hegelianos* diversitas naturarum necessario processu logico evolvitur ex ipsa idea entis.

4) Secundum *pantheistas* mundus est ens a se et infinitum.

Prob. 1^a pars (evolutio). 1^o Falsum est primum suppositum : vires concipi non posse nisi in materia; nam vis dicit principium activitatis; a. principium activitatis potest concipi sive in materia sive in non materiali; e.

2^o Falsum est materiam necessario se in varias formas evolvere, nam : materia secundum se est in potentia ad varias formas ut actus suos recipiendas; a. absurdum esset dicere, ipsam potentiam esse causam productivam adaequatam sui actus (sibi daret quod non habet); e.

Prob. 2^a pars (hylozoismus). Illud systema omnia eadem absurda congerit quae ostenduntur in systemate evolutionis materialis, et in systemate monismi pantheistici; e.

Prob. 3^a pars (evolutio logica). Haec evolutio, ut est in syllogismo, a) ab omni contingentia horret (sequitur necessario consequens); — b) a procreanda conclusione nunquam arceri potest; — c) nihil in se continet quod per accidens fiat et fortuito; — a. evolutio mundi talis non est; e.

Prob. min. a) Mundus et varietas formarum in eo, est contingens, non absolute necessarium; — b) causae multae impediri possunt ne effectus producant, et si producant non ita sequitur effectus ut absolute repugnet non sequi; — c) multa fiunt per accidens : propter concursum duarum causarum mutuo independentium, v. c. si carbonium a planta absorbetur, si planta a bruto destruitur; vel propter defectum virtutis in causa; vel propter indispositionem materiae.

Prob. 4^a pars (conceptus aseitatis). Ens a se, absolute necessarium, est realissimum, infinitum, absolute immutabile, simplicissimum (cfr. ontol.); a. talis non est mundus et diversitas formarum in eo; e.

Propositio 3.

Existentia Dei, ut causae efficientis formatrix mundi, probatur ex existentia varietatis naturarum.

Stat. quaest. 1) Sensus est : causam mundi debere aliquod ens esse extra ipsum mundum, reale existens, quod eminenter omnes mundi formas in se habeat.

2) Ut probetur *Deus personalis*, sufficit probare substantiam intelligentem a qua reliquae naturae originem trahant; nam illam substantiam fore completam et in se subsistentem, i. e. personam, intelligitur per se.

Prob. 1^o Causa mundi formatrix, nec casus, nec series infinita causarum causarum et causantium, nec evolutio materialis, nec anima mundana, nec evolutio logica, nec aseitatis conceptus potest esse; a. praeter haec non aliud manet excogitabile nisi ens a se extramundanum, realiter existens; e.

Prob. 2^o Variarum mundi essentiae tales sunt ut : a) contingentes quidem de se sint, et proin per se ipsas non magis esse et perseverare exigant quam non esse vel desinere; — b) perseverent tamen singulae species indesinenter, et constanter eadem, necessitate aliqua naturaliter indita; — a. unica ratio sufficiens existentiae talium essentiarum, est causa aliqua quae ipsa sit ens necessarium, a se, habens eminenter omnes illas essentias, influens illas formas in materia, et continuo influxu illas sustentans; e.

Coroll. Ergo quum inter varias illas naturas etiam natura rationalis inveniatur, causa mundi formatrix, Deus, ut etiam istam naturam eminenter possideat, debet esse summe intelligens natura, ac proinde personalis.

Objic. Mundus est opus finitum; a. effectus finitus non requirit causam infinitam; e. non probat existentiam Dei. — R. c. *maj.*; — d. *min.* immediate, *tr.*; mediate, *n.*; — d. *cons.* Dei ut causae primae, *n.*; ut infiniti, *sd.* non probat explicite et immediate, *c.*; non probat implicite et mediante hoc alio conceptu quod Deus est causa prima, *n.* (sed de infinitate Dei cfr. infra).

Propositio 4.

Causa efficiens mundi ordinatrix male assignatur casus, vel necessitas naturae.

Stat. quaest. 1) Alterum argumentum physicum existentiae Dei erit ex admirabili ordine mundi ducendum. Viget enim constans universalis ordo inter varias rerum naturas; quem materialistae alii ex mero casu, alii ex fatali necessitate activitatis naturarum explicatum sine extramundana causa ulla volunt.

2) Sicut in praecedenti argumento, rem dividimus in duas propositiones : negativam alteram, alteram positivam.

Notiones. 1) *Ordo* est unitas in multitudine et varietate, fundata in multorum relationibus. — In mundo est inter varias formas seu naturas *ordo splendens* (pulchritudo) valde compositus, tum *staticus*, tum *dynamicus*, sive *harmonicus*, sive *finalis* (de his cfr. omnino ontolog.).

2) *Ordo* mundi non unice, sed maxime splendet quatenus *finalis* est. Et quidem finis *operantis* minus nunc inspiciendus est, nam minus clarus immediate apparet, et quaeritur utrum operans existat; sed ad finem *operis* nunc attendimus. Est autem :

finis — — — id propter quod aliquid fit (cfr. ontolog.).
 operantis — — id in quod actio efficiens, vel opus effectum, *ex intentione agentis* dirigitur; i. e. bonum cuius assequendi gratia operatur suum opus, v. c. lucrum artificis.
 operis — — id in quod actio efficiens, vel opus effectum, *natura sua* dirigitur (abstrahendo num ipse operans hanc directionem advertat et velit).
 extrinsecus, ipsum ens cuius intuitu fit actio, v. c. rex cuius statua sculpsit; vel ad quod ipsum opus effectum tanquam medium ordinatur, v. c. ornatus horti ex floribus plantatis.
 intrinsecus, ipsa perfectio operis, ad quam hoc opus de se tendit, v. c. terminus intrinsecus actionis, vel perfectio operis effecti quam hoc opus sibi acquirat, puta vegetatione, motu, etc.

Prob. 1^a pars (non casus). 1^o Etiam si supponatur casu aliquo omnes atomos materiales in hunc complicatissimum ordinem mundi concurrisse, non tamen poterant in his mutuis relationibus stabiles manere; *a.* ita ordo casu ortus perseverare non poterat; *e.*

Prob. maj. Propter perpetuam resolutionem aggregatorum in sua elementa ultima, deberent casu atomi in easdem formas omnes et solas, semper, infinities, constanter recurrere; *a.* propter jugiter variantes motus et relationes inter atomos, hoc erat impossibile; *e.* (cfr. logic. de calculo probab. et de certitud.).

Prob. 2^o Ut efformaretur casu ordo mundi, debuisset firmiter permanere quisque ordo minus complicatus elementorum, ut ex talibus aggregatis casu deinceps efformari potuissent ordines complicatiores, et tandem complicatissimus ordo mundanus; *a.* haec perseverantia erat impossibilis, ob motus varios et solutiones continuas; *e.* ne ad brevissimum quidem tempus potuit casus ordinare mundum.

Prob. 2^a pars (necessitas caeca). Ut materia caeco nisu ordinem producat, supponunt adversarii: *a.* in singulis vel minimis particulis insitas esse, saltem seminaliter, vires elementares, vegetativas, sensitivas, intellectivas; — *b.* primo prodiisse in actum vires elementares, dein sub propitiis adjunctis, i. e. sub apta resultantia virium elementarium, ordine prodiisse in actum, modo in his, modo in illis particulis, primum vires vegetativas, dein sensitivas, dein intellectivas; — *a.* haec sunt absurda; *e.*

Prob. min. Propitia illa adjuncta, aut supponuntur jam vigere ante omnem actionem particularum in se invicem, aut paulatim adduci ex saepe diversificato concursu particularum; — *a. si prius:* ordo non explicatur ex activitate, etiam necessaria materiae, sed aliunde supponitur adesse; — *si posterius:* ordo non ex necessitate naturae, sed ex casu oritur et pergit (nam particularum semper ab invicem solutae variis motibus actae, non de se eadem adjuncta conservabunt vel iterum producent, sed novo casu favente); *e.*

Objic. 1^o Fieri casu potest ut quaedam accipiant similitudinem operum

intelligentiae; *e.* ex ordine non probatur causa intelligens. — *R. d. ant.* casu, i. e. sine ulla causa, *n.*; i. e. ex causis quae illum effectum non intendunt, *sd.* et possunt facile distingui a vere formaliter ordinatis, *c.*; secus, *n.* (cfr. ont.).

Objic. 2^o Fortuitae atomorum conjunctiones (vel materiae modificationes) tempore infinito, possibiles omnes combinationes efficere debent; *a.* inter eas est etiam haec rerum universitas; *e.* — *R. a.) n. maj.* — *R. b.) tr. maj.*; — *d. min.* inter omnes intrinsece possibiles, *c.*; extrinsece, *sd.* spectata virtute causae intelligentis, *c.*; secus, *n.*

Objic. 3^o Ut explicetur mundi ordo et ortus, nihil aliud necesse est supponere nisi vires quas materia habet. — *R. d.* supponendo insuper materiae existentiam, et vires constitutas, definitas, dispositas, directas consilio supremae intelligentiae, *c.*; secus, *n.*

Inst. Ignotum est quousque vires materiae pervenire possint. — *R. d.* sub directione supremae intelligentiae, *c.*; materiae per se, *n.*

Objic. 4^o Posita existentia mundi, natura universa est auctor omnium effectuum. — *R. d.* immediate, *tr.*; mediate et ultimam, *n.*

Propositio 5.

Existentia Dei, ut causae efficientis mundi ordinatricis, probatur ex admirabili ordine mundi.

Prob. Mirabilis existit in mundo ordo complicatissimus sed unus, tum staticus, tum dynamicus, et quidem harmonicus, sed praesertim finalis, isque constans, et rebus intrinsecus simul et extrinsecus; — *a.* 1) in talem ordinem materia nec casu nec caeca necessitate se disponere poterat; — 2) talis ordinis causa unica adaequata esse debet et intelligens; — 3) causa haec debet esse ens extramundanum et independens; *e.*

Ad maj. 1) Comparanda sunt hic inter se facta plurima particularia et minima, legesque universales naturales; quae omnia nos docent v. c. mineralogia, crystallographia, chemia, geologia, botanica, zoologia, physiologia, mechanica, physica, astronomia, meteorologia.

2) Constat maxime quam admirabilis sit ille ordo, si attenditur *a.* ejus amplitudo (numerus et varietas relationum), — *b.* ejus perfectio (perfecta relationum consensio), — *c.* ejus constantia (relationum perseverantia), — *d.* ejus simplicitas (simplicissimis materiae viribus et legibus physicis contentae relationes), — *e.* ejus contingentia (nec res ordinatae, nec ipse ordo et relationes, sunt absolute necessariae vel immutabiles).

Ad min. 1 part. ex praecedentibus.

Ad min. 2 part. (causa unica, intelligens). Causa talem ordinis ea esse debet quae valeat tantam diversitatem, imo contrarietatem finium particularium et naturarum in unitatem totalem redigere; *a.* talis causa non nisi una et intelligens esse potest; *e.*

prob. min. a.) Causae plures suas haberent naturas proprias diversas et ope-

rationes ac fines particulares diversos; *e.* aut non concurrerent in unitatem totalem, aut ad hoc deberet dirigi ab alia causa generaliore una, quae jam esset causa mundi ultima una.

b) Causa una *non intelligens*, influxum suum unum in plurimas naturas et operationes non posset diversificare sapienter, in ordinem tam mirabiliter complexum; *e.* aut ordinem mundi non produceret et conservaret, aut ad hoc ab alia causa superiore duceretur intelligente.

Ad min. 3 part. (extramundana, independens). In mundo fiunt et pereunt perpetuo alia et alia entia, ita ut mundus perpetuo mutetur, maneat tamen perpetuus ordo idem in his mutationibus; *a.* talis ordinis nequit esse causa nisi extramundana et independens; *e.*

ad min. a) Causa *intramundana* esset aut aliqua natura particularis, aut omnes naturae mundanae simul sumptae; — *a. si primum*: ejus influxus erit huic naturae proportionatus, et jam non ordo erit universalis, nec mutationes mundanae erunt constantes ac singulis naturis proportionatae; — *si secundum*: jam ipse ordo erit sui ipsius causa, et aut absurdum quid dicitur, aut redit tota quaestio non soluta; *e.*

b) Causa *dependens* aut dependeret ab aliqua natura vel adjunctis intramundanis, aut ab aliquo ente extramundano; *a.* ita non ipsa est causa, sed illud aliud sive intra sive extra mundum existens; *e.* (N. B. agimus de causa independente in *causando*; an etiam independens in *essendo* sit, non explicite ex praesente argumento sequitur).

Objic. Notio causae debet esse fixa, ut possit dici causa talis effectus; *a.* hic notio causae est vaga et indeterminata; *e.* — R. *d. maj.* antecedenter ad effectum, et quoad nos, *n*; consequenter, *sd.* debet tribui tanta vis quae sufficiat ad effectum, *c*; debet excludi major vis, *n*.

Inst. Atqui sic ex ordine mundi non potest inferri existentia entis summe perfecti. — R. *d.* immediate, *tr*; mediate, *n*.

Inst. Si auctor esset perfectissimus, mundus esset perfectissimus; *a.* non est; *e.* — R. *d. maj.* perfectione absoluta, *n*; relativa, *c*; — *c. d. min.* (cfr. infra).

Propositio 6.

Existentia Dei, ut causae efficientis mundi creatricis, probatur ex existentia corporum materialium mundanorum.

Stat. quaest. 1) Tertium argumentum physicum ex ipsius materiae mundi existentia (sive haec dicatur esse atomi, sive materia prima peripateticorum) deducit necessitatem creationis et creatoris.

2) Creatio differt ab eductione et factione, eo quod *educitur* nova forma ex potentia praejacentis materiae; — *fit* nova substantia, seu novum compositum, praejacentis compositi mutatione; — *creatur* novum ens quoad totam suam entitatem adaequate sumptam, non ex aliqua praejacente; est ergo terminus a quo: nihil, seu non ens simpliciter; terminus ad quem: ens totaliter

sumptum; unde *creatio* definitur: productio ex nihilo sui et subjecti; dum *eductio* est: productio ex nihilo sui et ex potentia subjecti; *factio* autem: productio ex nihilo sui et ex mutatione subjecti.

3) Praescindimus hic a quaestione: utrum solus Deus possit creare, an potentiam creandi possit alteri communicare; seu utrum Deus sit causa creatrix mundi immediata an forsitan mediata.

4) Ad facilitatem probationis, sint duae partes: a) materia mundi habet causam efficientem; — b) haec effectio fuit per creationem proprie dictam.

5) Intelligitur causa saltem natura prior effectu suo, etiam abstrahendo nunc a facto vel possibilitate creationis *ab aeterno*.

Prob. 1^a pars (habet causam). Materia mundi aut est ens a se, aut ens ab alio; *a.* non a se; *e.* (cfr. ontolog.).

Prob. min. Ens a se est absolute necessarium, infinite perfectum, absolute immutabile; *a.* materia mundi non est *necessaria*, nisi in sensu composito suae existentiae et hypothetice ac physice; non infinite *perfecta*, sed per formas varias, tum substantiales, tum accidentales usque perficienda; non *immutabilis*, sed multas diversas formas subiens, perpetuasque mutationes; *e.*

Prob. 2^a pars (per creationem). Effectio materiae debuit esse aut ex substantia ipsius causae efficientis (per emanationem), aut ex praejacente materia increata (per factionem), aut ex nihilo; *a.* non duo priora; *e.* tertium.

Prob. min. 1 part. (non emanatione). Haec causa, ens a se, est absolute immutabilis, indivisibilis, incorruptibilis; *e.* non potest ex sua substantia efflicere materiam, nisi seipsam evolvendo in eam, et jam habemus pantheismum emanasticum qui potius in immanentem abit; *e.* (cfr. cosmolog.).

Prob. min. 2 part. (non factione). Quaestio est de productione primae materiae; *e.* si supponitur praejacens alia materia, nihil explicatur, sed manet integra quaestio, vel redit prior pars hujus propositionis: an ipsa haec praejacens materia sit ens a se.

Objic. 1^o Ex nihilo nihil fit! — R. *d.* ex nihilo ut ex praejacente subjecto, *e*; ut a termino a quo, *sd.* factione vel eductione, *c*; creatione, *sd.* a causa prima, *n*; ab aliis causis, *e.*

Objic. 2^o Omnis actio suum habet terminum intrinsecum, qui est passio alterius; *a.* ut habeatur passio alterius praesupponitur hoc alterum ut subjectum; *e.* — R. *d. maj.* omnis alia praeter creationem, *c*; etiam creatio, *n*; — *tr. min.*

Objic. 3^o Teste experientia nihil unquam materiae producitur, vel annihilatur; *e.* materia producibilis vel annihilabilis non est. — R. *d. ant.* de facto physico nunc, *c*; de facto olim vel postea, *n.* (horum experientiam non habemus, neque ex experientia facti praesentis ad existentiam facti praeteriti vel futuri potest arguere inductio, nisi hoc factum sit rei *essentiale*: tale hic non est); — *d. cons.* efficientia causarum mundanarum, *c*; causae primae mundi, *n.*

Objic. 4^o Materia produci non valet nisi a vi aliqua extra materiam existente; *a.* talis vis concipi nequit; *e.* — R. *c. maj.* — *n. min.* vel *d. min.*

talis vis quae sit abstracta, sine ullo subjecto, *c*; quae sit sine subjecto materiali, *n*.

Coroll. Quoad methodum demonstrationis, immerito postulant aliqui ut antequam factum creationis demonstraretur, ejus possibilitas ostendatur; nam a) ab esse ad posse valet illatio; *e*. qui ostendit explicite factum, ostendit implicite possibilitatem; — b) possibilitas est quidem prior facto, in ordine ontologico, sed non in ordine logico; — c) saepe quidem ostenditur prius possibilitas alicujus facti, sed non necessaria methodo pars demonstrationis haec est; — d) factum creationis omni certitudine per principium causalitatis ex facto existentiae mundi nostri deducitur; — e) neque est creatio aliqua hypothesis, quae ut sit probabilis, debet prius ostendi possibilis; sed est *causa sola* admissibilis.

ARTICULUS 2.

Argumenta metaphysica.

Propositio 7.

Existentia Dei, ut entis necessarii, probatur ex existentium rerum contingentia.

Stat. quaest. 1) Primum analyticum argumentum est ex illo universali rerum omnium caractere deductum, quod omnes essentialiter contingentes sint. Valde affine quidem est hoc argumentum cum praecedente ultimo physico, sed eo differt quod physicum rerum contingentium existentiam actualem considerabat ut factum; metaphysicum vero rerum existentium essentiam respicit, ex qua deducit agnoscendam objectivam necessitatem Dei existentis.

2) Ens necessarium, et contingens, hic intelliguntur sicut in ontologia: ens quod vi essentiae suae intrinsece repugnat, vel non repugnat, non existere, vel alio modo existere.

Prob. Existunt in mundo res contingentes; *a*. existere solae contingentes res non possunt; *e*. existit et ens necessarium.

Ad maj. Teste experientia, res mundanae sunt de se indifferentes ad existendum vel non existendum, ad uno modo vel alio modo existendum.

Ad min. Contingentia ex sua natura non magis determinantur ad existendum quam ad non existendum; ad unum quam ad alium existendi modum; *a*. talia quum existunt debuerunt determinari ab alio; *e*. (efr. ontol.).

Objic. 1° Determinantur singula in serie infinita. — R. *n*. et *retorq.* ita multitudo famelicorum, quorum nullus ex se habet cibum sufficientem, desideret cibo carere eo quod multitudo fieret infinita!

Objic. 2° Idea contingentis supponit ideam necessarii; *e*. si cognoscimus contingens, jam supponimus necessarium. — R. *tr. ant*; — *d. cons.* si cognoscimus id quod est contingens, *n*; si... id ut contingens, *sd.* cognoscimus

necessarium post contingens, et quidem deductione, *c*; ante, et utcumque, *n*.

Objic. 3° Per ea quae necessaria non sunt, nequit demonstrari id quod necessarium est. — R. *d.* per praemissas quae nullam habent necessitatem, *c*; per entia quae non sunt necessaria, *n*.

Objic. 4° Si existentia contingentis esset necessario connexa cum ente necessario, ens contingens esset necessarium. — R. *d.* si connexa necessitate absoluta et ex parte entis necessarii, *c*; secus, *n*.

Propositio 8.

Existentia Dei, ut primi motoris immobilis, probatur ex rerum existentium mutabilitate.

Stat. quaest. 1) Alterum argumentum metaphysicum sumitur ex analysi motuum seu mutationum mundanorum entium. Nam perpetuus est motus omnium rerum, sive localis, sive quantitativus (augmenti et decrementi), sive qualitativus (alterationis accidentalis, vel alterationis substantialis); quas notiones ex cosmologia hic recolere opus est.

2) Ex his motibus existentibus concluditur ad existentiam alicujus primi motoris immobilis, i. e. alicujus harum mutationum causae primae quae non ipsa suam causam habeat.

3) Praesupponuntur nunc principia: causalitatis et rationis sufficientis, et proportionis causae ad effectum.

Prob. Omnes res mundanae sunt multipliciter mutabiles, et perpetuo moventur; *a*. 1) omne quod movetur, ab alio movetur; 2) motuum omnium debet esse aliquis motor primus immobilis, i. e. mutator immutabilis; *e*. existit aliquis motor primus immobilis.

Ad min. 1 part. (movetur ab alio). Non negatur actus immanens, vel actus liber; — sed: quidquid passivum est, i. e. mutatur, movetur, non ipsum sub eodem respectu activum est, sed ab alio movetur, i. e. sub influxu alius activi est, sive alius agentis, sive alius partis, sive alius potentiae; in qua sit ratio sufficiens mutationis passive acceptae.

Ad min. 2 part. (motor immobilis). Iste motor activus, dum agit, ipse aut nullam subit mutationem, aut aliquam; — *a. si primum*: ipse est motor immobilis primus (at N. B. talis non passim invenitur, sed a) teste experientia in rebus mundanis nullus est; b) nec alius esse potest nisi ille qui plenitudinem perfectionis hujus possidet ipse, quam alteri communicat, estque in hoc ordine actus purus); — *si secundum*: ipse movens movetur iterum ab alio: est sub aliquo alius influxu; de quo alio redit quaestio; et nisi aliquis tandem invenitur immobilis motor, nulla erit ratio sufficiens totius motuum collectionis; *e*.

Coroll. Motor ille primus immobilis ad quem concludit argumentum, debet esse ratio sufficiens omnium mutationum, i. e. omnium perfectionum quae per motus omnes acquiruntur; *e*. debet ipse eas omnes actu habere virtualiter et eminenter.

Propositio 9.

Existentia Dei, ut entis perfectissimi, probatur ex existentium entium majore aut minore perfectione.

Stat. quaest. Tertium metaphysicum argumentum est ex analysi variorum graduum perfectionum finitarum, qui nisi in una perfectione summa fundentur, ex eaque derivent, sint impossibiles.

Prob. In rerum natura sunt diversi gradus bonitatis et perfectionis, et proinde entis; *a.* quod est summum in tali genere, perfectionis simplicis, est causa ceterorum quae sunt in illo genere; *e.*

Ad maj. 1) Res aliae solum sunt, aliae et vegetant, aliae et sentiunt, aliae et intelligunt; — 2) et ipsa vita, virtus agendi, sapientia, justitia, bonitas, nobilitas, et proin ratio entis, secundum diversos gradus perfectionis inveniuntur.

Prob. min. 1) Quidquid est finitae perfectionis, includit actum et potentiam; *a.* tale nequit esse a se; *e.* habet rationem sufficientem suae perfectionis in perfectione majore alterius in eodem genere perfectioris.

2) Si est minus, majus, maximum in tali genere, aut singula sunt a se, aut minus et majus sunt a maximo; *a.* non sunt singula a se (nam inferiora sunt in potentia ad majorem perfectionem); *e.*

Propositio 10.

Existentia Dei, ut ultimi omnis veritatis fundamenti necessarii, aeterni, immutabilis, probatur ex necessitate, aeternitate, immutabilitate veritatis totius ordinis idealis.

Stat. quaest. 1) Pulcherrimum hoc quartum metaphysicum argumentum omnes hodierni materialistae irrident vel prorsus ignorant, inepti nimirum qui praeter sensibilia quidquam agnoscant ut objective verum.

2) Alii etiam irrident licet non materialistae, scilicet naturalium scientiarum cultores multi, quia consueti res observare quae experientiae physicae subjacent, paulatim in aestimationem veniunt, objectivas veritates non alias esse praeter experimentales, subjective excogitatas vero, et per analysim conceptuum inventas, non nisi subjectivas esse et quasi figmenta mentis, quae tota quanta pendeant a nostra activitate intellectuali.

3) Alii etiam rejiciunt philosophi, timentes circulum vitiosum: ordinem idealem non esse necessarium nisi fundetur in Deo praesupposito, ergo ex eo non probari Deum existere.

Prob. Praeter ordinem physicum rerum existentium, et veritatum experimentalium: 1) est et alius ordo idealis rerum excogitabilium, intrinsece possibilium, et veritatum analyticarum; — 2) et istae essentiae possibiles, et istae veritates analyticae, sunt objectivae et verae, non mera subjectiva figmenta mentis; — 3) et sunt absolute necessariae, aeternae, immutabiles; —

a. talis ordo idealis intrinsece impossibilis est nisi fundatur in aliquo fundamento proportionato: ente absolute necessario, aeterno, immutabili, actu existente; *e.*

Ad maj. Factum exprimimus omnino certum et cogitanti cuilibet evidens, illudque ut merum factum assumimus quod cujusque conscientia notum est, abstrahendo interim ab omni explicatione. Scilicet:

1) Res quae existunt, excogitabiles erant ante quam existebant, — et aliae illis similes excogitabiles sunt, — et aliae dissimiles, ac maxime variae.

Judicia analytica, sive immediata, v. e. prima principia, sive mediata, v. e. tota mathesis pura, *objective sumpta*, essent excogitabilia etsi nihil existeret, et etiam nunc sunt ab omni experientia independentia.

2) Essentias illas et veritates illas non magis quam ullum aliud suum objectum intellectus efficit, sed invenit tanquam praesuppositas ontologicæ; neque eas caeco instinctu percipit per formas Kantianas subjectivas necessarias, neque eas libere percipit et immutat vel negat; sed simpliciter videt eas independentem a seipso esse veras.

3) Nulla firmior certitudo naturalis objectiva est quam veritatum analyticarum, et constitutionis essentialium idealium; eaeque concipiuntur ut sine conditione, absolute necessario tales et in aeternum immutabiliter tales et verae.

N. B. Haec omnia dicimus, logice non praesupponentes Deum existere, imo methodice Deum adhuc ignorantes. — Ad originem idearum nostrarum praesupponuntur quidem corpora existentia: sed hoc est nobis in statu praesenti subjectivum; quaerimus autem nunc de objectivitate.

Prob. min. Ex modo facta analysi, ordo idealis veritatis objectivus, 1) est independens ab omni re mundana existente, neque in iis rebus fundatur, — 2) est independens etiam ab omni nostro intellectu, — 3) est incommutabiliter objective verus necessario et ab aeterno, — 4) est tamen mere idealis, et nullo modo in seipso subsistens, vel in seipso fundatus tanquam in ratione sufficiente; — *a.* unicus modus ea omnia simul conciliandi et explicandi, est ut admittatur existentia realis physica alicujus essentiae proportionatae, quae hujus ordinis totius sit ratio sufficiens objectiva; i. e. quae sit absolute necessaria, aeterna, immutabilis; — *e.* nisi quis velit aut objectivitatem principii rationis sufficientis negare, aut totum ordinem idealem veritatis inexplicatum relinquere...

N. B. Quomodo Deus existens sit fundamentum sufficiens unde oriatur talis ille ordo idealis: cfr. ontolog. prop. 22; et animadvertite ibidem jam implicite probatam fuisse praesentem nostram propositionem.

Objic. 1° Supponitur aeternitas, immutabilitas, necessitas essentialium absoluta; *a.* absoluta non est, sed hypothetica tantum; *e.* — **Ad min.** Si essentiae concipiuntur, sunt necessariae, immutabiles, aeternae; si non concipiuntur, nulla de iis praedicanda est necessitas, etc. (nam sunt ideales, i. e. cogitatae solum); *e.* — **R. d. maj.** absoluta, i. e. physica et positiva in ordine

actuali, *n*; i. e. sine hypothesis in ordine objectivitatibus idealis, conceptae vel conceptibilis, *c*; — *c. d. min.* — *d. rat. min.* i. e. si concipiuntur, concipiuntur, et si non concipiuntur, non concipiuntur, *c.* (quis negaret?); i. e. quoties non actu concipiuntur, earum objectivitas est falsa vel nulla, et intellectus eas concipiens facit suum objectum, *n.*

Objic. 2° Supponitur omnes essentias esse formaliter absolutae necessitatis, aeternitatis, immutabilitatis; *a.* sic confunduntur omnes essentiae cum ipsa essentia divina; *e.* — *R. d. maj.* eo sensu quo fuerunt explicatae in argumento, et magis ex professo in ontologia (cfr.), *c*; eodem sensu ac de Deo dicuntur, *n.*

Objic. 3° Fundamentum sufficiens essentiarum immutabilitatis, necessitatis, aeternitatis, sunt ipsae essentiae physice existentes, ex quibus intellectus notas abstrahat; *e.* ad aliud fundamentum non est recurrendum. — *R. d. ant.* sufficiens fundamentum logicum, i. e. unde mens humana originem conceptuum hauriat, *c*; fundamentum ontologicum, i. e. unde objectivitas habeat ut vera sit, et debeat talis potius quam alia concipi, sive ab homine in statu praesenti, sive ab qualicumque excogitabili intellectu, *n.*

Schol. Multa praeterea saepe objiciuntur contorta de possibilitate intrinseca et extrinseca essentiarum, vel de possibilium numero infinito categorematicae et syncategorematicae; — sed *R. 1)* nos ex possibilitate et ex infinitate nihil arguimus, sed ex incommutabili veritate; nec proinde respondere debemus. — *2)* defendi tamen posset, licet minus facile, etiam ita conceptum argumentum; id vero illi conentur qui rem susceperunt. Cfr. Kleutgen. Phil. d. Vorz.

ARTICULUS 2.

Argumenta moralia.

Propositio 11.

Existentia Dei ut supremi et colendi numinis probatur ex universali et constanti generis humani consensione.

Stat. quaest. Non vi argumenti sequetur immediate hoc numen esse infinitum, sed solum esse supremum aliquod.

Prob. 1° Genus humanum constanti et invicto semper iudicio iudicavit esse Deum (i. e. esse aliquod ens supramundanum, suprahumanum colendum); *a.* hoc iudicium falsum esse nequit; *e.*

Ad maj. Constat *1)* ex testibus: historicis, philosophis omnibus, qui contra atheos ad traditionem universam recurrunt; — *2)* ex vestigiis facti huius: scriptis veterum, carminibus, altaribus, sacris ritibus, diebus festis, etc.

Prob. min. Hic effectus constans, communis, invictus causam habere debet constantem, communem, necessariam; *a.* haec esse nequit nisi natura rationis ipsa; *e.*

ad min. 1) Causa nequit esse: *educatio et praejudicia*: mutantur et depouuntur; — *deceptio sensuum*: sine objecto sensibili; — *fraus et conspiratio hominum*: detegeretur, nec esset ubique, nec in subitis et improvisis firma et sponte adesset, nec apud barbaros sine societate viventes; — *vana spes et inanis timor*: spes supponit persuasionem; et si ex natura est, non erit falsa; si timoris causae inanes: deteguntur et cessat timor; — *ignorantia*: teste historia, persuasio crevit cum vera scientia.

2) Illa persuasio in ipsa natura rationis radices habet, quae ex perpetua examinatione firmior semper evasit; quae cum morum humanitate et bonitate, et ingeniorum cultura semper crevit; quae scientiae suffragiis confirmata est; cujus adversarii omnibus semper exosi fuerunt; *a.* talis est persuasio de existentia Dei, *e.*

Idem argumentum brevius: mens humana in iudiciis sensus communis est infallibilis; *a.* tale est iudicium de existentia Dei (cfr. logic.); *e.*

Prob. 2° Si falsa opinio, quae ad vitam e rerum veritate instituendam praeter ceteras est summi momenti, imo una et summa regula, ne a sapientissimis quidem, per tot saecula, continua diligentia, ut falsa cognosci et ex hominum animis deleri potuit; ratio humana non potest dici facultas cognoscendi verum, sed natura sua esset falsitate implicita; *a.* hoc est absurdum; *e.* (cfr. logic.).

Objic. 1° Diversi dii a diversis nationibus colebantur; *e.* nullus habet pro se universale suffragium. — *R. d.* haec discrimina iudicium afficiebant de existentia alicujus divinitatis, *n*; modum ideae qua exhibetur, *tr.*

Objic. 2° Idea Dei est idea entis perfectissimi; *a.* talem pleraeque nationes non habuerunt; *e.* — *R. d. maj.* notio clara etiam circa naturam Dei, *c*; inchoata circa existentiam, *n.*

Objic. 3° Multae gentes observatae a testibus fuerunt adeo incultae ut: *a)* nullam divinitatem colerent, — *b)* etiam interrogatae responderent explicito nihil se divinitatis agnoscere; *e.* — *R. d. ant.* leviter observatae et iudicatae, *c*; serio et diu observatae, *sd.* nullum verum externum cultum, nullam cognitionem theoreticam distinctam habent, *c*; nullum timorem ac reverentiam (v. e. circa sepulturas, vel circa artes magicas), nullam notionem saltem confusam, *n.*

Objic. 4° Constat per multa saecula gentes integras et magnas orientales, et plures philosophorum scholas occidentales, fuisse pantheisticas; *a.* pantheismus nullum agnoscit numen extramundanum, sed revera aequivalet atheismo; *e.* — *R. d. maj.* vulgus in his gentibus et scholis, *n*; sapientiores magistri, i. e. superiores, *sd.* theoretice et practice, quoties explicito de his rebus disputantes, contra naturae suae ductum reluctabantur, *c*; quoties ductu naturae, non passionum, cogitabant, loquebantur, et agebant cum simplicitate, *n*; — *c. min.*

Objic. 5° Non omnes populi nobis comperti sunt, nec constat an semper ita senserint. — *R. d.* directa cognitione, *c*; sufficiente illatione, *n.*

Objic. 6° In Deo existentiā confunditur cum essentia; *a.* essentia Dei est nobis inaccessibleis; *e.* — *R. d. maj.* objective, *c;* pro nostra cognitione, *n.*

Propositio 12.

Existentiā Dei, ut summae veritatis et bonitatis, probatur ex natura humani intellectus et voluntatis.

Stat. quaest. Auctorem naturae et ordinatorem sapientem expresse supponere nunc non possumus; hujus enim existentiā volumus ostendere. Facta mere experimentalia supponimus: ordinem existere in mundo, undecumque ille sit; et tendentiā naturalem hominis ad verum et bonum. Ex his fit inductio, nostrum argumentum.

Prob. 1° Non nisi infinito vero et bono, ut objecto totam animam nostram beante, potest naturale nostrum beatitudinis desiderium satiari; *a.* repugnat naturale desiderium satiari non posse; *e.* existit tale objectum infinite verum et infinite bonum.

Prob. maj. 1) per partes. a) Intellectus quolibet finito vero dato, molitur aliud ultra apprehendere, ex cognitis ad incognita, ex finitis ad infinitum naturali impulsu fertur; *a.* felicitas consistit potissimum in intellectu (nam: nullum aliud desiderium fertur tam in sublime quam desiderium cognoscendi veri); *e.*

b) Voluntatis tanta est potentia receptiva, quanta est appetitio activa, et e converso; *a.* appetitio activa naturaliter fertur in bonum infinitum et indefectibile (nam: voluntas naturaliter appetit quod ipsi ab intellectu naturaliter ut appetibile proponitur; *a.* proponitur verum et bonum infinitum); *e.* (cfr. psychol.).

2) Intellectus non cognoscit solum ens verum sensibile, sed et ipsam rationem universalem veri; et voluntas non appetit solum ens bonum sensibile, sed et ipsam rationem universalem boni; *a.* ratio veri et boni ex natura sua non exhauriuntur rebus finitis et mutabilibus; *e.* tendit in infinitum cui anima immutabili amore jungatur.

Prob. min. 1) Teste experientia et inductione universali, in rerum natura nihil est frustra: potentia ut evolvatur in actum, virtus ut agat, etc; etiam infimae res non carent fine, sed habent terminum motus, explicationis et quietis; — 2) instinctus et inclinatio naturalis animalia non decipit; — *a.* fieri nequit ut natura inferioribus sollicite providerit, hominem vero ratione decipiat, in vanam spem futurorum inducat ac retineat, ac miserum tandem relinquat.

Prob. 2° Repugnat naturale desiderium satiari numquam posse; *a.* neque in hac vita neque in altera, posset homo sua propria activitate et industria ad perfectam illam cognitionem et beatitudinem pervenire, quam naturaliter desiderat; *e.* existit aliqua natura provida quae eum ad illam juvet et elevet.

Ad min. a) Beatitudo objectiva, seu objectum beatitudinis debet esse sta-

bile, continens omnia bona desiderabilia, aptum quod possideatur; — beatitudo subjectiva, seu possessio objecti debet esse perfecta, i. e. status stabilis, contemplatione altissima, suavissima, sine labore, amore indeclinabili, super omnia forti, quieto; — *a.* ad haec omnia sibi procuranda impar est homo: a) in hac vita (patet experientia), et b) in altera (nam status conjunctionis est naturalis; *e.* anima a corpore separata non est melioris conditionis); *e.*

(Cfr. *S. Thom.* Gent. l. 3. c. 38 sqq. — 1. p. q. 83. a. 1).

Objic. 1° Ex argumento dato sequeretur hominem vi naturae destinatum esse ad intuitivam Dei visionem; *a.* hoc falsum est; *e.* — *prob. maj.* Homo habet naturale desiderium videndi Deum (cfr. *S. Thom.* p. 1. q. 12. a. 1. — Gent. l. 3. c. 50, 57); *a.* ex argumento, desiderium naturale nequit esse inane; *e.* — *R. n. maj.* — *ad prob. maj: d. maj.* i. e. appetitus innatus non expletur nisi videat intuitive, *n;* i. e. naturae humanae consentaneum est, nec homo est adeo indifferens, ut non gaudeat elicite si sic elevetur, *c;* — *d. min.* desiderium vere naturale, quod modo habet vi naturae, *c;* quodcumque desiderium elicitedum, *n.*

Inst. Desiderium est vere naturale; nam a) quod est imperfectum in aliqua specie, naturaliter desiderat consequi perfectionem ejus; *a.* cognitio abstractiva est imperfecta cognitionis species; *e.*

b) Qui cognoscit effectum, naturaliter desiderat cognoscere causam, et qui cognoscit esse causam, naturaliter desiderat scire quid haec sit.

c) Natura intellectualis naturale desiderium habet expellendi omnem ignorantiam; *a.* sine visione intuitiva Dei, semper manet ignorantia et haec cognoscitur; *e.*

R. ad a) d. maj. si habet naturalem capacitatem ad talem perfectionem, *c;* secus, *n;* — *c. d. min.* imperfecta, sed quae explet totam capacitatem naturalem, nec locum linquit nisi desiderio libere elicito, *c;* secus, *n.*

ad b) d. antec. scire eo modo et gradu quo viribus naturae attingi potest, *c;* altiori modo, *n.* (de facto nunc appetimus ex revelatione et gratia).

ad c) d. maj. ignorantiam quae impediatur facultatem satiari, *c;* ulteriorem, *n.* — *c. d. min.*

Objic. 2° In hoc argumento intellectus aut supponitur ut ordinata sapienter facultas, aut non; *a.* si prius: supponitur jam Deus; — si posterius: nihil probatur; *e.* — *R. d. maj.* supponitur factum experientiae, quod scilicet ratio sit ratio et non stultitia, *c;* secus, *n;* — *d. min. 1 part.* supponitur ontologice ut causa efficiens et finalis cujus cognitio ex effectu acquiratur, *c;* supponitur logice, ut inde deducatur consequens, *n.*

Propositio 13.

Existentiā Dei, ut supremi legislatoris, judicis, vindicis, probatur ex lege naturali quae conscientiae voce innotescit.

Notiones. 1) *Lex* est rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo qui

curam habet communitatis promulgata. — Dividitur in aeternam, naturalem, positivam. *Aeterna* est ratio divinae sapientiae prout est directiva omnium actuum et motionum; *naturalis* est participatio legis aeternae in natura rationali; *positiva* est quae per voluntatem legislatoris, factum historicum contingens, fuit imposita.

2) *Conscientia* est actus quo mens applicat legem vel scientiam legis naturalis ad ea quae aguntur. — Lex est universalis; conscientia versatur in individuís actibus, quum iudicat quid agendum, et post factum accusat vel excusat.

3) *Obligatio* est necessitas moralis voluntati imposita, connexio ineluctabilis, a legislatore stabilita, inter finem ultimum attingendum et certum actum tanquam medium sine quo jam non possit attingi finis.

Stat. quaest. 1) Ante omnem cognitionem entis superioris et nostrae ab eo dependentiae non possumus sentire *obligationem* legis moralis naturalis; nam secus haberetur sensus per modum formae subjectivae sine fundamento objectivo, nec posset concludi existentia Dei. Sed non hic est argumenti propositi sensus.

2) Abstrahendo igitur a nostra cognitione et persuasione existentiae Dei, consideramus merum factum, existens teste cujusque experientia, legem naturalem mentibus nostris naturaliter, invincibiliter, primitive impressam, et concludimus ad ejus originem, existentiam Dei certam.

3) Non ergo supponimus legem naturalem, formaliter ut legem, nec formaliter ut obligatoriam, sed ut factum experimentale, humanae naturae invincibiliter insitum: conscientiae testimonium intimum.

Prob. Teste experientia, omnes homines constanter, invincibiliter, primitive, naturaliter: 1) ad aliquas actiones praestandas, alias vitandas, ita se teneri iudicant ut, si non obsequantur, legislatorem quemdam invisibilem offendant, et poenas a vindice iudice invisibili infligendas incurrant; — 2) si officio in re gravi defuerunt, conscientiae stimulis agitari se sentiunt; — 3) si, superatis difficultatibus, internae voci obsecundaverunt, interna animi pace et laetitia fruuntur atque expectatione melioris aevi et praemii roborantur; — *a.* ille legislator, iudex, remunerator, vindex non potest esse nisi Deus existens; *e.*

Ad maj. Illa iudicia sunt 1) *universalia, constantia*: lex illa a) tam alte animis nostris inhaeret, ut omnes nostros actus tacite moderetur, — b) omnes omnium aetatum, nationum, temporum, morum homines tam mira consensione et uniformitate tenet, ut vix in alia re quavis inveniantur magis similes, videanturque non hanc legem docti, sed primitus imbuti.

2) Sunt *invincibilia, primitiva*: lex illa tam intime animos nostros occupat, ut a) penitus deserere, abjici, etiam a volente non possit, sed excussa identidem usque recurat invito animo, — b) si quis eam excutiat, non melior ceteris fiat, sed plerumque deterior et contra dictamen sanae rationis agens, — c) non minus apud doctos quam apud barbaras gentes vel incultam plebeculam valeat.

3) Sunt *naturalia*: lex illa invincibiliter, primitive, universaliter, constanter menti humanae imposita, excuti nullo modo potest; *a.* quidquid non naturale est, i. e. ab ipsa natura inditum, potest saltem a docto, a volente, aliquo exercitio et educatione excuti; *e.*

Ad min. Ille legislator: 1) non est aliquid *extra nos, in mundo* (quod est evidens); — nec est *nostra ratio ipsa*, nam nulla esset ratio formidinis, anxietatis, curae placandi numinis offensi, interni cruciatus post crimen vel maxime reconditum, timoris aevi post mortem; — sed est *nobis superior, extra mundum*, nam cum conscientia obligationis habemus simul conscientiam nostrae dependentiae ab altiore potestate; nec post malam actionem agnoscimus quamcumque indecentiam contra nostram naturam et dignitatem, sed veram offensam timendi iudicis.

2) Est *absoluta reverentia dignus et absolute perfectus*, nam: quoties conscientiam obligationis habemus, non solum agnoscimus aliquod ens summum, summe reverendum propter seipsum; nec solum sentimus huic reverentiae nos defuturos, si officium neglexerimus; sed etiam sentimus nos debere, quibuscumque creaturis ad transgrediendum impellentibus, quocumque bono praesente posthabito, legi morali obsecundare; neque ab ulla re posse nos ab officio implendo absolvi; *e.* hanc legem esse absolutam.

Objic. 1° In propositione existentia Dei probatur ex timore; *a.* timor saepe est inanis; *e.* — *R. d. maj.* ex timore constanti, universali, naturali, *c.*; ex timore quocumque qui sit a causa accidentali et extranea vel praepudicio, *n.*; — *c. d. min.*

Objic. 2° Ille timor aut est rationalis, aut non; *a.* si non: nihil sequitur; si est: jam cognoscitur causa (supponitur, non probatur Deus); *e.* — *R. d. maj.* est aut rationalis, aut jam rationatus, aut neutrum, *c.*; secus, *n.*; — *d. min.* si est rationatus, supponitur Deus, *c.*; si rationalis, *sd.* causa est nota explicite, *n.*; est implicite nota et potest ratione inveniri explicite cognitio, *e.*

Objic. 3° Ut aliquid probetur deberet ista lex esse ex natura; *a.* non est; *e.* — *prob. min.* Quod est ex natura, requirit deponi, etiam a volente; *a.* haec potest, teste experientia; *e.* — *R. d. maj.* deberet esse nota essentialis animae, *n.*; esse ab auctore naturae huic superaddita, *c.*; — *c. d. min.* — *Ad prob. min.*: *d. maj.* quod est naturae constitutum, *c.*; quod superadditum, *sd.* nequit omnino tolli, *c.*; nequit practice negligi, *n.*; — *c. d. min.*

Propositio 14.

Existentia Dei ut fundamenti totius moralitatis et ordinis probatur ex utilitate in ordine physico et morali, quae provenit in genus humanum ex persuasionem existentiae divinae.

Prob. Ratio exigit, et omnium persuasio tenet, et experientia docet: veritatis objectivae cognitionem, ad vitae usum et societatis bonum et salutem esse utiliore et accommodatiore quam errorem; ac proinde e converso,

id quod ad vitae usum et societatis salutem multo est utilius et accommodatius, esse verum; *a.* atheismus est perniciosissimus, theismus utilissimus; *e.*

Ad maj. 1 part. (ratio exigit). Undecumque homo originem trahat, plane absurdum est: *a)* ut tum demum feliciter vivat quum vitam omnem ad errorem composuerit, — *b)* ut felicitas et salus generis humani cum errore connexa sit, — *c)* cum veritate infelicitas et perniciēs.

Ad 2 part. (omnium persuasio tenet). Propterea *a)* homines exculti tantopere student scientiæ rerum tum physicarum, tum metaphysicarum, tum moralium, *b)* homines etiam ignari et rudes tanti faciunt alios earum rerum peritos; quia censent scientiam istarum rerum ad bonum privatum ac publicum valde juvare.

Ad 3 part. (experientia docet). Uni alicui homini potest quidem error esse ad tempus utilis; sed societatis detrimenta et calamitates eo majora sunt: *a)* quo latius error serpit ac diffunditur apud plures, *b)* quo altiores agit radices in mentibus hominum, *c)* quo plura et majora habet consecutaria, *d)* quo plures homines ex eo vitam suam publice et privatim instituunt; — in veritate autem omnia sunt contraria.

Ad min. 1) Atheismus omnem sapientiam tollit, scientias impossibiles facit, nam sublata Dei existentia, nulla manet ultimarum nec genericarum rationum cognitio, scilicet: a) in ordine physico: explicari nequit rerum origo, legum harmonia et constantia (sublata causa efficiente, exemplari, finali);

b) in ordine logico: explicari nequit possibilitas intrinseca rerum, essentialium aeternitas et necessitas; veritatis immutabilitas (sublato fundamento);

c) in ordine ethico: explicari nequit honestatis lex naturalis; honesti et inhonesti discrimen intrinsecum (sublato legislatore); — imo haec consequenter ab atheis negantur;

d) in ordine historico: explicari nequit successio ordinata factorum, saepe neque ab hominum voluntate dependentium nec casu explicabilium (sublata providentia);

e) in ordine psychologico: explicari nequit naturale invincibile desiderium vitae futurae immortalis, beatitudinis in vero et bono perfecto possidendo; necessaria deficientia a beatitudine in hac praesenti vita; imo miseria major hominis quam brutorum ex ipsa ejus nobiliore intelligentia et voluntate orta (sublato iudice et remuneratore);

f) in ordine sociali: explicari nequit quo fundamento requiratur mutua fides, legum reverentia; in principe aequalis justitia; in subditis benevola obedientia; in omnibus amor patriae; cur non praestet fortioris voluntas, astutioris fraus et proditio (sublato ordinis fundamento).

2) Atheismus omnem ordinem moralem et socialem subruit, tollendo ejus fundamentum cujus loco nihil aliud reponendum habet (cfr. moral.).

QUAESTIO 2.

De argumentis invalidis.

Omnia hucusque adducta argumenta erant a posteriori (cfr. logic.); eaque singula probabant existentiam realem alicujus entis extramundani, sub singulis suis attributis. Demonstrabant igitur non quidem omnia Dei attributa, non explicite infinitatem, unitatem, simplicitatem, quae in sequentibus concludenda manent; sed neque nudam existentiam alicujus prorsus ignoti ostendebant. Scimus enim ex illis demonstrationibus, extra nostrum mundum existere *causam aliquam efficientem*, tum formatricem, tum *sapientissimam* ordinatricem, tum, *creatricem, ens absolute necessarium, immutabilem* motorem primum, *perfectissimum* eminenter possidens omnium rerum perfectiones, *fundamentum* absolutum omnis veritatis, *colendum numen, ipsam substantialem veritatem et bonitatem infinitam, summum legislatorem, judicem, vindicem, omnis moralitatis custodem et fundamentum.* Atque hinc jam paulatim apparet qualem nos conceptum Dei habeamus. Scilicet *vulgaris* alter varius est et imperfectus pro varietate demonstrationis qua quis ad agnoscendam Dei existentiam ducitur; alter vero *scientificus*, qualem ex attributorum collectione et analysi pedetentim nunc perficiemus.

Sed et alia occurrit solvenda quaestio prius quam Dei naturam scrutemur: utrum etiam a priori possit Dei existentia demonstrari.

Argumentum dari stricte a priori nemo adversarius contendit; nam hoc esset effectus ex causa, principiati ex principio; *a.* Deus non est effectus ullius causae, non est principiatus ab ullo principio. — Sed contendunt Cartesiani, Leibnitziani, Ontologistae, valere argumenta quasi a priori seu a simultaneo, ut saepe dicunt, i. e. ex analysi unius notae essentialis deducendo aliam essentialem connexam: existentiam. — Dicitur hoc genus argumentorum, *argumentum ontologicum*, quia ex essentia entis infiniti procedit.

Propositio 15.

Existentia Dei nullo argumento a priori ostendi potest.

Prob. 1° In praemissis argumenti a priori, verba: «ens infinitum» supponunt pro ente idealiter concepto; *a.* in conclusione fit transitus sophisticus ab ordine ideali ad ordinem realem; *e.*

Ad maj. Argumentum a priori fit ex analysi conceptus objectivi entis infiniti; *a.* iste conceptus objectivus exhibet ens infinitum conceptum ut tale, non vero existens ut tale; *e.*

Ad min. In conclusione sensus deberet esse: ens infinitum quod existit, necessario existit; seu ens quod de facto est infinitum, necessario est existens; *a.* iste in praemissis non implicitus est; *e.*

Prob. 2° In praemissis necessitas existendi invenitur hypothetica; *a.* in conclusione fit transitus sophisticus ad necessitatem absolutam; *e.*

Ad maj. Argumentum fit ab analysi entis infiniti; *a.* talis analysis non aliam necessitatem ostendere potest nisi necessitatem absolutam connexionis inter praedicatum et subjectum: *si quando* ens tale existat, i. e. necessitatem quae sub data hypothese foret absoluta.

Ad min. Conclusionis sensus deberet esse: ens infinitum cujus data est existentia, seu quod de facto existit, absoluta necessitate existit; *a.* hoc factum existentiae non erat in praemissis; *e.*

Prob. 3^o Quocumque modo proponitur argumentum a priori, peccat; nam:

a) Proponit S. Anselmus: Deus est ens quo majus excogitari nequit; *a.* majus est existere in intellectu et in re, quam in solo intellectu; *e.* Deus existit in re, non in solo intellectu. — *Sed R. d. maj.* pro ordine ideali (i. e. facta comparatione entium secundum esse objectivum quod habent in intellectu), *c;* pro ordine reali (i. e. secundum esse physicum in re), *sd.* si tale quid existit, *c;* si de hoc nondum constat, *n. donec prob.* — *c. min.* — *d. par. cons.* (seu *n. cons.* in sensu adversarii).

b) Proponit Scotus. Deus seu ens infinitum, est intrinsece possibile; *a.* ens infinitum, a se, realiter existit vi ipsius possibilitatis suae; *e.* — *Prob. min.* Possibilitas intrinseca rei habetur vi ipsius essentiae hujus rei; seu in tantum aliqua res est intrinsece possibilis, in quantum habet hanc suam essentiam; *a.* essentia entis infiniti seu a se, est existere actu; *e.* — *Sed R. d. maj.* in ordine ideali, *c;* in ordine reali, *sd.* si existit ejus ratio sufficiens, i. e. ipsa ejus essentia, *c;* secus, *n.* — *d. pariter min. et conseq.* — *Ad prob. min: d. maj.* possibilitas inadaequata, et in ordine ideali, *c;* adaequata et in ordine reali, *n;* — *d. min.* essentia idealis... est concipi ut actu existens in ordine ideali, et essentia actualis si qua talis existit, est existere actu in ordine reali, *c;* secus, *n.*

c) Proponit Cartesius: Deus est ens necessario continens in se omnes perfectiones simplices posibles; *a.* existere est perfectio simplex; *e.* Deus existit. — *Sed R. d. maj.* si existit, *c;* secus, *sd.* continet idealiter (i. e. tanquam constitutiva notionalia essentiae), *c;* realiter, *n;* — *c. min.* — *d. par. cons.*

d) Proponit Leibnitz: Si Deus non existit, sequuntur intrinsece contradictoria; *e.* Deus existit. — *Prob. ant.* Ens infinitum esset simul possibile (quia nulla repugnantia in ejus notis), et simul impossibile (quia si non existit, jam non potest incipere existere ut ens infinitum et a se). — *Sed R. n. ant.* — *ad prob: d. 1^m part.* est possibile possibilitate intrinseca sed inadaequata, *c;* et adaequata, *n.* (adest quidem sociabilitas notarum idealis, *c;* adest etiam ratio sufficiens actualitatis earum, *n.*) — *d. 2^m part.* esset impossibile impossibilitate adaequata ideali, *n;* impossibilitate inadaequata: ex defectu rationis sufficientis ejus existentiae realis (scilicet ex defectu ejus actualitatis), *c.*

e) Proponit Rothenflue: Deus, ens realissimum, est evidenter immunis ab omni contradictione in suis notis constitutivis; *a.* non est immunis a

contradictione in suis notis constitutivis, si non actu existat; *e.* — *Prob. min.* Actualis existentia a se, est vera realitas; *a.* si ens realissimum ea caret, est simul ens realissimum seu continens omnes realitates (ex hypothese), et non realissimum (quia unam saltem realitatem, actualem existentiam a se, non haberet); *e.* — *sed R. c. maj.* — *d. min.* si conciperetur ut non actu existens, i. e. si in ejus conceptu non includeretur conceptus existentis, *c;* si non esset actu existens, *sd.* jam non esset immunis a contradictione ejus conceptus idealis, *n;* ejus existens essentia, *c.* — *ad prob. min: d. maj.* est realitas concepta si concipitur, existens si existit, *c;* secus, *n.* — *d. min.* si ea ut concepta caret dum ipsum concipitur, *c;* si ea ut existente caret dum ipsum concipitur, *n.*

Objic. Fit quidem transitus ab ordine ideali ad ordinem realem, si supponitur idea nostra infiniti esse idea psychologica aliunde hausta, factitia), non vero si cum Ontologistis supponitur esse idea objectiva infiniti ipsum ens infinitum nostrae menti immediate apparens. — *R. c. totum sed n. supp.* (dari probationem, ubi supponitur ut immediate cognitum et evidens id quod est probandum); et *n. aliud supp.* (dari hanc immediatam intuitionem): *cf.* logic. et psychol.

Schol. 1^m Afferuntur interdum et alia argumenta a posteriori, sed inefficacia; *v. c:*

1) Realitas objectiva cujuslibet ex nostris ideis requirit causam, in qua eadem ipsa realitas non tantum objective, sed formaliter vel eminenter contineatur; *a.* habemus ideam Dei; *e.* — *Sed R. d. maj.* ex nostris ideis immediatis et propriis, *c;* mediatis et analogis, *n;* — *c. d. min.* habemus ideam propriam et immediatam Dei, *n;* mediatam et analogam, *e.* (*cf.* logic. et psycholog.).

2) Habemus ideam claram et distinctam Dei; *a.* quidquid est in idea clara et distincta est certo verum; *e.* — *sed R. tr. maj;* — *n. min. et supp. ejus* (*cf.* logic.).

3) Habemus conceptum veritatis, bonitatis, justitiae absolutae, et conceptum veritatis... relativae, quae pro suo accessu ad veritatem... absolutam, vel pro suo recessu ab ea, fiat major et minor; *a.* repugnat aliquid fieri majus vel minus pro suo accessu ad nihil, vel pro suo recessu a nihilo; *e.* haec veritas... absoluta (infinita) non est nihil sed vere existit. — *Sed R. a)* hoc argumentum si valeret, probaret etiam existentiam molis illimitatae. — *R. b) c. maj.* — *d. min.* nihil reale, et nihil ideale, *c;* nihil realiter quidem existens, sed aliquid idealiter conceptum ut exemplar perfectionis, *n;* — *d. par. conseq.*

Schol. 2^m Ad alteram ergo quaestionem: utrum possit probari cum certitudine existentia Dei; contra Traditionalistas respondemus: posse, et quidem multiplici argumento a posteriori (*cf.* supra), non tamen ullo a priori; neque ullo jure methodice praemittenda exigeretur haec quasi praevia disputatio.

QUAESTIO 3.

De nostra cognitione Dei.

De nostra cognitione tria remanent addenda. Contra Ontologistas quidem una propositione stabiliemus, iudicium : *Deum existere*, non esse nobis immediate evidens, sed argumentis probandum. Altera contra eosdem propositione ostendemus conceptum quem de Dei *Essentia* habemus, non esse intuitivum et immediatum. Sed addemus statim tertia propositione, non ita esse mediatam et obscuram cognitionem, ut permanenter in hujus cognitionis carentia et Dei ignorantia vivere possit homo.

Propositio 16.

Deum existere, quamvis sit immediate evidens quoad se, non tamen est immediate evidens quoad nos.

Stat. quaest. Quaeritur utrum existentia Dei probari debeat, an vero sit immediate evidens sicut prima principia rationis quae non possunt cogitari falsa esse (cfr. S. Thom. de verit. q. 10. a. 12. — Gent. 1. 1. c. 10 et 11. — Summ. 1. p. q. 2. a. 1.).

Notiones. *Immediate evidens quoad se* est propositio analytica, i. e. cujus praedicatum immediatam et necessariam connexionem cum subjecto notis propriis conceptu habet (cfr. logic.).

Immediate evidens quoad nos : ubi apparet immediata et necessaria connectio cum subjecto ita conceptu sicut nos concipimus, seu relate ad nostram facultatem cognoscendi.

Prob. 1^a pars (*est... quoad se*). Ut aliquid sit immediate evidens quoad se, nihil requiritur nisi ut praedicatum sit de ratione subjecti; *a.* actualis existentia est de essentia Dei; *e.*

Ad maj. Hoc posito, subjectum cogitari nequit quidditative quin appareat praedicatum inesse.

Ad min. Deus est ens a se, ens per essentiam, est ipsum suum existere (cfr. ontolog.).

Prob. 2^a pars (*non est... quoad nos*). 1^o Propositio immediate evidens quoad nos, est illa cujus terminos ita possumus apprehendere, ut ex ipsa eorum comparatione, nullo adhibito medio termino, percipiamus identitatem vel diversitatem eorum objectivam; *a.* texte experientia, a) quamdiu in hac vita versamur, Deum non ita apprehendimus ut ex ipsa apprehensione percipiamus necessario ejus existentiam; b) imo et negare et dubitare possumus; *e.*

Prob. 2^o Deum existere non est nobis immediate evidens si Dei conceptum non proprium et positivum, sed alienum ex rebus creatis et negativum habemus; *a.* ita est; *e.*

Ad maj. 1) Eo ipso quod conceptum *non positivum* essentiae habeamus,

multa possunt de ea essentia esse, nobis tamen non innotescere; *e.* etiam connectio necessaria essentiae et existentiae metaphysica.

2) Eo ipso quod conceptum *ex creaturis haustum* habeamus, ubi non necessaria connectio sed potius distinctio saltem metaphysica inter essentiam et existentiam, non poterimus ex una alteram concludere immediate; *nam* noster conceptus naturam retinet elementorum e quibus componitur.

Ad min. Attente reflectentes in notionem Dei *quam solam*, teste experientia, habemus, invenimus :

1) *Elementa hujus ideae* : a) unum quasi materiale et determinabile : aggregatum perfectionum simplicium; quod de se est indifferens ad repraesentandum Deum vel aliquam creaturam;

b) unum quasi formale et determinans : negationem limitum in his perfectionibus; quod de se excludit creaturam et solum Deum repraesentat;

c) unum quasi complens et expoliens conceptum : explicitam distinctionem analogicae perfectionis hujus Divinae simplicis et unice, a proprie conceptis perfectionibus creaturarum; quod evolvit magis scientificè notionem Dei;

2) *Modum efformandae hujus ideae* : a) via collectionis omnium perfectionum simplicium,

b) via negationis omnis limitis et imperfectionis,

c) via analogiae et eminentiae supra omnem nobis proprio conceptu apprehensibilem perfectionem;

atqui conceptus qui his elementis constat et his modis efformatur, non proprius et positivus (i. e. quidditativus) est, sed alienus, et partim saltem negativus; *e.*

Objic. 1^o Absurda est distinctio inter immediate evidens quoad se, et quoad nos; — *nam* : qui dicit existentiam Dei esse evidentem quoad se, non quoad nos, aut scit quod affirmat, aut nescit; *a.* si scit, jam est evidens nobis; si nescit, imprudenter affirmat; *e.* — R. *n. assert.* — *ad prob* : *c. maj.* — *d. 1^m part. min.* si scit immediate ex ipsa idea Dei, *c*; si mediantibus rationibus, *n* — *c. 2^m part. min.*

Objic. 2^o Quod est omnibus naturaliter notum, est evidens immediate (sicut prima principia); *a.* Deum existere est omnibus naturaliter notum; *e.* — R. *n. maj.* (potest esse mediante facili et obvio ratiocinio evidens).

Objic. 3^o Immediate evidens est Deum esse colendum; *e.* etiam Deum existere. — R. *d. ant.* Deum si existat fore colendum, *c*; secus, *n.*

Objic. 4^o Sicut omnes naturaliter sine deliberatione appetimus beatitudinem, ita naturaliter sine discursu cognoscimus, esse possibile et existens, id cujus possessione beati simus; *a.* hoc a parte rei est solus Deus; *e.* — R. *c. maj.* — *d. min.* hoc est et cognoscitur esse Deus, *n*; hoc est, sed ignoratur esse Deus, donec discursive agnoscatur, *c.*

Objic. 5^o Haec propositio : « ens imperfectissimum, seu carens omni perfectione, non existit » est immediate evidens quoad nos; *a.* contrariorum est eadem ratio; *e.* a pari etiam haec « ens perfectissimum, seu carens omni

imperfectione, existit» est quoad nos immediate evidens. — R. *c. maj.* — *c. min.* — *d. cons.* in ordine ideali, *c*; in ordine existentiae, *n*; et *n. par.* (a non posse ad non esse valet, a posse ad esse non valet illatio).

Objic. 6° Nemo potest cogitare hominem non esse hominem; *a.* Deus est ipsum esse; *e.* — R. *d. maj.* conceptum hominis non esse conceptum hominis, vel etiam hominem si existat non esse existentem, *c*; conceptum hominis non verificari in ordine existentiae, *n.* — *d. min.* est ipsum esse in ordine conceptuum, *c*; in ordine existentiae, *sd.* Deus si existit, *c*; secus, *n*; et *d. pariter cons.*

Objic. 7° Aliqua veritas creata adeo evidens est ut non possit cogitari non esse, v. c. prima principia; *a.* prima veritas excedit omnem veritatem creatam; *e.* multo minus cogitari potest non esse. — R. *tr. maj.* — *d. min.* excedit quoad se, *c*; quoad nos, *n.* — *d. pariter cons.* ab illo qui eam adaequate conciperet, *c*; a nobis illam imperfecte concipientibus, *n.*

Propositio 17.

In hac vita non habemus continuam necessariamque intuitionem immediatam Dei.

Stat. quaest. In propositione praecedente contra ontologistas agebatur de iudicio nostro circa existentiam Dei; — nunc contra eosdem de ipsa notione Dei, seu simplici apprehensione nobis naturaliter proportionata circa Deum.

Prob. 1° Si Deum immediate intueremur, et alia ex eo, a) haberemus cognitionem Dei perfectam, b) et conceptum proprium et positivum, c) essemus perfecte beati, d) nec circa Dei existentiam, nec generatim circa divina possemus errare; *a.* nihil horum obtinet; *e.*

Prob. maj. Secundum ontologistas Deus est objectum intellectus nostri per se positive primum, est ipsum ejus lumen, fundamentum et principium totius nostrae cognitionis intellectualis (confundunt nempe notionem entis ut sic, communissimam et indeterminatissimam, cum notione entis absoluti, necessarii, singularis, determinatissima); — *a.* a) hoc objectum deberet omnium maxime esse proportionatum intellectui, et proinde omnium clarissime intelligi;

b) analogus et negativus potest solus ille conceptus esse qui ex conceptibus propriis aliarum prius cognitarum rerum efficitur;

c) quum in Deo sit simplicissima unitas, cognosceremus eum secundum totam essentiam, ac proinde ut perfectam veritatem et bonitatem plene satiativam nostri intellectus et voluntatis, seu ut objectum beatitudinis;

d) quae prima sunt in cognitione, debent esse omnium certissima; — *e.*

Prob. 2° Secundum doctrinam adversariorum, omnis intellectus deberet habere idem objectum proprium et essentialiter proportionatum; *a.* hoc repugnat; *e.*

Ad maj. Si intuemur Deum, et sumus infimi in intelligentibus, omnes etiam alii (angeli) intuentur idem; nec quod alii clarius vident, est differentia essentialis, sed per majus et minus; *e.*

Prob. min. 1) Omnis natura essentialiter toto genere superior, debet habere modum agendi et cognoscendi proprium, aliis superiorem; *a.* Deus nobis omni respectu essentialiter toto genere est superior; *e.*

2) Ut objectum sit proprium et proportionatum, virtus intellectiva debet tantum, quantum ipsum objectum, esse remota a materia et potentialitate; *a.* sunt quatuor tales gradus :

α'	: sensus — — — — —	sensibilia.
β'	: intellectus in corpore — — —	intelligibilia in sensibili.
γ'	: intellectus separatus — — —	immaterialia.
δ'	: Deus — — — — —	Divina.

(cfr. psycholog.); *e.*

Prob. 3° Ex doctrina adversariorum sequitur pantheismus absurdus; *e.*

Ad ant. Docent Deum esse substratum intelligibile totius cognitionis, omnes conceptiones esse intuitiones partiales Dei, universalialia a parte rei non distingui a Deo; *a.* quod concipimus affirmamus per identitatem de rebus finitis; *e.*

Objic. 1° Primum cognitum ex quo reliqua cognoscimus est ratio entis; *a.* haec est valde obscura et difficilis; *e.* a pari Deus quem ut objectum primum cognoscimus potest esse obscure cognitus. — R. *d. maj.* cognitum ex quo, *n*; primum inchoatae cognitionis, *sd.* est ratio entis in re materiali accepta, *c*; secus, *n.* — *d. min.* ut objectum cognitionis reflexae, *c*; directae, inchoatae, *n.*

Objic. 2° Potest cognosci unum attributum Dei sine aliis; *e.* potest cognosci Deus ut exemplar rerum finitarum, non cognita ejus essentia. — R. *d. ant.* per abstractionem, *c*; per intuitionem, *n.*

Objic. 3° Angelus superior habet naturam essentialiter superiorem et magis immaterialem, quam inferior; *a.* potest tamen superior ab inferiore videri; *e.* non valet 2^m argumentum. — R. *d. maj.* differt toto genere, *n*; specie, *e.* — *c. min.*

Objic. 4° Si intellectus divinus, angelicus, humanus, ex eo quod essentialiter differunt habent objectum formale proprium, etiam intellectus angelorum specie differentium deberent habere; *a.* non habent; *e.* — R. a) *d. maj.* essentialiter i. e. specificae, *tr*; i. e. generice, *n.* — R. b) *tr. maj.* — *n. min.* (substantiam suam propriam habent ut objectum proprium).

Objic. 5° Intellectus creatus, etiam glorificatus, manet potentialis; *e.* Deum videre non posset? — R. *d. ant.* et Deus est agens principalis, anima autem instrumentalis per potentiam obediencialem activam, *c*; secus, *n.* (cfr. ontolog.).

Objic. 6° Argumentum reducitur ad hoc : «Deus est summe intelligibilis, ergo videri nequit!» nec dici potest summa luce corrumpi intellectum, sicut

luce corporea sensum; *e* — R. n. *supp.* (ut objectum a nobis intelligatur primo, non sufficit intelligibilitas quaecumque, etiam summa, quoad se; sed requiritur intelligibilitas proportionata quoad nos, i. e. ut objectum in modo essendi non essentia tota nostrum intellectum superet).

Propositio 18.

Quamquam non repugnat dari atheos practicos, vel positivos, repugnat tamen dari atheos negativos.

Notiones. *Athei* sunt qui Deum non cognoscunt; et sunt :

- | | | |
|------------|-----|--|
| practici | — — | qui licet intellectu Deum nec ignorent nec negent interius, ita tamen vivunt et externe loquuntur, ac si Deus nullus esset. |
| theoretici | — — | qui intellectu Deum non agnoscunt. |
| positivi | — — | qui notionem Dei consecuti, eum existere negant, idque non verbis tantum et fide (sicut practici), sed serio et ex animo, per aliquod saltem tempus. |
| | { | dubitantes : qui dubitando negant. |
| | { | opinantes : qui opinantur Deum non existere. |
| | { | dogmatici : qui ut certum dogma docent Deum non existere. |
| negativi | — — | qui etsi adulti et rationis usum adepti, absoluta tamen Dei ignoratione teneantur. |
| | { | vincibiliter ad breve tempus. |
| | { | invincibiliter et per longum tempus. |

Stat. quaest. 1) De atheis positivis dogmaticis probamus in 2^a parte, quia si possunt esse dogmatici, a fortiori possunt esse opinantes et sceptici seu dubitantes.

2) Ignorantiam facile vincibilem et ad breve tempus, existere posse, nulli videtur dubium, nec probandum hic assumitur; — invincibilem et ad breve tempus esse posse aliqui affirmant, communius negant auctores (cfr. S. Thom. 1. 2. q. 89. ad 6.) neque hic disputamus; — sed moraliter invincibilem per longum tempus in 3^a parte negamus.

Prob. 1^a pars (*practicos*). Atheismus practicus unice a voluntate libera pendet; *e*.

Prob. 2^a pars (*positivos*). Serio et ex animo negari, per aliquod tempus saltem, potest veritas quae 1) non est immediate quoad nos evidens, 2) multum a sensibus remota est, 3) multis fallaciis obscurari potest; *a*. talis est existentia Dei; *e*.

Ad maj. In tali re potest voluntas a veritatis rationibus avertere intellectum, et ad fallacias oppositas convertere, ita ut has potius, illas vix considerans, in erroneum iudicium serium abducatur.

Prob. 3^a pars (*negativos*). 1^o Nequeunt esse athei negativi si Deus facillime, natura duce, cognoscitur; *a*. ita est; *e*.

Ad min. v. g. ex mundi existentia et ordine, ex conscientia, ex auctoritate virorum gravium (cfr. supra).

Prob. 2^o Deus sapiens et providus debuit providere ut homo omni tempore ac naturaliter possit tendere in finem suum ultimum qui est Deus; *a*. ad hoc requiritur facilis Dei cognitio; *e*.

Ad min. Sicut animalibus Deus providit instinctu, sic hominibus providere debuit naturali cognitione, quae quasi sua sponte nascatur in animis.

Ad min. Non dicimus requiri ut primo rationis usus instanti aliqua cognitio Dei praesto sit; sed requiri et sufficere ut tempore opportuno occurrat talis cognitio, natura duce.

Coroll. 1^o Ergo a fortiori dari nequit ignorantia Dei *invincibilis positiva*, i. e. positivis rationibus nixa, nam : a) semper fortiores rationes oppositae aderunt pro veritate, b) nec poterit eas non invenire mens satis acuta quae rationes etiam minores negandi invenire potuerit.

Coroll. 2^m Ergo etiam puer a parentibus atheis institutus, potest v. e. ex creato mundo, ex conscientiae voce, Deum aliquomodo cognoscere.

Coroll. 3^m Ergo atheismus, diuturnior saltem, non potest sine culpa esse, nam cognoscitur naturaliter obligatio honeste vivendi; ergo etiam obligatio inquirendi honestatis normam et fontem.

Coroll. 4^m Ergo admitti facile nequit peccatum mere philosophicum grave (cfr. *Less.* perf. div. l. 13. c. 26. — *De Lugo* de Incarn. disp. 5. sect. 5); i. e. actus humanus, rationali naturae seu morali ordini graviter adversans, quin illo modo cogitetur de Deo, vel offensa Dei agnoscat.

CAPUT II.

DE ESSENTIA DEI.

Ex praecedentibus hucusque disputatis, conceptum divinae essentiae vulgarem quidem, nondum scientificum haurire potuimus; eum tamen minime obscurum aut qui non sufficeret, ex variis Dei attributis collatis componere licuit. At nunc scientificum et, quantum humanis viribus fieri possit, ipsi objecto adaequatum conceptum nobis formare conantes, Divinam Essentiam contemplabimur, atque ita quaestionum seriem omnem disponemus ut ad pauca capita rerum omnia Dei attributa reducantur; quare hanc teneamus distributionem :

Quaestio 1. De admirabili simplicitate Dei.

Quaestio 2. De omnimoda infinitate Dei.

Quaestio 3. De ultimo constitutivo divinae Essentiae.

luce corporea sensum; *e* — R. n. *supp.* (ut objectum a nobis intelligatur primo, non sufficit intelligibilitas quaecumque, etiam summa, quoad se; sed requiritur intelligibilitas proportionata quoad nos, i. e. ut objectum in modo essendi non essentia tota nostrum intellectum superet).

Propositio 18.

Quamquam non repugnat dari atheos practicos, vel positivos, repugnat tamen dari atheos negativos.

Notiones. *Athei* sunt qui Deum non cognoscunt; et sunt :

- | | | |
|------------|-----|--|
| practici | — — | qui licet intellectu Deum nec ignorent nec negent interius, ita tamen vivunt et externe loquuntur, ac si Deus nullus esset. |
| theoretici | — — | qui intellectu Deum non agnoscunt. |
| positivi | — — | qui notionem Dei consecuti, eum existere negant, idque non verbis tantum et fide (sicut practici), sed serio et ex animo, per aliquod saltem tempus. |
| | { | dubitantes : qui dubitando negant. |
| | { | opinantes : qui opinantur Deum non existere. |
| | { | dogmatici : qui ut certum dogma docent Deum non existere. |
| negativi | — — | qui etsi adulti et rationis usum adepti, absoluta tamen Dei ignoratione teneantur. |

{ vincibiliter ad breve tempus.

{ invincibiliter et per longum tempus.

Stat. quaest. 1) De atheis positivis dogmaticis probamus in 2^a parte, quia si possunt esse dogmatici, a fortiori possunt esse opinantes et sceptici seu dubitantes.

2) Ignorantiam facile vincibilem et ad breve tempus, existere posse, nulli videtur dubium, nec probandum hic assumitur; — invincibilem et ad breve tempus esse posse aliqui affirmant, communius negant auctores (cfr. S. Thom. 1. 2. q. 89. ad 6.) neque hic disputamus; — sed moraliter invincibilem per longum tempus in 3^a parte negamus.

Prob. 1^a pars (*practicos*). Atheismus practicus unice a voluntate libera pendet; *e*.

Prob. 2^a pars (*positivos*). Serio et ex animo negari, per aliquod tempus saltem, potest veritas quae 1) non est immediate quoad nos evidens, 2) multum a sensibus remota est, 3) multis fallaciis obscurari potest; *a*. talis est existentia Dei; *e*.

Ad maj. In tali re potest voluntas a veritatis rationibus avertere intellectum, et ad fallacias oppositas convertere, ita ut has potius, illas vix considerans, in erroneum iudicium serium abducatur.

Prob. 3^a pars (*negativos*). 1^o Nequeunt esse athei negativi si Deus facillime, natura duce, cognoscitur; *a*. ita est; *e*.

Ad min. v. g. ex mundi existentia et ordine, ex conscientia, ex auctoritate virorum gravium (cfr. supra).

Prob. 2^o Deus sapiens et providus debuit providere ut homo omni tempore ac naturaliter possit tendere in finem suum ultimum qui est Deus; *a*. ad hoc requiritur facilis Dei cognitio; *e*.

Ad min. Sicut animalibus Deus providit instinctu, sic hominibus providere debuit naturali cognitione, quae quasi sua sponte nascatur in animis.

Ad min. Non dicimus requiri ut primo rationis usus instanti aliqua cognitio Dei praesto sit; sed requiri et sufficere ut tempore opportuno occurrat talis cognitio, natura duce.

Coroll. 1^o Ergo a fortiori dari nequit ignorantia Dei *invincibilis positiva*, i. e. positivis rationibus nixa, nam : a) semper fortiores rationes oppositae aderunt pro veritate, b) nec poterit eas non invenire mens satis acuta quae rationes etiam minores negandi invenire potuerit.

Coroll. 2^m Ergo etiam puer a parentibus atheis institutus, potest v. e. ex creato mundo, ex conscientiae voce, Deum aliquomodo cognoscere.

Coroll. 3^m Ergo atheismus, diuturnior saltem, non potest sine culpa esse, nam cognoscitur naturaliter obligatio honeste vivendi; ergo etiam obligatio inquirendi honestatis normam et fontem.

Coroll. 4^m Ergo admitti facile nequit peccatum mere philosophicum grave (cfr. *Less.* perf. div. l. 13. c. 26. — *De Lugo* de Incarn. disp. 5. sect. 5); i. e. actus humanus, rationali naturae seu morali ordini graviter adversans, quin illo modo cogitetur de Deo, vel offensa Dei agnoscat.

CAPUT II.

DE ESSENTIA DEI.

Ex praecedentibus hucusque disputatis, conceptum divinae essentiae vulgarem quidem, nondum scientificum haurire potuimus; eum tamen minime obscurum aut qui non sufficeret, ex variis Dei attributis collatis componere licuit. At nunc scientificum et, quantum humanis viribus fieri possit, ipsi objecto adaequatum conceptum nobis formare conantes, Divinam Essentiam contemplabimur, atque ita quaestionum seriem omnem disponemus ut ad pauca capita rerum omnia Dei attributa reducantur; quare hanc teneamus distributionem :

Quaestio 1. De admirabili simplicitate Dei.

Quaestio 2. De omnimoda infinitate Dei.

Quaestio 3. De ultimo constitutivo divinae Essentiae.

QUAESTIO 1.

De admirabili simplicitate Dei.

Stupendam plane mirabimur Divinae Essentiae simplicitatem, si analytice procedentes, ex notis ignota deducentes, eos omnes conceptus nostros cum illa essentia comparabimus, per quos in aliis omnibus essentiis compositiones invenimus ex partibus sive physice distinctis, sive per distinctionem rationis metaphysice distinctis. Nulla enim omnino, nec physica nec metaphysica distinctio componentium intrinseca in Deo reperiri potest; vel si quam nostro modo cogitandi concipimus, haec ex nostra imperfectione orta, analogice repraesentata, scientificè corrigenda est. Quae omnia jam per partes singulas ostendenda nunc instant.

Propositio 19.

In Deo nulla est compositio ex potentia et actu.

Stat. quaest. 1) Ex probationibus existentiae Dei, constat jam Deum esse ens a se (non effective, sed formaliter a se; cfr. ontolog.), causa primam omnium rerum, ens necessarium, ens perfectissimum, fundamentum ultimum possibilitatis intrinsecae rerum, et veritatis omnis ac bonitatis. Quaeritur jam quatenam sit natura intima talis entis.

2) Respondemus haec et sequentibus propositionibus. Et primo quidem fundamentum ponimus evidens et certissimum, in quo reliqua omnia nitentur; negamus scilicet in Deo ullam potentialitatem inveniri objective, quocumque tandem modo nobis subjective excogitabilis aliqua sit.

3) Recolenda omnino sunt, quae in ontologia sunt explicata, et hic perpetuo applicantur.

Prob. Deus est ens absolute necessarium; *a.* ens absolute necessarium est actu quidquid esse intrinsece potest, et omnem potentialitatem excludit; *e.*

Ad maj. Absolute necessarium est ens quod vi propriae essentiae non solum potest existere, seu non intrinsece repugnat existere, sed absolute intrinsece repugnat non existere, ita ut conceptus Dei non existentis non minus intrinsece repugnet quam conceptus circuli quadrati; *a.* ex probationibus existentiae Dei, simul apparuit Deum existere tanquam ens a se, absolute necessario, per oppositionem ad res contingentes, mutabiles, etc; *e.*

Ad min. Absoluta illa necessitas intrinseca existendi, nequit esse necessitas vaga abstracta existentiae qualiscumque, sed debet esse determinata necessitas existentiae alicujus concretae et ultimo determinatae; *e.* debet esse necessitas aequae absoluta et determinata alicujus essentiae ultimo determinatae et concretae (nam sine tali essentia nequit esse existentia absolute ultimo determinata); *a.* essentia absolute et intrinsece necessario ultimo

determinata, non potest esse in potentia (sive subjectiva physica, sive objectiva metaphysica) ad aliam perfectionem vel imperfectionem, praeter eas quae de facto insunt (nam quod est in potentia est indeterminatum et indifferens ad actum); *e.*

N. B. Valet hoc argumentum, sive admittatur sive rejiciatur generatim pro entibus quibuscumque distinctio realis physica inter essentiam et existentiam: illud applicet quisque pro suo conceptu.

Coroll. Ergo Deus est ens absolutum, quod a nulla alia re, in nullo genere causae dependet, nam:

- 1) *ut prima causa* in se subsistens, non dependet a *causa materiali* aliqua;
- 2) *ut actus purus*, i. e. nullam potentialitatem habens, non pendet a *causa formali*;
- 3) *ut vi essentiae existens*, i. e. ens necessarium, non pendet a *causa efficiente*;
- 4) *ut perfectissimus* nequit ad aliud referri ut ad *causam finalem*;
- 5) *ut sibi sufficiens*, i. e. ens a se, fundamentum reliquorum, non pendet a *causa exemplari*.

Propositio 20.

In Deo nulla est compositio ex partibus integrantibus.

Prob. 1^o Omne compositum ex partibus integrantibus (entitativis, quantitativis) est divisibile in infinitum, partes autem sunt de se in potentia ad suam mutuam unionem vel divisionem; *a.* compositum ex talibus partibus est quoad omnes suas partes, et proin quoad se totum, essentialiter in potentia, neque esse potest actus purus; quod de Deo repugnat; *e.*

Prob. 2^o Si talis esset compositio in Deo: 1) aut omnes partes essent a se et necessariae, 2) aut nullae, 3) aut aliae essent, aliae non a se; *a.* haec omnia repugnant in Deo; *e.*

Prob. min. 1) *Si omnes*, a) essent tot entia necessaria, immutabilia, sine potentialitate; b) quae omnes partes vi essentiae essent perfectissimae, sed simul essent imperfectae ex eo quod nulla alias formaliter nec eminenter contineret.

2) *Si nullae*, totus Deus esset contingens et ab alio.

3) *Si aliae, non aliae*, partes necessariae perficerentur a contingentibus; et Deus fieret contingens.

Propositio 21.

In Deo nulla est compositio ex materia et forma.

Stat. quaest. De *materia corporali* jam implicite probatum est, ubi negata est compositio ex partibus integrantibus. — Sed aliqui olim angelis aliquam dixerunt materiam spirituales competere, i. e. partem determinabilem, a forma determinandam. — De tali materia quaeritur circa Deum.

Prob. 1° Deus est ens necessarium et actus purus; *a.* omne compositum ex materia et forma est potentiale secundum utramque partem essentiali; *e.*

Prob. 2° Forma illa aut esset in suo esse dependens a tali materia, aut non; *a.* si est : est imperfectior quam nostra anima; — si non : ex se sola erit ens per essentiam, ac proinde ipsa sola totus Deus, neque jam erit actus materiae quae sit se sola potentialis; *e.*

Propositio 22.

In Deo nulla est compositio ex natura et individuatione.

Stat. quaest. 1) In creaturis disputatur sitne *compositio physica* an metaphysica tantum inter naturam universalem, specificam, et individuationem hujus naturae; dari *metaphysicam*, saltem in corporalibus, omnes concedunt. — Quaeritur jam utrum aliqua in Deo talis compositio sit, et respondemus nullam omnino, ne rationis quidem (ratiocinatae) inveniri; ac proinde a fortiori nulla physica erit.

2) Sensus ergo est : naturam divinam nullo modo esse universalem, communicabilem pluribus individuis; seu : VI PROPRII CONCEPTUS intrinsece repugnare ut sint plures dii, sed esse Deum PLANE UNICUM ET SINGULAREM.

Prob. 1° Deus est ens necessarium, i. e. ex intrinseca naturae necessitate existens; *a.* nulla dari potest necessitas existentiae nisi rei omnino determinatae, singularis; *e.*

Prob. min. Si determinatio ultima individuans non esset jam de ipsa essentia necessaria, esset complementum certe necessarium ad existentiam hujus essentiae; *a.* ita ipsa essentia non esset necessario existens, sed hypothetice existens : nempe si addatur individuatō; *e.*

N. B. Valet hoc argumentum, sive admittatur, sive nobiscum rejiciatur distinctio realis inter naturam et individuationem; nam excludere volumus in Deo omnem omnino compositionem ex natura et individuatione, etiam metaphysicam.

Prob. 2° Deus est actus purus; *a.* si essent possibiles plures Dii, singuli carerent saltem perfectione alios individuante, et essent in potentia (intrinseca, objectiva) ad illam; *e.*

Ad min. Si essent plures, plurificarentur certe per aliquam notam distinctivam, quae nota aut est positiva perfectio aliqua, aut negatio aliqua perfectionis; *a.* illa perfectio deberet esse perfectio simplex, ac proinde cum aliis consociabilis; *e.* qui ea carerent essent in potentia ad illam.

Prob. 3° Si plures essent Dii, aut singuli containerent rationem sufficientem possibilitatis tum internae, tum externae, et existentiae omnium contingentium, aut non; *a.* neutrum dici potest; *e.*

Ad min. 1) *Si continent* : sequuntur absurda, conflictus voluntatum, jurium, actionum... — 2) *si non continent* : non sunt actus puri, nec Dii.

Schol. 1^m Aliud saepe affertur argumentum unitatis Dei ex unitate sa-

pietissimi ordinis universalis totius mundi, quae unitatem creatoris arguit. — Sed R. Arguit unitatem creatoris hujus mundi; sed non arguit 1) non existentiam ullius alius mundi nobis ignoti, ab alio Deo nobis ignoto creati, 2) vel etiam non existentiam ullius Dei liberi et otiosi, qui sibi sufficiens nihil creaverit nec se manifestaverit. Ergo hoc argumentum confirmat forsitan alia argumenta, sed per se solum non probat.

Schol. 2^m *Quid sentiendum de dualismo Manichaeorum* : duo principia aeterna independentia esse, bonum et malum, quia aliter explicari non possit existentia mali, tum physici, tum moralis? — R. 1) Malum non est nisi in bono tanquam in subjecto, *nam* : malum est privatio; *a.* privatio nequit esse nisi in subjecto, i. e. in ente, i. e. in bono; *e.* (cfr. ontolog.).

2) Malum in bono nequit esse nisi per actionem boni, tanquam causae per accidens, non per se; *nam* : non est malum (privatio boni) de natura boni (subjecti); *e.* est ex actione; *a.* omnis actio tendit per se in bonum; *e.* producit malum per accidens (cfr. ontolog.).

3) Hinc Manichaeorum hypothesis est intrinsece *absurda*, *nam* : natura hujus principii mali esset infinita carentia bonitatis; *e.* exclusio omnis entitatis; vel si dicatur aliqua bonitate constans, sed in malum maxime propensum, non minus repugnat, *nam* ens a se est ex natura sua summe bonum.

4) *Inepta* est haec hypothesis ad suum finem (originem malorum explicandam), *nam* : duo haec principia aut habent aequalem potentiam, et se destruent; aut inaequalem, et unum ligabitur; vel si dicantur foedus pepigisse : istud foedus est aliquid aut bonum aut malum, ergo illud inire repugnat alterutri principio.

Objic. 1° Unitas importat solitudinem; *a.* haec est imperfectio; *e.* — R. *c. maj.* — *d. min.* in entibus sibi insufficientibus, *e.* in ente sibi sufficientissimo, *n.*

Objic. 2° Possunt esse plures Dii aequales, *nam* :

- 1) non repugnat aequalis plurium perfectio in eodem genere,
- 2) non repugnat ut aliqua forma multiplicetur,
- 3) pluralitas nullam tollit perfectionem,
- 4) de facto sunt in Deo tres personae.

R. *n. assert.* Ad 1) *d.* perfectio limitata, relativa, contingens, *e.* illimitata, absoluta, necessaria, *n.*

Ad 2) *d.* si ipsa est sua individuatō, *n.*; secus, *e.*

Ad 3) *d.* in contingentibus et limitatis, *e.* in necessario et realissimo, *n.*

Ad 4) *n. par.* (ibi est *natura* et perfectio *unica* : hic esset multiplicata). ®

Objic. 3° Saltem unus Deus potest producere alium aequalem, *nam* :

- 1) secus non haberetur terminus infinitae potentiae,
- 2) nec haberetur effusio conveniens ejus bonitati.

R. *n. assert.* — Ad 1) et 2) : *n. supp.* (esse in hoc aliquam inconvenientiam; *nam* repugnat Deus productus).

Objic. 4° Consensus populorum fuit pro pluralitate Deorum. — R. *d. con-*

sensus naturalis, et populorum omnium, *n*; secus, *sd.* ita ut ubique inveniatur unus supremus, Deus, alii subditi, *c*; secus, *n*.

Inst. Quid de miraculis apud gentiles patris? — R. 1) Plurimae fabulae sunt; — 2) quae sunt vera miracula, patrata sunt non in polytheismi confirmationem, sed ad innocentiam tuendam, virtutem moralem commendandam, ergo a vero Deo; vel ad alium malum finem, facile tamen agnoscibilem, ergo a malo daemone (cfr. infra).

Propositio 23.

In Deo nulla est compositio ex natura et supposito.

Stat. quaest. 1) Recolenda omnino hic sunt quae in ontologia de supposito et subsistentia dicta sunt.

2) Quaeritur num in Deo distingui possit natura a subsistentia aliqua absoluta, qualis invenitur in creatis, quae sit complementum ultimum, naturae completae singulari addendum, ut haec existat incommunicabiliter, i. e. non ut pars seu ut assumpta in unionem cum alia natura, sed ut aliquod totum pro se.

Prob. Deus est actus purus et ens necessarium; *a.* si essentia Dei non esset de se subsistens sed aliud addendum requireret ad subsistendum, jam ipsa essentia de se esset in potentia ad hoc aliud, et existeret non necessario sed hypothetice (si hoc aliud addatur); *e.*

Objic. Ex fide novimus tres esse in Deo personas, et unam naturam; *a.* ita distinctio habetur inter personas, seu subsistentias, et naturam; *e.* — R. *d. maj.* tres personas distinctas per absolutas subsistentias distinctas, *n*; personas distinctas per meram relativam suam oppositionem ad intra in natura singulari divina, *c*; — *c. d. min.* ita, i. e. si sunt subsistentiae absolutae, *c*; si relativae ad intra, *n*. (in hac relativa oppositione ad intra, quae est vita ipsa divina, quae est, non sicut apud nos actus immanens, sed processio duplex substantialis realis personarum, altissimum consistit et inscrutabile mysterium SS. Trinitatis).

Propositio 24.

In Deo nulla est compositio ex essentia et existentia.

Stat. quaest. Ad facilitatem probationis sint tres partes: 1) nullam esse distinctionem realem inter essentiam divinam et existentiam; — 2) neque ullam distinctionem rationis ratiocinatae adaequatam saltem, nec proinde esse existentiam metaphysice omnino distinctam ab essentia, sed eam saltem de essentia esse; — 3) neque ullam etiam inadaequatam distinctionem rationis, ac proinde existentiam non solum de essentia esse, sed ipsam esse essentiam totam divinam.

Prob. 1^a pars (non realis). 1^o Distinctio realis, etiam in creaturis non est admittenda; *e.* a fortiori in Deo (cfr. ontolog.).

Prob. 2^o Quidquid in aliqua re est ab essentia distinctum, est causatum aut a principiis essentiae, aut ab aliquo exteriori; *a.* de existentia Dei neutrum dici potest; *e.*

Ad min. 1) (*non ab essentia*). Id ex quo aliquid realiter emanat, debet jam in rerum natura existens praesupponi.

2) (*non ab alio*). Deus ipse est prima rerum causa.

Prob. 2^a pars (non rationis adaequata). 1^o Illud est de essentia alicujus rei, sine quo illa res concipi non potest; *a.* Deus nequit concipi sine existentia; *e.*

Ad maj. Conceptis formaliter constituentibus, concipitur essentia.

Ad min. Secus conciperetur aut ut ens in potentia subjectiva passiva, aut ut ens in potentia objectiva; *a.* utroque modo jam non esset a se, et actus purus; *e.*

Prob. 2^o Si existentia non esset de essentia, conciperetur aut ut actus ab aliqua causa extrinseca additus (ut in creaturis), aut ut aliquid secundum rationem emanans ab essentia (ut attributum); *a.* neutro modo concipi potest; *e.*

Ad min. 1) (*non ab alia causa*): patet. — 2) (*non ab essentia*). Nihil actuale et existens potest concipi emanare nisi ab aliquo actuali et existente; *e.* deberet existentia sibi ipsi praesupponi.

Prob. 3^a pars (non inadaequata). Secus deberet existentia esse pars formalis (non materialis) constituens naturam divinam, et ab aliquibus rationibus in natura divina, tanquam actus a potentia, distingui; *a.* hoc repugnat; *e.*

Ad maj. Ex modo probatis, non distinguitur ratione adaequate, seu est saltem de essentia; *a.* si est de essentia, et non est tota essentia, esse debet saltem pars essentiae, et evidenter non pars materialis; *e.*

Ad min. Nulla nota in Deo fingi potest quae non seipsa et essentialiter sit in actu, seu existat; *e.*

Coroll. 1^m Ergo Deus est ipsum suum esse subsistens, nam existentia non est actus in essentiam receptus, nec Deus habet esse, sed est suum esse.

Coroll. 2^m Ergo essentia Dei non solum *physice postulat* existere, sicut spiritus creati, sed etiam *essentia metaphysica Dei est existere*, ita ut non existere sit contradictio intrinseca cum conceptu Divinae essentiae.

Propositio 25.

In Deo nulla est compositio ex genere et differentia specifica.

Prob. 1^o Omnis ratio generica ex suo conceptu est indifferens ad existendum; *a.* in Deo repugnat omnis indifferencia ad existendum; *e.*

Prob. maj. Ratio generica indifferens est ad plures differentias, quibus ad diversas species et individua determinetur; *a.* genus non potest existere sine differentiis specificis et individuantibus; *e.*

Ad min. Deus est actus purus, in quo omnia sunt essentialiter existentia.

Prob. 2° Si Deus esset sub genere cum aliquo alio, nota generica deberet esse nota entis; *a.* nota entis nequit esse nota generica; *c.*

Ad maj. Genus significat essentiam (partim saltem); *a.* essentiam Dei constituit ipsa nota entis (nam Deus est suum esse); *e.* in Deo nota generica diceret ipsam notam entis.

Ad min. Nota generica est univoca, cui extrinseca additur nota alia: differentia; *a.* ens est analogum, et transcendentale, cui extrinsecum nihil addi potest; *e.* (cfr. ontolog.).

Objic. 1° Substantia omnis est ens per se; *a.* haec notio univoce convenit Deo; *e.* Deus est sub genere substantiae. — *R. d. maj.* substantia est ens cui competit esse per se, *c.*; substantiae essentia est esse per se, *n.* — *c. d. min.* Deo competit esse per se, *n.*; Deus est ipsum suum esse per se et a se, *c.* (Scilicet substantia quaelibet habet suam essentiam, notas essentialis definitionis, quas inter non est nota existentiae, nec existentiae per se, sed hanc propter suam perfectionem essentialem habere potest naturaliter; Deus autem non solum potest habere existentiam per se, sed eam ut notam suam essentialem habet).

Objic. 2° Res creatae, etiam in essentialibus Deo similes sunt, habentque aliquod sibi et Deo logice commune; *a.* hoc logice commune est genus; *e.* — *R. d. maj.* similes, et aliquid commune univoce, *n.*; analogice, *c.*; — *c. d. min.* (cfr. ontolog.).

Coroll. Ergo Deus est supra omne genus, nec potest proprie definiri; sed ipse est qui est.

Propositio 26.

In Deo nulla est compositio ex substantia et accidente.

Stat. quaest. 1) Agitur de accidente interno et vere inhaerente, nam denominationes extrinsecae nullam faciunt objectivam compositionem.

2) Ad facilitatem probationis sint duae partes: *a.* de accidente communi mobili, — *b.* de accidente absolute necessario, proprio.

Prob. 1^a pars (accidente communi). 1° Necessitas existendi continet vel praesupponit omnem determinationem ad existendum requisitam, et simul omnem mutabilitatem excludit; *a.* essentia Dei ex se formaliter necessaria est; *e.*

Prob. 2° Subjectum se habet ad accidens ut potentia ad actum; *a.* quod est necessarium (essentia Dei) non potest esse in potentia ad alium actum; *e.*

Prob. 3° Si in Deo esset accidens, illud Deus haberet aut a causa externa, aut a propria essentia per naturalem emanationem; *a.* neutro modo; *e.*

Ad min. 1) (*non ab alio*). *a.* Prima causa nihil recipit ab alia, — *b.* respectu talis perfectionis Deus penderet ab alio, — *c.* tale accidens posset adesse vel abesse, ac proinde essentia Dei esset de se in potentia ad illud.

2) (*non ab essentia*). Admittenda esset in essentia divina quaedam potentialitas, receptio, perfectibilitas.

Prob. 2^a pars (accidente necessario). Per tale accidens essentia Dei completeretur, essentque essentia substantialis et accidens illud mutuo perfectibilia; *a.* sic in utroque habetur intrinsecus potentialitas, quod de Dei essentia, actu puro, repugnat; *e.*

Coroll. Ergo in Deo nihil accidentale potest esse, sed *quidquid Deo inest, est substantiale, et est Deo essenziale.* Quod dicitur de realibus, nam merae denominationes extrinsecae nihil reale in Deo ponent.

Propositio 27.

In Deo inter essentiam et attributa est distinctio rationis ratiocinatae tantum

Stat. quaest. 1) Attributum divinum hic intelligitur perfectio absoluta, necessario et formaliter in Deo existens, et essentiam constitutam nostro concipiendi modo consequens, v. c. bonitas, sapientia, justitia, misericordia; — non vero agitur de perfectionibus relativis, i. e. ex aliquo respectu ad creaturas, v. c. dominio, creatione, providentia.

2) Nondum hic locus est inquirendi quae debeat nota in Deo concipi ut essentiam constituens, quae notae ut ex essentia consequentes tanquam attributa; sed prius quaerimus quae notae et quomodo Deo insint, quae inter eas distinctio vel unitas.

3) Dicimus igitur in Deo perfectiones quascumque (habet autem, ut jam scimus, perfectiones omnes simplices, gradu eminenti), esse a parte rei unum identicum cum ipsa essentia.

4) Ad facilitatem probationis sint duae partes: *a.* attributa divina inter se, et ab essentia, distinguuntur ratione ratiocinata; — *b.* ex parte rei, attributa sunt de ratione essentiae divinae, et vicissim divinitas est de essentia singulorum attributorum.

Prob. 1^a pars (ratione ratiocinata). 1° Ibi est distinctio rationis ratiocinatae, 1) ubi habentur de una eadem re conceptus objectivi diversi, et 2) ubi praedicantur contradictoria; *a.* de essentia et attributis divinis ita est; *e.*

Ad min. 1) Ubi definitiones rationem conceptam explicantes sunt diversae, ibi conceptus objectivi sunt diversi; *a.* definitiones essentiae et variorum attributorum Dei sunt diversae; *e.*

Ad 2) Justitia punit, misericordia non punit, etc.

Prob. 2° Essentia Dei vera sua perfectione eminenter aequivalet omni perfectioni in rebus creatis dispersae; *a.* hoc est sufficiens fundamentum ut mens nostra totidem variis conceptibus, abstractis a rebus creatis, sibi Dei perfectionem analogice repraesentet; *e.*

Prob. 2^a pars (ex parte rei). Essentia Dei, utpote actus purus, et necessaria, nequit esse in potentia ad aliquod suum attributum, sed omnem suam perfectionem essentialiter et intrinsecus includit; et vicissim singula attributa, utpote actus purus, increatus, necessarius, includunt essentiam divinam, seu potius sunt essentia divina; *e.*

Coroll. 1^m Ergo distinctio haec non est solum secundum extrinsecus connotata, nam Deus non intelligitur sapiens, justus esse, quia causat sapientiam, justitiam, sed potius contra.

Coroll. 2^m Nec tamen admittenda est distinctio formalis scotistica.

Coroll. 3^m Ergo sapientia, justitia..., quum conceptu uno analogo concipiuntur, non includunt formaliter implicite essentiam divinam, nam praedicantur vere de Deo et de creaturis.

Coroll. 4^m Ergo (probabilius) divina essentia et singula attributa, etiam pro nostro inadaequato conceptu, se mutuo formaliter implicite includunt, nam quidquid quocumque modo concipitur ut divinum, debet concipi ut actus purus, simpliciter perfectus, necessarius; ac proinde etiam quatenus ratione distinguuntur non tamen adaequate distinguuntur.

Coroll. 5^m Ergo inter essentiam Dei et attributa relativa nulla est distinctio realis, nam hae sunt denominationes Deo extrinsecae, nihil in Deo praeter attributa absoluta ponentes, in quibus fundantur ipsae.

Propositio 28.

Ex Deo et alio tanquam comparte nulla fieri potest compositio.

Prob. In tali compositione Deus aut haberet rationem materiae, ab alio (vel aliis) perficiendae, aut rationem formae, aliud (vel alia) perficientis et actuantis; *a.* utrumque repugnat; *e.*

Prob. min. 1) (materiae). Deus est actus purus et necessarius; *a.* materia se habet ut potentia subjectiva perficienda, actuanda; *e.*

2) (formae). *a)* Substantia ex natura sua necessario complete determinata, nequit esse vera forma alterius; *a.* substantia divina est ex natura sua necessario complete determinata; *e.*

ad maj. De natura partis, etiam partis formalis, est ut veniendo in compositionem perficiatur et determinetur.

b) Deus est suum esse subsistens; *a.* forma est non suum esse subsistens, sed est esse alterius ut potentiae perficiendae; *e.*

Objic. Ex fide novimus Christum esse compositum ex divina et humana natura seu substantia. — *R. d.* compositum ut ex duabus partibus, *n.*; ut ex substantia humana singulari assumpta in unitatem personae (non naturae!) divinae, *c.*

Inst. Ex data responsione sequitur a persona divina (i. e. Deo) determinari ultimo naturam hanc humanam, ut modo subsistentiae; *a.* modus omnis, etiam subsistentiae, se habet ut forma relate ad aliud determinandum; *e.* — *R. d. maj.* ut quasi modo *c.*; vere, ut modo, *n.* — *c. d. min.* modus omnis etiam subsistentiae creatae, *c.*; etiam subsistentiae divinae, *n.* (tenenda est haec exceptio propter alias datas rationes; at quomodo sit concilianda cum facto revelato Incarnationis..., in hoc est punctum mysterii!)

QUAESTIO 2.

De omnimoda infinitate Dei.

Post praecedentem analysim essentiae divinae, pauca jam supersunt de ceteris Dei attributis addenda; ac primo quidem quid nomine Divini attributi sit intelligendum. Jam constat tanquam immediatum corollarium generale ex antea dictis, a parte rei attributum Dei nullum esse quod non sit ipse Deus totus essentialiter, seu in Deo nullam esse notam quae non sit ipsa essentia Dei. Verum a parte mentis nostrae humano modo cogitantis, variae concipiuntur notae tanquam in Deo praesupposito existentes, ejus essentiam determinantes, i. e. tanquam modi essentiae Dei. Ista passim attributa Dei dividuntur 1) in *positiva* et *negativa*, prout nobis cogitantur per conceptus positivos vel per negationem imperfectionis; — 2) in *absoluta* et *relativa*, prout nobis concipiuntur Deum in se solum inspiciendo, vel eum respective ad alia considerando; — 3) in *quidditativa* et *operativa*; — 4) in *incommunicabilia* et *communicabilia* analogice creaturis. — His neglectis, quippe quae objectivam Dei essentiam melius nobis intelligibilem non faciant; sicut plurima jam ad simplicitatem essentiae reduximus, ita reliqua fere sub infinitatem variam ordinabimus. Quo nostro processu faciliorem conspectum comparabimus omnium quae de Essentia Dei sunt explicanda.

Propositio 29.

Deus est infinitus in perfectione, seu ens realissimum.

Notiones. Quid sit *perfectio*, *perfectio mixta*, vel *simplex*, *perfectio physica*, vel *metaphysica*; — item quid *infinite*, *infinite actu seu categorematice*, vel *potentia seu syncategorematicae*, explicatum et notum supponimus nunc ex ontologia (cfr.).

Stat. quaest. Non tam polemice quam dogmatice dicimus Deo competere: 1) omnem excogitabilem perfectionem, etsi numero infinitas diceremus (sed agitur de perfectionibus simplicibus); 2) et quidem singulas gradu infinito; — (quae tamen realiter sunt unum simplicissimum).

Prob. 1^o Deus est ens a se; *a.* ens a se nec vi essentiae suae limitibus circumscribitur, neque a seipso neque ab alio limitari potuit; *e.*

Prob. min. 1 part. (non vi essentiae). Essentia entis a se est absolute necessarie actu esse; *a.* necessarie actu esse nullis limitibus circumscribitur (nam nullam includit imperfectionem, nec cum ulla perfectione pura pugnat); *e.*

Ad min. 2 part. (non a seipso). Eus a se non est sui causa, nec se constituit, nec jam constitutum potuit se limitare.

Ad min. 3 part. (non ab alio). Esset dependens et potentiale.

Prob. 2^o Deus, utpote ens ex interna necessitate existens, ex eadem necessitate est actus purus, ultimo determinatus; *a.* actus purus, ultimo

determinatus, omnem excludit potentialitatem, etiam absolutam, intrinsicam, perfectionis positivae cujuscumque addendae; seu : dicit actu possideri omnem perfectionem quae non intrinsece repugnet; *e*.

Prob. 3° Deus est unicum ens primum in genere causae efficientis, exemplaris, finalis (i. e. fons unicus totius rationis entis possibilis); *a*. tale ens est infinitum; *e*.

Ad min. Contingentia possunt existere in indefinitum numero plura, et intensione perfectiora, seu sunt potentia infinita; *e*. eorum fundamentum debet esse actu infinitum.

Schol. *Utrum Deus cum rebus crealis sit plus entis quam Deus solus?* — *R. d.* plus entis absoluti, *n*; plus entis participati, *e*. (sicut plus hominis in viro et ejus imagine picta). — *N. B.* Etiam si intelligas notam abstractissimam entis, ut sic, prout uno conceptu veniunt divinum et creatum, manet tamen ens analogum, quod descendit prius ad Deum, et secundo ad creaturas.

Coroll. 1^m Ergo Deus est supra omnem conceptum nostrum, i. e. 1) pro nostra praesenti conditione humana, impossibile nobis est Dei Essentiam conceptu proprio et intuitivo percipere (cfr. psychol.); — 2) etiam post mortem corporis nequit naturaliter anima Deum intuitive et proprio conceptu attingere, nam etiam huic proportionatum objectum non est, neque exigentia ulla naturalis est cur deberet animae infundi talis cognitio; — 3) supernaturaliter elevari animam per potentiam obedientialem ad visionem intuitivam Dei, quoad factum novimus ex revelatione : lumen gloriae, quoad possibilitatem nihil negare potest sola ratio naturalis; — 4) utrum etiam intrinsece possibilis sit aliqua creatura, cui, vi suae naturae, esset debita intuitiva Dei cognitio; quae proinde esset naturaliter et essentialiter serva Dei, i. e. subiecta Deo, sed connaturaliter et exigitive filia Dei adoptiva, i. e. filiatione analogica, non sicut in Verbo univoca : disputatur inter theologos; — 5) quid tamen de his sit, intrinsece certe repugnat in creatura quacumque, i. e. ente finito, dari cognitionem Dei comprehensivam, i. e. infinitam, quae soli Deo inesse potest. — Atque his variis sensibus dicitur Deus *invisibilis* et *ineffabilis*.

Coroll. 2^m Ergo 1) Deus est *substantia*, nam haec est perfectio simplex. Substantia enim stricto formali conceptu non necessario connotat accidentia, quorum ipsa sit subjectum (quae esset perfectio mixta) sed dicit solum subjectum per se existens, non alio indigens cui ut subjecto inhaereat. — 2) Deus est *vivens*, nam et haec est perfectio simplex, quum ex formali stricto sensu non necessario connotet transitum ex potentia in actum, et perfectionem sui post imperfectionem (quae esset perfectio mixta), sed dicat solum : a) perfectionem realem activam (non inertiam), b) procedentem ab ipso principio intrinseco (quae processio sufficienter habetur si perfectionis ratio complete sufficiens est ipsum subjectum, nec requiritur ut perfectio haec sit nova, accidentalis), c) immanentem in ipso principio intrinseco.

Propositio 30.

Deus est infinitus duratione, seu aeternus.

Notiones. *Aeternitas* est duratio essentialiter sine initio, fine, successione; seu interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio (Boethius); seu interminabilis vita simul et perfecte tota existens (Anselm.).

Prob. 1° Aeternitas est duratio essentialiter initio, fine, et omni successione carens; *a*. Deus, ut ens necessarium et actus purus, essentialiter caret omni initio, fine, successione; *e*.

Prob. 2° Deus est infinitus perfectione; *a*. ens infinitum perfectione, quod nihil potest amittere, acquirere, habet omnem suam perfectionem simul et perfecto modo; *e*.

Schol. 1^m *Quomodo aeternitas differat ab aevo et a tempore?* — (*N. B.* Tempus durationem corruptibilium dicit, ac proinde successiones etiam substantiales; *aevo* dicit durationem simplicium, et hinc immutabilitatem substantialem sed successiones accidentales) — *R. 1)* Prima et essentialis differentia est, quod aeternitas est duratio per se et ab intrinseco necessaria, independens, omnino immutabilis; omnis alia duratio est contingens, dependens, mutabilis; — 2) aliae durationes admittunt successiones : praeteritum et futurum, aeternitas non; — 3) sola aeternitas est indivisibilis.

Schol. 2^m *Quomodo aeternitas sit indivisibilis?* — *R. 1)* Est actualiter indivisibilis, nam tota simul, sine ulla varietate vel successione.

2) Est virtualiter divisibilis, quatenus haec simplicissima duratio coexistit (vel potest) infinitis temporum successioneibus.

3) Hinc sequitur : a) repugnantiam coexistentiae aeternitatis cum multis simul temporibus, esse non ex parte aeternitatis, sed temporum, — b) aeternitatem totam coexistere, sed non toti tempori simul, et hoc esse ex parte temporis.

Schol. 3^m *Utrum aeternitas per se et formaliter includat respectum coexistentiae ad tempus?* — *R.* Non includit, nam secus deberet hic respectus in formali definitione aeternitatis exprimi. — Ergo a) quamvis nos conceptum haurire debeamus ex tempore, non tamen debemus talem respectum cogitare ut objective constitutum; — b) a fortiori errant qui aeternitatem definiunt tempus infinitum.

Objic. 1° Actiones Dei aliae sunt praeteritae, aliae futurae; *e*. et ipsi convenit fuisse et fore. — *R. d. ant.* ratione principii operantis, *n*; ratione termini, *c*.

Objic. 2° Deus hodie diutius vixit quam heri; *e*. aeternitas augetur. — *R. d. ant.* interna duratio est hodie major quam heri, *n*; coexistit hodie longiori tempori, *e*.

Objic. 3° Si aeternitas Dei esset quovis momento tota simul, quaelibet creatura toti aeternitati coexisteret; *a*. hoc est absurdum; *e*. — *R. d. maj.* coexisteret aeternitati realiter toti, *c*; virtualiter toti, *n*. — *c. d. min.*

Propositio 31.

Deus est infinitus praesentia, seu immensus.

Notiones. 1) Immensitas est infinitas in modo existendi, qua fit ut Deus sine ullo termino in omnem dimensionem non per partes, sed per totalitatem substantiae sit diffusus; seu (considerata in relatione ad spatium) est interna et essentialis divinae naturae determinatio, qua fit ut necessario omnibus omnino locis et rebus, quae sunt aut esse possunt, sine ullo limite, intime et substantialiter praesens sit.

2) Dicitur haec determinatio: *interna et essentialis*, ut distinguatur immensitas ab omnipraesentia seu ubiuitate quae Deo tribuitur accidentaliter et extrinsece, connotando scilicet res creatas quibus praesens sit.

3) Praesentia est

per substantiam, seu per essentiam, si haec ibi est:

{ circumscriptive }
{ definitive — } Cfr. cosmolog.

{ repletive... i. e. tota in toto, tota in quaque parte, et tota ultra.

per potentiam... si virtus agendi eo pertingit, sive per se, sive per medium interpositum.

per cognitionem, si ea intuetur quae ibi sunt.

Prob. 1° Deus est immensus si 1) vis aliis rebus se substantialiter praesentem exhibendi est perfectio simplex, et 2) haec perfectio in Deo nequit esse in potentia sed necessario est actus; *a.* ita est; *e.*

Ad maj. 1) Si est perfectio simplex, est formaliter in Deo, gradu infinito; — 2) si est necessario actus, jam nunc Deus adest ubicumque potest cogitari res.

Ad min. 1) Nulli repugnat alii perfectioni simplici, — nec imperfectionem (limitem) formaliter includit, sed potius excludit; *e.* — 2) haec vis est aliquid reale in Deo; *a.* in Deo, actu puro, repugnat potentialitas; *e.*

Prob. 2° Deus est immensus, si potest modo perfectissimo et immediate operari, ubicumque potest cogitari actio vel res creata; *a.* ita est; *e.*

Ad maj. Ut res erectur et operetur, debet virtus divina (causa prima) illuc transire; *a.* repugnat 1) actio in distans, et 2) transitus localis in Deo (i. e. potentialitas et actus novus); *e.*

Ad min. Secus esset limes necessarius in natura Dei; *a.* hoc est absurdum; *e.*

Prob. 3° Si Deus non esset immensus, ejus praesentia aut naturaliter et necessario clauderetur aliquo spatio (actuali vel possibili) aut libere; *a.* neutrum dici potest; *e.*

Ad min. 1) (*non necessario*). Nulla est ratio necessitans: nec ab extrinseco (ens a se); — nec ab intrinseco (nullus limes necessarius, — perfectio simplex).

2) (*non libere*). Induceret potentialitatem et mutationem internam.

Schol. 1^m Num Deus sit actu extra mundum, in spatiis imaginariis vacuis?

— R. 1) Praesens cum habitudine ad aliud et operatione, non est. — 2) Praesens intransitive, sine relatione ad aliud, secundum propriam substantiam, est, nam: a) Deus debet actu esse ubi creatura est potentia; — b) si novus ibi oriretur mundus, Deus in eo esset; *a.* non ex migratione! — c) ante omnem creationem Deus erat in spatiis imaginariis vacuis; *a.* nulla est ratio cur creato spatio reali Deus in eo coarctetur; *e.*

Schol. 2^m Quot et quibus modis Deus sit in rebus? — R. 1) *Objective*: ut objectum cognitionis, amoris, desiderii, etc. varie in variis rationibus (actu, habitu, potentia...) — 2) *effective*: ut causa in suo effectu, i. e. per modum causae agentis; et quidem tripliciter: a) *per essentiam*, ratione immensitatis in se, abstrahendo ab operatione; b) *per potentiam*: ratione creationis, conservationis, operationis; c) *per praesentiam*: ratione cognitionis et gubernationis.

Schol. 3^m Quenam sit ratio formaliter denominans Deum rebus praesentem seu rebus coexistentem? — R. 1) Dicunt Thomistae: operatio Dei producens et conservans; itaque Deus per omnipotentiam suam, qua applicatam rebus, et proinde secundum contactum quemdam virtutis suae, dicitur formaliter rebus praesens. — 2) Dicunt Scotus, Suarez, Vasquez: ipsa immensitas Dei. — 3) Quod ultimum verius, nam: denominatio praesentiae est relativa, ac proinde exurgit ex fundamento in subjecto, et ex termino; *a.* fundamentum sufficiens talis denominationis est immensitas, et terminus sunt res; *e.*

Propositio 32.

Deus est prorsus immutabilis, tum physice, tum moraliter.

Notiones. *Mutatio* est transitus ab uno statu in alium. — Status dividitur 1) *internus*: essentialia, necessaria, modi reales, accidentia physica; vel *externus*: relationes externae. — Status dividitur 2) *metaphysicus*: possibilitas intrinseca; vel *physicus*: entitas actualis; vel *moralis*: facultates, praesertim voluntas, circa suum objectum.

Stat. quaest. 1) Agitur hic de mutatione interna, non de mere externa, quae foret mera denominatio extrinseca.

2) De mutatione metaphysica, i. e. transitu a non esse ad esse, vel ab esse ad non esse, jam non quaeritur, cum Deus sit ens necessarium, aeternum.

3) De mutatione physica, i. e. transitu ab una entitate actuali ad aliam, vel ab una perfectione in aliam, dicimus nullam in Deo esse intrinsece possibilem.

4) Idem dicimus de mutatione morali, i. e. transitu ab una volitione ad aliam, vel ab ignorantia seu indifferentia ad cognitionem et volitionem alius rei.

5) Tanquam merum corollarium, in praecedentibus jam saepe implicite ostensum, potest haec propositio considerari, propterea solum explicite hic exponendum, quia magnam postea contra libertatem Dei faciet difficultatem.

Prob. 1^a pars (physice). 1^o Deus est ens necessarium et actus purus; *a.* quicquid est physice mutabile continet in se contingentiam et potentiam ad id quod potest mutatione acquirere vel amittere; *e.*

Prob. 2^o In Deo nulla est compositio; *a.* in omni mutabili est compositio inter illud quod manet, et illud quod accedere vel recedere potest (substantiam et accidens, materiam et formam); *e.*

Prob. 3^o Si Deus mutaretur, amitteret aut acquireret aliquam perfectionem; *a.* ut infinitus habet formaliter et necessario omnem perfectionem; *e.*

Prob. 2^a pars (moraliter). 1^o Omnis mutatio voluntatis fit aut 1) propter mutationem physicam subjecti volentis (ut ipsi bonum jam fiat quod ei bonum antea non erat), — aut 2) propter defectum cognitionis (quo prius ignota nunc agnoscat), — aut 3) ex sola voluntatis inconstantia (qua circa idem sub eadem cognitione in contrarium convertatur); — *a.* nihil horum in Deo; *e.*

Ad min. Quoad 1) et 2) patet. — Quoad 3) prob. a) Talis animi inconstantia etiam in homine est imperfectio; *e.* — *b)* Deus ab aeterno sciret hoc posterius decretum suum; *a.* imprudens et insipiens est decernere aliquid dum certo scias decretum te esse mutaturum; *e.*

Prob. 2^o Deus est aeternus, i. e. habet durationem totam simul, indivisibilem; *a.* contradictorium est ut velit et nolit idem simul; *e.*

Coroll. 1^m Si quid dari posset quod cognoscibile non esset ab aeterno, sed fieret in tempore, Deus illud ex tempore cognoscens non propterea mutaretur, nam ipse semper est ad cognoscendum omne verum determinatus, sed verum cognoscibile mutaretur.

Coroll. 2^m Si quid fuisset ab aeterno intelligibile, sed illud Deus inciperet cognoscere in tempore, Deus intrinsece mutaretur, nam ipse inciperet determinari.

Objic. 1^o Potuit habere antea voluntatem suspensam. — *R. n.* (ab aeterno scivit hoc sibi placitum; *e.* ab aeterno hoc placuit et fuit decretum).

Objic. 2^o Vita in eo est quod aliquid seipsum moveat; *a.* Deus est summa vita; *e.* — *R. d. maj.* se moveat, i. e. agat immanenter, *c;* se mutet, *n.* — *c. d. min.*

Objic. 3^o Quidquid Deus facit, ex voluntate facit; *a.* saepe contraria facit, v. e. nunc leges mundanas certas figit, nunc miraculum patrat; — vel nunc Judam ad apostolatum vocat, nunc eum damnat; *e.* — *R. c. maj.* — *d. min.* quia mutat suum decretum, *n;* quia uno decreto varia variis temporibus et conditionibus producenda statuit, *e.*

QUAESTIO 3.

De ultimo constitutivo essentiae divinae.

Propositio 33.

Constitutivum divinae naturae optime exprimitur per hoc quod Deus est ens a se.

Stat. quaest. 1) Ex praecedente analysi divinae essentiae satis constat essentiam, seu naturam divinam physice constitui simplicissimo complexu omnium perfectionum simplicium infinito gradu; nam quicquid est in Deo, est Deo essentiale, imo est ipse Deus; *a.* inest omnis perfectio; *e.*

2) Sed quaeritur pro nostro modo concipiendi, quodnam ex omnibus illis attributis ratione distinctis, habendum sit ut ratione prius, seu ut primum distinctivum Dei ab omni alia re, et ut prima nota ex qua ceterae concipiantur quasi derivare. Dicitur talis nota essentia metaphysica, non tamen poterit, ut aliae essentiae metaphysicae, constare ex genere et differentia specifica (nisi quis velit latissimo sensu aliquo dicere genus: ens analogum; et differentiam specificam determinantem: a-se-itatem!)

3) **Fundamentum objectivum** hujus quaestionis est quod: a) de Deo multas concipimus notas, ratione nostra distinctas (sive ratione ratiocinata sive ratione ratiocinante); *e.* quaeri potest quo ordine sint disponendi isti conceptus; — b) in creaturis, perfectionem divinam participantibus, realiter saepe sunt distinctae, et mutuo subordinatae perfectiones; *a.* ex eis debemus analogice divinam perfectionem cognoscere; *e.* quaeri potest quomodo et qua analogia.

4) **Fundamentum subjectivum** nobis, seu utilitas hujus quaestionis est, ut inter tot conceptus objectivos inadaequatos et analogicos statuatur ordo scientificus, qui a) nostram cognitionem distinctam faciat et in unitate ordinatam, — b) et quantum in tam imperfecta cognitione fieri possit, realitatem objectivam rei cognitae exhibeat.

Prob. Illud dicendum est constitutivum divinae essentiae, quod in ordine cognitionis, non inchoatae, sed perfectae, intelligitur 1) per se primum determinare essentiam ad naturam divinam, — 2) illam per se primo distinguere ab omni alio, — 3) radix esse omnium proprietatum quibus Deus a creaturis differt; — *a.* aseitas...; *e.*

Prob. min. 1 part. (primo determinat). Primum quod concipimus de Deo est, quod existit a se; *a.* quum primum habeo ens a se, habeo ens per essentiam, necessarium, natura divinum, distinctum ab omni alio; nec ullum praedicatum assignari potest, a quo ut a radice aseitas omnimoda profluat; *e.*

Prob. min. 2 part. (primo distinguit). Aseitas omnimoda distinguit certe Deum ab omni creatura, — distinguit essentiam quae est a se ab omnibus attributis quae non a se sed ab essentia sunt; — *a.* haec distinctio est prima (nam aseitas nec ad aliud prius reduci potest, nec est accidens, et hac ommissa non distinguitur Deus a creaturis); *e.*

Prob. min. 3 part (est radix). Reliquae proprietates divinae ex aseitate deducuntur ut profluentes ex ea, non ut conjunctae vel ut praesuppositae; aseitas ex aliis concludi potest ut ipsis necessario praesupposita.

Schol. Hanc divinae essentiae constitutionem varie varii indicant, v. g.

1° *Cartesiani* : Divinae essentiae ultimum constitutivum est nota substantiae supernaturalis. — *Sed R.* Falsum, nam nota supernaturalitatis non est fundamentum proprietatum.

2° *Nominales* : Est infinitas formalis, i. e. actu et explicite sumpta, prout dicit cumulum omnium perfectionum simplicium. — *Sed R.* Falsum, nam : a) prius est habere singulas perfectiones, quam earum cumulum infinitum habere; — b) prius est habere propriam naturam, quam habere illas perfectiones connaturales.

3° *Scotus* distinguit infinitatem intensivam et extensivam, et hanc iterum dividit in radicalem et formalem; et essentiam Dei reponit in *infinitate extensiva radicali, seu fundamentali*; i. e. in esse habente exigentiam omnium perfectionum simplicium, seu in esse ex quo omnes perfectiones dimanare debeant. — *Sed R.* Falsum, nam : a) respondet per ipsam quaestionem, quaerebatur enim quatenam sit radix omnium perfectionum Dei, seu quid sit infinitas radicalis; — b) si dicat hanc infinitatem radicalem esse intelligendam ipsam infinitatem intensivam, haec tamen ipsa intensiva aut est esse a se, et jam a nobis non differt, aut est esse ut infinitum in essendo, et redit quaestio cur sit infinitum.

4° *Thomistae* : Essentia Dei est in gradu intellectivo; sed hoc alii aliter explicant; alii : in *intellectu radicali remoto*, i. e. rationali divino, cui debeatur intellectus attingens omne intelligibile ex eo quod sit intelligibile; — alii : in *intellectu radicali proximo*, i. e. potentia intellectiva in actu primo; — alii : in *intellectu actuali*, i. e. intelligere in actu purissimo et actualissimo, non sub ratione operationis, sed sub ratione ultimae actualitatis per se subsistentis. — *Sed R.* Falsum, nam : a) intellectivum ut sic non distinguit Deum ab aliis rationabilibus; et est proprietas quae ipsa radicetur in essentia; nec in ipsa radicatur v. g. aseitas, necessitas, immutabilitas, aeternitas; — b) si dicatur intellectivum divinum jam imbibere aseitatem, etiam sic tamen aut identificatur cum aseitate, et jam objective verum est, sed ad quaestionem non respondet : quomodo post distinctionem rationis sint ordinandi conceptus; aut concipitur ut distinctum ab aseitate, et jam redit quaestio utrum in altero radicetur ut in essentia.

Coroll. Ergo conceptus de divina essentia quem, pro nostro cogitandi modo humano, maxime scientificum nobis efformare possumus, et objectivae realitati maxime conformem, est ut definiatur Deus : *Ens a se, seu Ens absolute necessarium, seu Ens quod est suum esse*, cui competit summa absoluta et omnimoda simplicitas simul et infinitas. — Quem conceptum mirabiliter proprio suo nomine expressit : « *Ego sum qui sum.* »

Objic. 1° Eodem jure atque *a-se-itas* posset teneri *necessitas*, vel quod est Deus *suum esse*. — *R. c.* (sunt idem).

Objic. 2° Quod est constitutivum essentiae non invenitur in singulis quae praedicantur; *a.* aseitas invenitur; *e.* — *R. d. maj.* in creatis, *c.*; in Deo, *n.* (ob simplicitatem).

Objic. 3° Esse purum est esse quod habet tantum esse; *a.* hoc est esse abstractissimum; *e.* — *R. d. maj.* esse purum est esse abstractum quod habet tantum esse abstractum, *n.*; est esse actuale, quod habet tantum esse actuale sine potentialitate, *c.* — *c. d. min.*

Objic. 4° Essentia divina debet in eo constitui, quod perfectissimum in Deo concipi potest; *a.* hoc non est nisi infinitas; *e.* — *R. d. maj.* quod concipi uno et primo conceptu, *c.*; conceptu secundo ex primo derivato, *n.*

Inst. Ex infinitate deducitur aseitas a priori. — *R. d.* deducitur analyticae ut praesupposita, *c.*; a priori, i. e. ut ex praesupposito, *n.*

Objic. 5° Aseitas non est praedicatum positivum; *e.* ex ea non possunt procedere aliae perfectiones. — *R. d. ant.* secundum dici, *tr.*; secundum esse, *n.*

Objic. 6° Modus sequitur essentiam, non eam constituit; *a.* aseitas est modus; *e.* — *R. d. maj.* modus qui concipiatur ut radicatus in essentia, *c.*; ut essentiam per seipsum essentialiter diversam constituens, *n.* — *c. d. min.*

Objic. 7° In eo non est reponenda essentia divina, quod omnibus ejus attributis pariter convenit; *a.* aseitas convenit omnibus quae in Deo sunt; *e.* — *R. c. maj.* — *d. min.* aseitas inadaequata (negans ortum ab alio ut causa), *c.*; adaequata (omni ex parte excludens et causam, et originem, et radicem, et principium), *n.*

Objic. 8° Illud esse a se aut intelligitur non esse ab alio ut a causa, aut ut a principio, aut ut a radice; *a.* nihil horum valet; *e.*

Prob. min. 1^m part. Non esse ab alio ut a causa convenit et attributis, et omnibus quae in Deo sunt.

2^m *part.* Non esse ab alio ut a principio non convenit Filio et Spiritui Sto; *e.* hic Deus non esset.

3^m *part.* Non esse ab alio ut a radice sed esse radicem aliorum, convenit essentiae, sed quaeritur quid illud sit quod non sit ab alio ut a radice; *e.* fit petitio principii, si respondetur illud esse id quod non sit ab alio ut a radice.

— *R. Ad maj.* intelligitur omnimoda aseitas — *n. min.*

Ad prob. min. 1^m part. cfr. in obj. 7^a.

Ad prob. 2^m part : *d. ant.* ut a principio a quo dependeant, *n.*; ut a principio communicativo essentiae, *c.*

Ad 3^m part : *c. ant.* — *n. cons.* et *n. supp.* (fit petitio principii ubi supponitur quod est probandum; omnes autem admittunt essentiam esse radicem proprietatum, nec ipsam ab alio procedere; et dicimus eam reponendam esse in actu puro existendi, qui sit sine potentialitate, nec ab ullo alio procedat, ac proin sit a se sibi sufficiens).

Objic. 9° Notae substantiae, viventis, intellectivi, etc. aut sunt attributa, aut accidentia, aut ipsa essentia, aut pars essentiae; *a.* nec attributa nec

accidentia (ob simplicitatem Dei); *e.* sunt saltem de essentia, et haec non est solum esse a se. — R. *d. maj.* aut attributa physice distincta, aut attributa metaphysice solum distincta, etc, *c;* secus, *n.* — *c. d. min.* non attributa physice distincta, *c;* non metaphysice, *n.* — *d. cons.* attributa sunt de essentia physica, etc, *c;* sunt de essentia metaphysica, *n.*

Objic. 10° Soli homines et angeli facti sunt ad imaginem et similitudinem Dei; *a.* si essentia Dei esset *esse*, etiam alia quae sunt, essent ad imaginem Dei; *e.* — R. *d. maj.* ad imaginem plenius expressam, perfectius participatam, *c;* secus, *n.* — *c. d. min.*

CAPUT III.

DE ACTIVITATE DEI AD INTRA.

Post probatam infinitam omnimodam Dei perfectionem, non est cur ostendatur etiam Deum vivere vita infinite perfecta; sed potius inquirendum est in quo consistat, quantum nobis talia scrutari licet, activitas Dei illa vitalis immanens. — Ac primo quidem, ex praecedentibus circa Dei summam simplicitatem evidens est, in Deo nullam vegetationis vel sensibilitatis vitam formaliter existere posse, quum haec organica sit, atque organa, materiam extensam et compositam, essentialiter exigat; sed de vita intellectuali sola posse sermonem misceri. Hujus porro vitae quum omnia sint omnibus quae novimus analoga, univoce similia nulli, ut ne impossibile tentare audeamus, neque impervias obscuritates per obscuritates alias illustrare videamur, omnia erunt ad nostrum cogitandi modulum reducenda, per comparisonem ad nostras humanas actiones immanentes explananda, atque per viam analogiae, eminentiae, corrigenda et objectivae Dei simplicitati et infinitati adaptanda. Sint ergo de duabus vitalibus operationibus Dei :

Quaestio 1. De intellectu divino.

Quaestio 2. De voluntate divina.

QUAESTIO 1.

De intellectu divino.

De Divino intellectu tria praecipue occurrent disquirenda suo ordine, nempe :

Articulus 1. Generatim de natura scientiae Dei.

Articulus 2. Speciatim de ideis Dei.

Articulus 3. Speciatim de judiciis Dei.

ARTICULUS 1.

De natura scientiae Dei.

Generalia circa Divinam scientiam, quasi per modum introductionis ad sequentia magis particularia, exponenda veniunt

§ 1. De perfectione scientiae Dei.

§ 2. De objecto materiali scientiae Dei.

§ 1. DE PERFECTIONE SCIENTIAE DEI.

Propositio 34.

Est in Deo scientia perfectissima, ab omni nostra cognitione essentialiter diversa.

Stat. quaest. 1) Ex dictis de essentiae Dei infinita perfectione, immediate sequitur, et supponitur nunc, Deum esse substantiam spiritualem viventem, intelligentem, volentem, idque in summo gradu.

2) Non ergo quaeritur an Deus habeat scientiam, neque an perfecta haec sit, sed potius in quo consistat haec scientiae Dei perfectio, et in quo differat ab humana scientia.

Prob. Comparando naturam scientiae humanae et naturam humanam cum natura divina, multiplex invenitur discrimen; nam :

1° Homo scientiam habet actibus pluribus successivis; — Deus nullam potentiam vel successionem patiens, *uno actu* simultaneo, aeterno, totam suam scientiam habet.

2° Homo scientiam habet actibus quibus *dividat* ideas abstractas et eas componat in judicia, et *ratiocinio discursivo* augeat cognitionem; — Deus *simplici intuitu* objectum in concreto perspicit et plene cognoscit.

3° Homo scientiam habet quae non semper tota in actu, sed saepius *ut habitus* in intellectu manet; — Deus nunquam in habitu (i. e. in potentia) sed semper *in actu* intelligit.

4° Homo scientiam haurit *ex causis inadaequatis*, semper partialibus; — Deus semper *ex prima una adaequata*.

5° Homo sibi scientiam componit *multiplicem et divisibilem*, per distinctas species et intellectiones; — Deus scientiam habet *simplicem et indivisibilem*.

6° Hominis scientia saepe est *obscura, incerta, fallibilis*; — Dei scientia est *evidentissima, certissima, infallibilis*.

7° Hominis scientia est *accidens* in substantia animae; — Dei scientia est *ipsa Dei substantia et essentia*.

8° Hominis scientia est extensive et intensive *finita*; — Dei scientia est utroque sensu *infinita*.

accidentia (ob simplicitatem Dei); *e.* sunt saltem de essentia, et haec non est solum esse a se. — R. *d. maj.* aut attributa physice distincta, aut attributa metaphysice solum distincta, etc, *c;* secus, *n.* — *c. d. min.* non attributa physice distincta, *c;* non metaphysice, *n.* — *d. cons.* attributa sunt de essentia physica, etc, *c;* sunt de essentia metaphysica, *n.*

Objic. 10° Soli homines et angeli facti sunt ad imaginem et similitudinem Dei; *a.* si essentia Dei esset *esse*, etiam alia quae sunt, essent ad imaginem Dei; *e.* — R. *d. maj.* ad imaginem plenius expressam, perfectius participatam, *c;* secus, *n.* — *c. d. min.*

CAPUT III.

DE ACTIVITATE DEI AD INTRA.

Post probatam infinitam omnimodam Dei perfectionem, non est cur ostendatur etiam Deum vivere vita infinite perfecta; sed potius inquirendum est in quo consistat, quantum nobis talia scrutari licet, activitas Dei illa vitalis immanens. — Ac primo quidem, ex praecedentibus circa Dei summam simplicitatem evidens est, in Deo nullam vegetationis vel sensibilitatis vitam formaliter existere posse, quum haec organica sit, atque organa, materiam extensam et compositam, essentialiter exigat; sed de vita intellectuali sola posse sermonem misceri. Hujus porro vitae quum omnia sint omnibus quae novimus analogae, univoce similia nulli, ut ne impossibile tentare audeamus, neque impervias obscuritates per obscuritates alias illustrare videamur, omnia erunt ad nostrum cogitandi modulum reducenda, per comparisonem ad nostras humanas actiones immanentes explananda, atque per viam analogiae, eminentiae, corrigenda et objectivae Dei simplicitati et infinitati adaptanda. Sint ergo de duabus vitalibus operationibus Dei :

Quaestio 1. De intellectu divino.

Quaestio 2. De voluntate divina.

QUAESTIO 1.

De intellectu divino.

De Divino intellectu tria praecipue occurrent disquirenda suo ordine, nempe :

Articulus 1. Generatim de natura scientiae Dei.

Articulus 2. Speciatim de ideis Dei.

Articulus 3. Speciatim de judiciis Dei.

ARTICULUS 1.

De natura scientiae Dei.

Generalia circa Divinam scientiam, quasi per modum introductionis ad sequentia magis particularia, exponenda veniunt

§ 1. De perfectione scientiae Dei.

§ 2. De objecto materiali scientiae Dei.

§ 1. DE PERFECTIONE SCIENTIAE DEI.

Propositio 34.

Est in Deo scientia perfectissima, ab omni nostra cognitione essentialiter diversa.

Stat. quaest. 1) Ex dictis de essentiae Dei infinita perfectione, immediate sequitur, et supponitur nunc, Deum esse substantiam spiritualem viventem, intelligentem, volentem, idque in summo gradu.

2) Non ergo quaeritur an Deus habeat scientiam, neque an perfecta haec sit, sed potius in quo consistat haec scientiae Dei perfectio, et in quo differat ab humana scientia.

Prob. Comparando naturam scientiae humanae et naturam humanam cum natura divina, multiplex invenitur discrimen; nam :

1° Homo scientiam habet actibus pluribus successivis; — Deus nullam potentiam vel successionem patiens, *uno actu* simultaneo, aeterno, totam suam scientiam habet.

2° Homo scientiam habet actibus quibus *dividat* ideas abstractas et eas componat in judicia, et *ratiocinio discursivo* augeat cognitionem; — Deus *simplici intuitu* objectum in concreto perspicit et plene cognoscit.

3° Homo scientiam habet quae non semper tota in actu, sed saepius *ut habitus* in intellectu manet; — Deus nunquam in habitu (i. e. in potentia) sed semper *in actu* intelligit.

4° Homo scientiam haurit *ex causis inadaequatis*, semper partialibus; — Deus semper *ex prima una adaequata*.

5° Homo sibi scientiam componit *multiplicem et divisibilem*, per distinctas species et intellectiones; — Deus scientiam habet *simplicem et indivisibilem*.

6° Hominis scientia saepe est *obscura, incerta, fallibilis*; — Dei scientia est *evidentissima, certissima, infallibilis*.

7° Hominis scientia est *accidens* in substantia animae; — Dei scientia est *ipsa Dei substantia et essentia*.

8° Hominis scientia est extensive et intensive *finita*; — Dei scientia est utroque sensu *infinita*.

§ 2. DE OBJECTO MATERIALI SCIENTIAE DEI.

Propositio 35.

Deus seipsum intelligit et adaequate comprehendit.

Notiones. Comprehendere est cognoscere rem secundum totam suam cognoscibilitatem : tum extensive tum intensive.

Stat. quaest. Haec Dei scientia, quam nunc affirmamus non polemicè sed dogmaticè, vocatur *scientia Dei primaria* quia pro objecto habet ipsam Dei essentiam : objectum *divino* intellectui soli proprium et maxime proportionatum; opponitur autem *scientiae Dei secundariae* de qua mox sequentibus propositionibus, quae est de aliis rebus praeter Deum, et subdividitur in scientiam simplicis intelligentiae, visionis, et mediam.

Prob. Deus, utpote actus purus et infinitus, est infinite intelligibilis, et est infinite intelligens; *a.* ita habetur proportio inter intelligibilitatem essentiae Dei et intellectum ejus qui essentiam comprehendat; *e.*

Ad maj. 1) Deus est ipsum esse seu ipsum verum ontologicum; *e.* quoad totam suam essentiam infinitam est intelligibilis; — 2) intellectus ut sic est perfectio simplex; *e.* est in Deo, et quidem gradu infinito.

Propositio 36.

Possibilia omnia cognoscit Deus.

Stat. quaest. 1) Possibilia possunt considerari aut secundum suam rationem formalem et internam, quae est ipsa entitas creabilis; aut secundum rationem externam, fundamentalem et eminentem, quam habent in ipso Deo! — quaeritur de priore, nam de posteriore patet!

2) Probatur praesertim quoad *supposita* possibilia, quorum perfecta cognitione ipso facto attinguntur fines, bonitates, relationes, actus, etc... possibiles.

3) Haec *scientia simplicis intelligentiae* ordinario dicitur, per oppositionem ad alias duas de quibus mox in sequentibus propositionibus; et ab omnibus admittitur. Quapropter sufficit eam dogmaticè hic asserere.

Prob. 1° Scientia Dei infinita complectitur quidquid est cognoscibile, secundum adaequatam rationem cognoscibilitatis; *a.* possibilia sunt cognoscibilia secundum omnes rationes individuantes, fines, bonitates, efficaciam, relationes possibiles; *e.*

Prob. 2° Deus (per intellectum et voluntatem agens) singula possibilia potest singulis momentis creare et sapientissime ad suum quodque finem ordinare; *a.* non potest sic creare et ordinare nisi quod perfecte cognoscit; *e.*

Prob. 3° Cognitio comprehensiva suae essentiae et omnipotentiae Deo exhibet non solum quae formaliter, sed etiam quae eminenter et virtualiter in ea insunt; *a.* ita insunt possibilia omnia; *e.*

Ad min. 1) In essentia, ut exemplari multipliciter ad extra imitabili, continentur eminenter possibilia omnia, ut exemplata varie imitantia essentiam Dei seu participantia ejus esse.

2) In omnipotentia, ut causa efficiente prima, continentur virtualiter omnia possibilia, ut effectus producibiles.

Propositio 36.

Deus cognoscit omnia absolute futura. sive necessaria, sive libera.

Notiones. *Absolute futura* i. e. quae revera aliquando fient, sive de suppositis, sive de actionibus suppositorum agatur; probatur tamen speciatim de actionibus, nam cetera inde pendent.

Necessaria : non metaphysice, sed physice, i. e. quae non pendent a libertate agentis creati.

Libera : quae pendent a libertate creaturae.

Stat. quaest. Haec *scientia visionis* ordinario dicitur; ab illisque omnibus admittitur, qui de Dei essentia personali (non pantheistica) nobiscum sentiunt.

Prob. 1^a pars (necessaria). 1° Deus comprehendens suam voluntatem et potentiam, cognoscit creaturarum vires, dispositiones, coordinationes, etc; *a.* in his cognoscuntur effectus non liberi; *e.*

Prob. 2° Deus quovis momento debet cognoscere omne verum, et ab aeterno cognoscit quidquid unquam cogniturus est; *a.* omnia necessario futura sunt vera et cognoscibilia, eaque Deus saltem tunc cogniturus est, dum existent; *e.*

Prob. 2^a pars (libera). 1° Intellectus divinus, actus infinitus et purus, determinatus est ad cognoscendum quidquid habet intrinsecam cognoscibilitatem; *a.* res libere futurae habent intrinsecam cognoscibilitatem; *e.*

Prob. min. 1) Distincta illa et actualis et propria existentia quam res habet, illa ipsa est objectum intellectui divino propositum; *a.* haec existentia intrinsece habet cognoscibilitatem; *e.*

2) Qui heri dixisset me hoc momento hodierno esse id facturum (quod nunc facio), verum evidenter dixisset; *a.* quod est verum, est intrinsece cognoscibile; *e.*

Prob. 2° Deus omnes actus et effectus liberos saltem cognoscit dum existunt; *a.* quod aliquando cognoscit debet ab aeterno cognoscere; *e.*

Ad min. 1) Paulatim discere, quomodocumque fiat, est magna imperfectio; — 2) quod aliquando potest terminare cognitionem, hoc potest semper, etiam ab aeterno, cognosci ab intellectu qui suam scientiam non haurit ex rebus, sed ex se solo eam habet, et rem requirit solum ut terminum et conditionem.

Prob. 3° Si Deus non cognosceret futura libera, ea suspicans solum hypothetice cognosceret; *a.* ita nihil posset sapienter et certo ad suos fines dirigere; quod repugnat; *e.*

Ad maj. Hoc solum sciret : nisi qua libera causa mediate vel immediate turbabit ordinem a me constitutum, hoc... eveniet.

Ad min. Si Deus hominem ad certum munus velit eligere, ut eum ad suum finem certo et suaviter ducat, debet jam scire quid parentes, quid alii circa ipsum, quid ipse facturus sit (idem valet de integris populis, etc.).

Objic. 1° Haec cognitio posset abesse in Deo, *e.* non est perfectio quae ei necessario insit. — *R. d. ant.* posset absolute (i. e. nihil addit vel detrahit essentiae divinae), *e.*; posset hypothetice (i. e. posito quod res sit vere futura), *n.*

Objic. 2° Deus non mutatur si in tempore cognoscit quod ab aeterno non fuit cognoscibile; *a.* libere futura non sunt cognoscibilia nisi quum fiunt; *e.*

Prob. min. Ut res sit cognoscibilis debet esse determinata, non indifferens ad contradictoria; *a.* antequam existant, libere futura sunt indifferentia; *e.*

prob. min. Veritas sequitur esse, et determinata veritas determinatum esse; *e.* — *R. Ad 1^m d. maj.* Deus non mutaretur proxime, *e.*; hoc non supponeret imperfectionem in Deo, *n.* — *d. min.* non habent cognoscibilitatem actu et physice, *c.*; logice, *n.*

Ad 2^m c. maj. — *d. min.* physice indifferentia, *c.*; logice, *n.*

Ad 3^m d. ant. sequitur physice determinatum esse, *n.*; logice determinatum, *c.*

Objic. 3° (contra 3^m argumentum). Hoc argumentum supponit providentiam; *a.* providentiae pars intrinseca et essentialis est scientia futurorum; *e.* supponit quod probandum. — *R. d. maj.* supponit providentiae factum, *n.*; possibilitatem (ob perfectionem Dei qui debet posse suas creaturas regere), *c.*; — *c. min.*

Propositio 38.

Deus cognoscit omnes actus liberos conditionate futuros.

Notiones. 1) In conditionate futuris tria sunt consideranda : *a)* *conditio* sub qua aliquid futurum est; — *b)* *conditionatum* quod futurum est sub conditione; — *c)* *nexus* inter conditionem et conditionatum.

2) *Nexus* potest esse *nullus*, v. c. si turcarum imperator cras dormiet, papa breviarium leget; et etiam si esset vera conditio, et verum conditionatum, propositio ut conditionalis esset falsa; neque de talibus futuris conditionatis agimus nunc.

3) *Nexus* potest esse *necessarius*, sive physice, sive metaphysice, v. c. si ignem admoves, stipula comburetur; et etiamsi non verificetur conditio, nec conditionatum, propositio ut conditionalis esset certa et necessaria; neque de talibus necessario futuris conditionatis agimus nunc.

4) *Nexus* potest esse *contingens*, i. e. talis ut etiam posita conditione, maneat conditionatum in potestate liberae voluntatis creatae, v. c. si tuus frater cras subito morietur, tu conversus, monachus fies; et sive verificetur, sive non verificetur conditio, propositio, ut conditionalis potest esse sive

vera, sive falsa, pro libera determinatione voluntatis creatae; et de his libere futuris conditionatis dicimus, a Deo cognosci utrum vera an falsa sint.

Stat. quaest. Hanc *scientiam mediam* affirmant Molinistae; negabant initio Thomistae, sed nunc jam concedunt quoad factum; disputatio solum manet circa modum ea cognoscendi (cfr. infra).

Prob. 1° Infinitae perfectioni Dei repugnat, ut non possit, etiam maxime cupiens et volens, sapienter et provide gubernare creaturas suas, etiam liberas, ad finem suum intentum; *a.* hoc Deus non posset nisi certo cognosceret liberos actus conditionate futuros; *e.*

Prob. min. Ut decretum Dei circa res creandas, delendas, mutandas, impediendas, etc... sit infinite sapiens et providum, requiritur ut nihil Deus facere eligat, nisi quod certo sit medium futurum ad finem; *a.* nisi cognoscat conditionate futura, non certo sed conjecturaliter eliget creare hoc ens liberum vel illud, atque hanc vel illam conditionem procurare, tentando num ita finem suum obtineat; — (*N. B.* Conditiones illae sunt *a)* eventus physici ex cursu ordinario naturae; *b)* casus prosperi vel adversi ex elementis; *c)* casus prosperi vel adversi ex voluntate hominum in societate).

Prob. 2° Si Deus non cognosceret libera conditionate futura, sequeretur absurda : 1) consilia et decreta Dei de rebus mundanis esse incerta et temeraria (ex conjecturis probabilibus, non scientia certa); — 2) non omnia subjecta esse providentiae divinae sed casui et fortunae; — 3) Deum discere ex eventu id quod antea ignoraverit; — 4) Deum perpetuo cogi emendatricem manum suis operibus admovere (nam plura evenirent praeter praevisionem).

Prob. 3° Deus infinite intelligens determinatus est ad cognoscendum omne determinate verum cognoscibile; *a.* libera conditionate futura sunt determinate vera et cognoscibilia; *e.*

Ad min. Tales propositiones non solum indeterminate verae sunt (i. e. verum est, si frater tuus moriatur, te aut futurum monachum aut non futurum); sed determinate ex duobus hoc unum et non alterum, est verum; nam duae contradictoriae propositiones nec simul verae, nec simul falsae, nec simul logice indifferentes esse possunt, sed necessario alterutra est vera, non quidem physice (nam potest res nunquam fieri revera), sed logice, i. e. in ordine conditionali, sicut cogitatur.

ARTICULUS 2.

De ideis divinis.

Ex ante probatis notum est divinam scientiam nostrae scientiae non nisi analogice comparari posse, ac toto genere differre. Verumtamen quum de illa veritatem scrutaturi nos aliud medium praesto non habeamus, quum ut pro nostro cogitandi modo de divinis inquiramus, Dei simplicium apprehensionum seu idearum quae sint elementa nunc indagemus.

§ 1. De principiis idearum Dei.

§ 2. De objecto formali immediato idearum Dei.

§ 1. DE PRINCIPIIS IDEARUM DEI.

Propositio 39.

Deus, omnia quae cognoscit, seipso i. e. essentia sua tanquam principio proximo cognitionis cognoscit.

Stat. quaest. 1) In mente humana distinguuntur (cfr. psychol.):

- a) *intellectus*, i. e. potentia cognoscendi immaterialis;
- b) *species impressa*, i. e. forma intellectum informans, similitudinem rei cognoscendae referens virtualem, principium proximum quo intellectus suum actum efficit, intellectum determinans ad agendum;
- c) *species expressa*, i. e. ipse terminus immanens, actus cognoscendi, similitudinem objecti formalem exhibens, principium proximum quo intellectus est formaliter cognoscens.

2) Quaeritur nunc quodnam sit in Deo principium proximum cognitionis, sive efficiens (*species impressa*), sive formale (*species expressa*).

3) De *principio formali*, specie expressa, minor est difficultas; nam Deus ut actus purus nequit actum intelligendi habere distinctum a sua substantia; ergo principium proximum formale cognitionis divinae est *ipsa divina essentia*.

4) De *principio minus proximo efficiente*, intellectu, nulla esse potest difficultas, nam potentia intellectiva sicut omnis alia potentia, in Deo actu puro, repugnat.

5) Sed de *principio efficiente proximo* divinae cognitionis quaeritur, quomodo scilicet cognitio Dei terminative determinetur ad hoc potius quam ad aliud repraesentandum. Quoties enim intellectui humano objectum non est per seipsum praesens, fit illi per speciem, sui vicariam, impressam repraesentatum. Quid ergo Divino intellectui objectum repraesentet quaeritur; agitur autem de cognitione qua Deus alia praeter seipsum cognoscit; nam in cognitione sui ipsius evidenter nulla requiritur species vicaria substantiae praesentis (de his cfr. organolog. et psycholog.).

6) Dicimus in Deo nullam dari speciem impressam, sed principium proximum determinativum intellectionis esse ipsam essentiam Dei (*S. Thom. Gent. I, 46*).

Prob. 1° Species intelligibilis est principium proximum intellectualis operationis, sicut omnis agentis forma est principium propriae operationis; a. divina operatio intellectualis est ipsa Dei essentia; e. si daretur principium proximum hujus operationis, hoc esset principium ipsius essentiae divinae, entis a se; quod absurdum; e.

Prob. 2° Species comparatur ad intellectum sicut actus ad potentiam, et sicut accidens ad subjectum; a. utrumque in Deo repugnat; e.

§ 2. DE OBJECTO FORMALI IDEARUM DEI.

Propositio 40.

Deus, omnia quae cognoscit, in seipsis cognoscit tanquam in objecto formali proximo cognitionis.

Notiones: 1) *Species* tum impressa tum expressa, quae in homine est, considerari potest *entitative* sumpta, et sic est accidentalis forma in anima inhaerens; — vel *terminative* seu *repraesentative* sumpta, et sic est ipsum objectum formale cognitionis repraesentatum seu ipsae notae quibus aliqua res exhibetur.

2) Hac locutione: *objectum formale cognitionis*, varia significantur: scilicet: a) objectum ita *proprium alicujus cognitionis* ut per illud specificetur cognitio, quia per aliam cognitionem idem objectum attingi non potest: sic objectum formale cognitionis intellectualis est *universale, abstractum*, quia per cognitionem sensibilem attingi nequit, quae ad illud proportionem non habet; — b) objectum *cognitum prout sub hac nota* potius quam sub aliis suis attingitur hic et nunc, abstrahendo ab aliis notis, quae tamen attingi per eandem cognitionem possent: sic objectum formale est cognitionis meae *iste homo currens* tantum, quum tamen sit idem frater meus natu major etc... sed de his non cogitem nunc (cfr. logic.); — c) objectum quod *intuitive attingitur* cognitione, propriis notis, non alienis (cfr. psychol.).

Stat. quaest. 1) De cognitionis divinae objecto formali, *primo sensu*, quaeri non debet, quum ex supra probatis de infinitate Dei sit evidens, soli Deo propriam esse plenam visionem divinae essentiae, creaturis vero eam imperviam, ac proinde eam esse objectum formale solius cognitionis Dei. — Nec *secundo sensu* quaerendum est, quum sit evidens Dei visionem infinite perfectam, comprehensivam, non posse esse inadaequatam, imperfectam.

2) Sed *tertio sensu* quaeritur de ideis Dei, quid immediate et formaliter repraesentent, seu ad quod objectum formale immediate et proxime terminentur, i. e. per quales species (proprias an analogas, abstractas an intuitivas, universales et inadaequatas an singulares et adaequate concretas) Deus res intelligat.

3) Dicimus in Dei scientia res repraesentari a) non notis alienis sicut in nostris cognitionibus analogicis, b) neque notis abstractis et universalibus, ad singulares res per differentias contrahendis; — sed *in seipsis*, i. e.: a) ita ut ipsae totae sint *objectum formale* per se repraesentatum, b) et *objectum proximum* non jam ulterius contrahendum. — Unde cognitio Dei est a) singularum rerum distincta, non universalis, b) secundum notas et essentiales, et accidentales, et individuantes, adaequata non abstracta inadaequata; c) secundum notas proprias intuitiva, non analogica, nec factitia.

Prob. 1° Deus comprehendens primario suam essentiam et omnipotentiam, comprehendit etiam secundo omnes ejus virtualitates, seu imitabili-

tates essentiae, et producibilia ad extra; *a.* sic res extra se cognoscere debet 1) secundum notas earum maxime proprias, 2) distincte singulas secundum omnes notas tum essentialis tum accidentales; *e.*

Prob. 2^o Deus intellectus in actu puro, est de se determinatus ad cognoscendum quidquid est verum et cognoscibile intrinsece; *a.* omne ens, ipso facto quod est ens, habet suam entitatem, i. e. suam veritatem ontologicam intrinsecam, et est secundum eam intrinsece cognoscibile; *e.*

Coroll. 1^m Ergo Deus non utitur, sicut nos cognitionibus abstractis et universalibus; cognoscit tamen perfecte similitudines quae inter varias res vigeant, et sic perspicendo universale fundamentale, cognoscit etiam nostra universalia formalia et universalium complexiones.

Coroll. 2^m Ergo cognitioni divinae res aliae nunquam exhibentur sine relatione sua transcendentali dependentiae suae a Deo, tum in sua possibilitate intrinseca, tum in sua essentia sive metaphysica sive physica, tum in sua existentia et operatione; et hoc sensu saepissime a philosophis dicuntur res a Deo cognosci *in seipso tantum*; — quod nostram propositionem confirmat, nedum infirmet vel impugnet, quoad rem significatam, licet differat quoad modum loquendi.

Coroll. 3^m Ergo non in Deo, sicut in homine, multae sunt admittendae species impressae, nam haec in Deo una est, ipsa ejus Essentia, entitative sumpta; et eminenter omnes alias continens, terminative sumpta.

Objic. 1^o Si Deus cognosceret omnia in seipsis, objectum formale specificativum divinae cognitionis esset ens creatum; *a.* hoc repugnat; *e.* — *R. d.* specificativum, i. e. terminans formaliter cognitionem, *c;* i. e. tam intelligibile quam est intellectus divinus intellectivus; vel movens intellectum ad cognitionem sui, *n.* — *c. d. min.*

Objic. 2^o Intellectum est perfectio intelligentis; *e.* si Deus cognosceret immediate omnia, perficeretur ab eis. — *R. d. ant.* intellectum, i. e. ipsa intellectio, *c;* i. e. res extra cognoscentem, cujus propriam ille habeat cognitionem, *n;* — *d. cons.* si ejus cognitio causatur a rebus..., *c;* si solum terminatur ad eas, *n.*

ARTICULUS 3.

De judiciis divinis.

Nunc de cognitione Dei prout, secundum nostrum cogitandi modum, Deus habet judicia. Sicut enim homo habet alia judicia immediata, ex ipsa inspecta veritate, alia mediata, ex comparatione cum medio termino, et syllogistico processu; quaeritur an ita, et quo mediante termino, et in quibus judiciis, etiam Deus judicet. Unde etiam fit ut tota nunc instituenda inquisitio dicatur ordinario *de medio objectivo scientiae divinae*. Verumtamen haec omnia non nisi per analogiam ad nostra judicia disputantur; non enim Deus discursive intelligit, sed illi tribuimus virtualemente discursum; imo nec proprie Deus

judicat, i. e. componit vel dividit, sed illi virtualia judicia tribuimus; ipse enim potius intuetur, quinimo potius ipse est suus intellectus, sicut est sua existentia.

Propositio 41.

Deus seipsum immediate in seipso cognoscit.

Stat. quaest. Dicimus, quod nemo negat, judicia quae Deus de seipso habet, v. c. «se esse infinitum, Dominum omnium, ens summae bonitatis,» fieri sine ullo medio termino, non deductive, sed ex immediato veritatis intuitu.

Prob. Essentia Dei est 1) infinita, et infinite cognoscibilis, sicut intellectus Dei est infinitus, et infinite cognitivus; 2) intime conjuncta et praesens intellectui divino, imo cum eo identificatur a parte rei; — *a.* ita habetur 1) perfecta proportio inter cognitionis objectum et subjectum, et 2) immediata praesentia objecti ad subjectum; *e.*

Objic. Intelligere est essentia divina, a parte rei: *a.* intelligere non potest esse primum objectum intellectionis; *e.* — *R. c. maj.* — *d. min.* in creatis, *c;* in actu puro increato, *n.* [1] actus creaturae sunt aliquomodo effecti et causati ab objectis, unde ab ipsis sunt distincti; — 2) actus creatus non est ita immaterialis et purus ut possit secundum se totum esse reflexivus in seipsum, sed est ut motus directe tendens in objectum a se diversum].

Propositio 42.

Deus possibilis, et creata, et necessario futura judicans esse talia, in seipso tanquam in medio cognoscit.

Notiones. 1) *Possibilia*: sensu latissimo considerata: *a)* in suo ultimo fundamento et ratione essendi, *b)* in suo esse formali possibilium, quod oritur ex ipsa eorum essentia (cfr. ontolog.), *c)* in suis relationibus inter se, fundatis in perfectionibus eorum; quae sunt veritates ordinis idealis seu metaphysici.

2) *Creata*, i. e. supposita praecipue, et *necessario futura*, i. e. actiones praecipue et effectus suppositorum.

Prob. 1^a pars (possibilia). Deus suam essentiam perfecte comprehendit; *a.* vi talis comprehensionis exhibentur etiam omnes ejus imitabilitates, et entia quae essentiam divinam varie participant; quae sunt possibilis; et eorum relationes fundatae in illis imitabilitatibus ut notis positivis; *e.*

Prob. 2^a pars (creata et necessario futura). Deus suam voluntatem ac potentiam perfecte comprehendit; *a.* vi talis comprehensionis exhibentur etiam decreta voluntatis hoc et illud creandi, et executio creandi et conservandi, et concurrenti ad hunc et illum effectum naturalem; *e.*

Objic. 1^o Eo ipso quod cognitio est in alio et ex alio, est abstractiva et discursiva; *a.* actus realiter abstractivus et discursivus in Deo repugnat; *e.*

— R. *d. maj.* si cognoscatur unum post aliud, per actum alium realiter distinctum, *c*; secus, *n*; — *c. min.*

Objic. 2° Ex cognitione etiam perfecta virium bajuli, non cognoscuntur singula onera quae portare potest, sed solum sub una ratione communi tanti ponderis; *e.* a pari ex cognitione essentiae et potentiae Dei. — R. *n. par.* (virtus bajuli continet solum sub ratione ponderis; Deus sub omni respectu continet singula).

Objic. 3° Omnipotentia praesupponit scientiam Dei, et ipsa possibilis; *e.* non ex ea possunt possibilis cognosci. — R. *c. ant.*; — *d. cons.* non a priori, *tr*; non a posteriori (vel quasi a posteriori), *n.*

Propositio 43.

Deus possibilis, et creata, et necessario futura judicans esse talia, etiam immediate in seipsis cognoscit.

Notiones. In homine possibilis est de eadem re multiplex cognitio, v. *e.* si factum aliquod ipse vidi, et ab alio teste narratum audio, et ex causis necessariis scientifico ratiocinio deduco, triplicem habeo de eadem re cognitionem: experimentalem, qua rem in seipsa cognosco; moralem, qua rem in testimonio; scientificam, qua rem in causis suis.

Stat. quaest. Certum est, Deo res esse cognitae in seipso ut in causa, sive exemplari, sive efficiente; — quaeritur jam, num insuper alia sit Deo cognitio rerum in seipsis sine medio.

Prob. Deus, ut infinite cognitivus, debet cognoscere non solum omnia sed et omnibus modis quibus sint cognoscibilia, dummodo nullam inducant in Deum imperfectionem; *a.* possibilis, creata, et necessario futura, sunt cognoscibilia in seipsis, et nullam inducit imperfectionem talis cognitio; *e.*

Ad maj. Secus Deus careret aliqua perfectione simplici.

Ad min. 1 part. (cognoscibilia). Immediate in seipsis habent veritatem objectivam (sicut ipsam entitatem), qua terminare possunt cognitionem sibi conformem; *e.*

Ad 2 part. (non inducit). Cognoscere objectum aliquod immediate in seipso, clare, comprehensive: 1) est certe aliqua perfectio (praestat oppositae ignorantiae); 2) neque involvit imperfectionem cognoscentis, nisi quum objectum habet rationem objecti motivi; — *a.* cognitio, quam affirmamus, rerum in seipsis, 1) est clara et comprehensiva, 2) neque oritur ex objecto ut ex motivo agente in Deum determinandum, sed ex ipsa natura Dei, determinata essentialiter ad cognoscendum omne verum, et terminata ad singula objecta vera; *e.*

Objic. Talis scientia Dei immediata non esset comprehensiva secundum totam potentiam naturalem et obedientialem. — R. *n.*

Propositio 44.

Deus etiam seipsum in creaturis tanquam in medio cognoscit.

Prob. Deus perfectissime et comprehensive cognoscit creaturas prout sunt in seipsis; *a.* creaturae sunt in se essentialiter connexae cum Deo (exemplatae, dependentes...); *e.*

Coroll. Idem valet de actibus intellectus et voluntatis creatae, quoties ipse Deus est horum actuum terminus. — Cfr. S. Thom. 1. dist. 27. q. 2. a. 2. ad 4.

Objic. 1° Deus cognoscens seipsum in creaturis, cognosceret prius creaturas quam seipsum! — R. *d.* prius simpliciter, *n*; prius quoad hanc cognitionem, *sd.* quatenus creaturae sint ratio objectiva cur Deus per hanc cognitionem attingatur, *c*; quatenus cognoscerentur creaturae et nondum Deus, *n.* (et hoc ne in aliquo signo rationis quidem, nam cognoscuntur ut correlata).

Objic. 2° Creaturae sunt medium imperfectum; *e.* Deus se cognosceret imperfecto modo. — R. *c. ant.* — *d. cons.* cognosceret se in medio imperfecto, *c*; modo proprie imperfecto, *sd.* si deberet uti abstractione et speciebus alienis, *c*; secus, *n.*

Propositio 45.

Deus libera futura judicans esse talia, non in seipso, i. e. in decretis suis praedeterminantibus, tanquam in medio cognoscit.

Stat. quaest. 1) Quaeritur in quo medio Deus futura libera cognoscat; et quaestio est tum de *absolute futuris*, tum de *conditionate futuris* (seu futurilibus). — Respondent varii varia media assignantes. — Agimus hic primo contra Thomistas.

2) Dicunt *Thomistae*: a) Deus omnia futura libera, non minus quam necessaria, ab aeterno cognoscit in seipso ut prima rerum causa, tanquam in medio; et hoc magis ita explicant:

b) Deus futura absolute libera certo cognoscit et infallibiliter, in suis decretis praedeterminantibus. — Sunt autem ea decreta voluntatis divinae, quibus ab aeterno decernit physice et efficaciter determinare seu movere voluntatem creatam liberam unamquamque, ad actionem liberam unamquamque ejus. — Haec vero praedeterminatio physica, seu praemotio physica, « est qualitas aliqua realis et fluens, antecedenter ad actionem liberam, a Deo voluntati creatae immissa, et in voluntate recepta, quae intrinseco ac necessario nexu ita conjungitur cum actione, ut metaphysice repugnet sine ea actum fieri, cum ea actum non fieri a voluntate. »

c) Libera conditionate futura Deus infallibiliter cognoscit in suis decretis praedeterminantibus, subjective absolutis, objective conditionatis. Sunt ea decreta quibus ab aeterno Deus decrevit hanc vel illam voluntatem ad hanc

vel illam actionem physice praemovere, si tamen voluntas in his vel illis conditionibus poneretur; et simul non decrevit illas condiciones procurare.

3) Nos non quidem dicimus intrinsece repugnare, ut Deus physice praedeterminet voluntatem humanam ad certum aliquem actum, ac si ita decreverit praedeterminare, in illo decreto suo tanquam in medio cognoscat hunc actum esse futurum; — sed dicimus intrinsece repugnare ut, si qua talis adsit praedeterminatio, actus hominis sit liber; vel vicissim ut, si quis actus sit vere liber, adesse possit talis praedeterminatio physica, in qua cognoscatur ille actus liber esse futurus.

Prob. Nequit admitti medium cognoscendi futura libera quod ipsam naturam libertatis evertit; *a.* tale esset decretum Dei praedeterminans Thomisticum; *e.*

Prob. min. 1) *Natura libertatis est*: activa indifferentia voluntatis positiva, qua, positis omnibus ad agendum requisitis, potest indifferenter agere vel non agere; — *a.* a) praemotio physica Thomistarum est unum ex praerequisitis ad agendum, sine quo intrinsece repugnet actum fieri posse; — b) posita praemotio voluntas non amplius potest indifferenter agere vel non agere, sed est determinata ad unum, ita ut jam intrinsece repugnet actum non fieri; — *e.* haec praemotio tollit ipsam essentiam libertatis (cfr. psycholog.).

Prob. min. 2) *Natura praemotionis physicae est*: *a.* realis aliqua qualitas animae inhaerens, a Deo data, — b) quam non est in voluntatis potestate habere vel non habere, — *c.* quam sine ullo praevio concursu vel dispositione animae solus Deus infundit, — d) quae absoluta necessitate praerequiritur ad agendum, — *e.* quae absoluta necessitate ad agendum determinat; — *a.* ita voluntas creata in nullo etiam signo naturae vel rationis, est indifferens ad agendum vel non agendum (sed sine praemotio est impotens agendi, cum ea est impotens non agendi); *e.*

Objic. 1° Argumentum supponit praemotionem physicam pertinere aut ad actum primum volitionis, ut praerequisitam; aut ad actum secundum volitionis, ut cum ea necessario connexam; *a.* neutrum est, sed praemotio physica est intermedia, via ab actu primo proximo ad actum secundum; *e.* — *R. c. maj.* — *n. min.* (quatenus praerequiritur ante volitionem, ut aliquid sine quo voluntas absolute non possit agere, pertinet ad actum primum; quatenus necessario connectitur cum effectu et dicitur via ad actum secundum, i. e. via a causa ad effectum, jam est ipsa productio effectus seu actio, et pertinet ad actum secundum; neque intelligi potest medium aliquod).

Objic. 2° Argumentum supponit ad veram libertatem requiri ut voluntas possit simul agere et non agere, in sensu composito; *a.* hoc non requiritur nisi in sensu diviso; *e.* — *R. d. maj.* supponit requiri in aliquo signo naturae, imo et temporis, simultaneitatem possibilitatum oppositarum, *c.* possibilitatem simultaneitatis oppositorum, *n.*; — *c. d. min.*;

Objic. 3° Ad salvandam veram libertatem sufficit, ut facultas ad utrumque oppositorum sit *de se* vere indifferens, aequaliter ad utrumque capax, aequa-

liter indeterminata, donec ad alterutrum determinetur; *a.* in systemate praedeterminantium talis est *de se* facultas, i. e. ante praemotionem physicam; et solum post praemotionem, propter hujus sensum compositum, facultas est ad unum necessario determinata; *e.* — *R. d. maj.* si ipsa insuper est domina suae determinationis ad unum, *c.*; secus, *n.* — *c. d. min.*

Propositio 46.

Deus libera futura judicans esse talia, non in causis immediatis tanquam in medio cognoscit.

Stat. quaest. 1) Ad eandem quaestionem respondebat Molina, a Deo voluntatem creatam liberam non solum comprehensive cognosci, sed etiam supercomprehensive; i. e. pro divinae scientiae infinita altitudine, posse de voluntate creata percipi non solum omnia quae de ea sunt vera et in ea fundata, sed etiam quae in ea nondum sunt fundata neque in ea cognoscibilia.

2) Molinistae fere omnes hanc Molinae explicationem deserunt, quanquam factum retinent cognitionis certae omnium tum absolute, tum conditionate futurorum.

3) Ad facilitatem probationis sint duae partes: *a.* non in causis immediatis comprehensive cognitis, — *b.* non... supercomprehensive cognitis.

Prob. 1^a pars (non comprehensive). Causae immediatae futurorum liberorum sunt voluntates creatae in actu primo proximo completae; *a.* etiam sic completae, voluntates liberae non sunt ad agendum vel non agendum determinatae, sed sunt active indifferentes ad alterutrum eligendum; *e.* etiamsi comprehensive cognoscantur, non tamen exhibent actum secundum certo cognoscendum vel concludendum.

Prob. 2^a pars (non... supercomprehensive). Hujus supercomprehensionis sensus est: 1) aut in libero arbitrio creato, prout per rationem suam idealem est objective in intellectu divino, plus esse cognoscibile, quam in libero arbitrio prout in se existit; — 2) aut divinum intellectum plus cognoscere in libero arbitrio, quam in illo, sive ut est in se, sive ut est idealiter in mente divina, cognoscibile est; *a.* utrumque est absurdum; *e.*

Ad min. 1 part. Sic liberum arbitrium creatum non est conforme aeterno suo exemplari in mente divina existenti, et jam: *a.* ars divina est imperfecta, *b.* intellectus divinus fallitur, ab iis quae sunt in exemplari concludendo ad ea quae sint in exemplato.

Ad min. 2 part. Sic cognitio divina excedendo suum objectum, deficeret a conformitate cum eo; *e.* esset falsa, et quidem falsitate positiva.

Schol. Neque possunt futura illa cognosci in suis effectibus; nam hi effectus nullam habent entitatem cognoscibilem nisi ex praesuppositis illis futuris.

Propositio 47.

Deus libera futura iudicans esse talia, cognoscit ea immediate in seipsis.

Stat. quaest. Molinistarum vix non omnium haec est sententia.

Prob. Divinus intellectus, utpote infinite cognitivus et actus purus, est vi essentiae suae determinatus ad cognoscendum quidquid habet veritatem quamcumque; *a.* libera futura, sive absolute sive conditionate, 1) non sunt purum nihil, 2) sed sunt in suo ordine realia et determinata, 3) et proinde verum objectivum fundamentum praebent cur cognosci possint immediate in seipsis; *e.*

Prob. min. Varii sunt ordines realitatum objectivarum: *a)* *ordo existentiae*, in quo praesentia sunt aliquid, futura et praeterita sunt nihil; — *b)* *ordo historicus*, in quo futura et praeterita sunt aliquid, futuribilia sunt nihil; — *c)* *ordo hypotheticus*, in quo futuribilia sunt aliquid, mere possibilia sunt nihil; — *d)* *ordo pure idealis*, in quo mere possibilia sunt aliquid, chimaerae sunt nihil; — *a.* ex his 1) libera conditionate futura, seu futuribilia, sunt quidem in ordine existentiae et in ordine historico nihil, sed in ordine hypothetico sunt realia (i. e. revera si verificaretur haec conditio, fieret iste actus realis); — 2) libera absolute futura, sunt quidem in ordine existentiae nihil, sed in ordine historico sunt tam realia et tam intrinsece cognoscibilia quam praeterita; *e.*

Propositio 48.

Deus libera absolute futura iudicans esse talia, ea etiam cognoscit in complexu scientiae mediae de futuritione conditionata, et decreti sui de procuranda conditione.

Stat. quaest. Etiam haec plerorumque Molinistarum est sententia.

Prob. Posita cognitione tali: 1) habetur fundamentum sufficiens objectivum; 2) nihil gratis praesupponitur; 3) salva integra est vera libertas creata; *e.*

Schol. 1^m Alia manet lis inter Molinistas, quomodo Deus haec sua decreta de procurandis conditionibus decernat; utrum scilicet decernat *ideo, quia* sic praevidet actum futuribilem, quem ipse praedifinierit debere libere fieri (Suarez). *Sed R.* Sic saepe Deus erit tentator in malum! — An potius decernat *tum quum* sed *non quia* sic praevidet... (Lessius). — Sed de hac fusius Theologi in tractatu de praedestinatione...

Schol. 2^m Quomodo concilianda praescientia divina certissima, cum libertate humana. — *R.* Cognitionis objectum suum supponit, non facit; *e.* praescientia Dei non est causa cur infallibiliter actus ponatur, sed veritas actus objective determinat infallibilem scientiam Dei; *e.* est necessitas cognitionis consequens ad veritatem actus futuri, non antecedens ad eam.

QUAESTIO 2.

De voluntate divina.

Propositio 49.

Deus seipsum vult tanquam objectum primum.

Notiones. 1) Esse in Deo veram et perfectissimam voluntatem, patet, nam *a)* voluntas sequitur intellectum, *b)* voluntas est perfectio simplex.

2) Voluntatis *objectum formale* seu *motivum*, est bonum quod ratione suae bonitatis movet voluntatem ad amorem sui; tale objectum est finis, nam amatur propter seipsum, et ratione ejus amantur reliqua. — Voluntatis *objectum materiale* est id in quod fertur actus, non ratione ipsius sed ratione alterius; tale objectum est medium.

3) Objectum formale seu primum nostrae voluntatis potest esse bonum honestum, vel delectabile, sive creatum sive increatum. — Quaeritur num Deo possit objectum formale esse bonum creatum, an solum bonum increatum.

4) Actus voluntatis prosecutivi sunt: complacentia in bono seu amor, desiderium, seu tendentia in bonum amatum absens, gaudium seu delectatio et quies in bono amato praesente. — In Deo est amor et gaudium, sed non desiderium.

Prob. 1. Deus a nullo alio pendere potest respectu beatitudinis; *a.* omnis voluntas pendet a suo objecto primario (fine) respectu beatitudinis; *e.* Deus tale objectum extra se nequit habere.

Ad min. Carentia rei quae ut finis appetitur cruciat.

Prob. 2^o Principale volitum volenti est causa volendi; *a.* Deus in nullo genere potest habere causam extra se; *e.*

Objic. Sicut se habet veritas secundaria ad intellectum, ita bonitas secundaria ad voluntatem; *a.* veritas secundaria potest immediate cognosci in seipsa; *e.* et bonitas secundaria amari propter se. — *R. n. maj.* (veritas potest aut determinare intellectum qui de se sit indeterminatus, et sic causare cognitionem; aut solum terminare cognitionem in intellectu qui de se sit determinatus ad cognitionem omnis veritatis; sed bonitas, ut finis, influit in voluntatem, eam sollicitat ad actum suum eliciendum...).

Propositio 50.

Deus volendo se, vult alia a se, tanquam objectum secundarium.

Notiones. 1) Amor Dei erga creaturas est: *a)* *amor effectivus* quo eis bonitatem infundit, easque vult esse; — *b)* *amor complacentiae* quo sibi in earum perfectionibus complacet, et in earum contemplatione et commercio gaudet et beatus est (cfr. S. Thom. c. Gent. l. 1. c. 45).

2) *Volendo se, vult...*, i. e. ideo quia seipsum amat etiam alia amat, existentia amore effectivo, possibile et existentia amore complacentiae.

Prob. 1° Quod propter seipsum amamus, volumus esse perfectissimum, semper augeri et multiplicari quantum fieri potest; *a.* Deus suam essentiam a) amat propter seipsam, b) et videt augeri ac multiplicari posse quidem, sed non aliter nisi per creaturas eam analogice participantem, et imitantes; *e.*

Prob. 2° Divina voluntas ordinatissima et sanctissima, vult et amat res omnes pro earum ordine essentiali; *a.* res creatae vel creabiles, secundum naturalem et insitum ordinem referuntur, ut exemplatae imitationes, ad divinas perfectiones, ut exemplaria, manifestandas et glorificandas; *e.*

Objic. Deus amat creaturas amore benevolentiae; *a.* quod amore benevolentiae, hoc non ut medium ad finem, sed ut finis propter se amatur; *e.* — *R. c. maj.* — *d. min.* non ut medium ad utilitatem et commodum amantis, *c.*; ut finis propter se, simul excludendo rationem ordinis et honestatis naturaliter et necessario insitam, *n.*

Propositio 51.

Deus necessario seipsum vult et amat.

Stat. quaest. De necessitate specificationis patet. — Quaeritur de necessitate interna exercitii.

Prob. 1° Ultima perfectio voluntatis (fruitio, gaudium...) est de ratione perfectae et integrae beatitudinis; *a.* Deus est necessario beatissimus; *e.*

Ad maj. Disputatur quidem utrum sola visio Dei, an visio simul et amor sit formalis essentia beatitudinis; sed in utraque sententia pertinet amor saltem ad integritatem et perfectionem beatitudinis.

Prob. 2° Divina bonitas est objectum formale adaequatum divinae voluntatis, et ab intellectu divino perfecte propositum; *a.* nulla facultas potest esse indifferens circa objectum suum formale adaequatum convenienter propositum; *e.*

Prob. 3° Voluntas Dei sanctissima, non potest non amare quod intellectus ut absolute, propter se, et infinito amore amandum proponit; *a.* hoc de divina bonitate obtinet; *e.*

Prob. 4° Voluntas Dei non est potentia, sed necessario actus purus ultimus volendi; *a.* non potest esse actus volendi sine objecto proprio formali (quod hic est sola bonitas Dei); *e.*

Objic. Voluntas divina habet summum imperium et libertatem actuum suorum; *e.* — *R. d. ant.* circa res contingentes (quae nec requiruntur ad ejus beatitudinem, nec pertinent ad ejus objectum formale, sed sunt media indifferentia, et sine violatione ordinis moralis possunt non amari), *c.*; circa suam bonitatem, *n.*

Inst. Melior est libertas et dominium operationis, quam necessitas et dependentia ab objecto. — *R. d.* in bonis relativis et mediorum applicatione, *c.*; in bono absoluto, *n.* (v. c. potestas moriendi non est melior immortalitate).

Propositio 52.

Deus res alias libere vult vel amat.

Stat. quaest. 1) De libertate a coactione externa, patet. — Quaeritur de libertate a necessitate interna.

2) Non quaeritur utrum Deus necessario res a se creatas amet, necessariis instruat, etc...; haec patent de Deo sapientissimo. — Sed quaeritur utrum Deus interna necessitate voluerit amore effectivo ut creaturae essent, et tales essent (cfr. Kleutgen, philos. n° 490 sqq.).

Prob. 1° Medium non necessario cum fine conjunctum non necessario amatur; *a.* creaturae non necessario conjunguntur ut media cum Dei bonitate et beatitudine; *e.*

Prob. 2° Si voluntas Dei esset non libera, esset determinata necessario aut ad omnia possibile, aut ad nulla, aut ad aliqua certa; *a.* nihil horum; *e.*

Ad min. 1) *non ad omnia* : secus omnia necessario existerent.

2) *non ad nullum* : nihil posset existere.

3) *non ad certa aliqua* : nulla esset ratio talis intrinsecae necessitatis.

Objic. 1° Qui amat seipsum perfecte, amat etiam ea quae se decet; *a.* Deus amat seipsum perfecte, et decet eum esse actu beneficium; *e.* — *R. d. maj.* amat ea in quantum decet, i. e. amat necessario ea quae necessaria sunt ad decentiam, et libere ea quae contingentia sunt ad decentiam, *c.*; secus, *n.* — *c. d. min. 2 part.* decet, i. e. necessarium est ad decentiam, *n.*; contingens est, *c.* (nam est haec denominatio extrinseca, quatenus terminatur ad extra).

Objic. 2° Qui seipsum amat amore perfectissimo, vult sibi bona tam extrinseca quam intrinseca; *e.* Deus vult necessario suam gloriam extrinsecam. — *R. d. ant.* si qua bona extrinseca possint conferre ad suam beatitudinem vel perfectionem, *c.*; secus, *n.*

Objic. 3° Nullum attributum divinum potest manere in potentia, carendo suo fine; *a.* sine creatione manerent v. c. liberalitas, justitia, misericordia, dominium...; *e.* — *R. d. maj.* in potentia a parte sui principii, seu subjective, *c.*; a parte termini, seu per denominationem extrinsecam, *n.*; — *c. d. min.*

Objic. 4° Benignitas, i. e. inclinatio ad benefaciendum alteri, in Deo est infinita; *a.* ubi inclinatio infinita, ibi libertas, i. e. indifferentia, nulla; *e.* — *R. d. maj.* inclinatio necessitans, *n.*; libera, *c.* — *c. d. min.*

Propositio 53.

Perfectae Dei immutabilitati non obstat perfecta ejus libertas.

Stat. quaest. 1) Certum est ex praecedentibus a) Deum, ut ens infinitum habere voluntatem perfectam, — b) ut actum purum, habere voluntatem non otiosam et suspensam, sed in actu secundo volentem, — c) ut ens infinitum, habere summe perfectam libertatem circa omnia extra seipsum; nam haec est

perfectio simplex viventis. — Sed quaeritur conciliatio inter illa, estque haec solutio crux philosophorum.

2) Conciliationem dicimus quaerendam esse ex analysi libertatis in genere, et speciatim divinae.

Libertas indifferentiae de qua hic est sermo, est activa indifferentia voluntatis, qua, positis omnibus ad agendum requisitis, voluntas potest se indifferenter determinare ad agendum vel non agendum; seu est vis activa voluntatis sui ipsius determinativa ad utrumlibet oppositorum.

Ergo libertas includit: a) in sensu composito plenae et proximae sufficientiae ad agendum, b) indeterminationem voluntatis ad agendum vel non agendum, c) sufficientiam seipsam per seipsam extrahendi ex hac indeterminatione.

Ergo libertatis exercitium formale, seu principiative sumptum, est activa determinatio qua voluntas se determinat ad agendum vel non agendum; — et *exercitium consequens*, seu terminative sumptum, est ipse terminus seu actus in quem voluntas se active determinans tendit.

3) Dicimus: a) exercitio formali libertatis nullam importari mutationem nec in Deo nec in creata voluntate ulla; b) exercitio consequente libertatis importari mutationem in creata voluntate quidem, sed non in divina. — Sint igitur hae duae partes probandae; ex quibus concludenda erit propositio.

Prob. 1^a pars (exercitium formale). 1^o A nulla causa potest procedere aliquis effectus novus, ac mutatio, nisi prius natura fuerit illa causa determinata ad agendum; a. in exercitio formali libertatis, voluntas, nondum est determinata, sed determinatio illa ultima est ipsum exercitium formale; e. haec determinatio non est effectus novus et mutatio producta.

Prob. 2^o Si activa haec determinatio esset aliquis novus effectus realis, voluntas libera debuisset eum producere active et libere, et proinde ad hoc se determinasse; a. sic abitur in infinitum et nunquam fit actio libera; e.

Prob. 2^a pars (exercitium consequens). Terminus in quem immediate tendit voluntas active se determinans, est in creatura actus eliciendus immanens, sed in Deo (est ad intra Spiritus consubstantialis non productus sed procedens) ad extra sunt res contingenter et libere productae; a. sic in creata voluntate est quidem mutatio, sed in divina nulla est; e.

Ad maj. 1) Creatura de se est in potentia ad suum bonum et proinde ad suum actum voluntatis quo vel bono uniatur vel ad ipsum tendat.

2) De vita Dei ad intra per processionem duplicem: consubstantialis Filii per intellectum, et consubstantialis Spiritus per voluntatem, ex philosophia nihil, ex theologia aliquid docemur.

3) Voluntas divina est per essentiam actualissimum suum bonum intime possessum; e. effectus novus contingenter sequens ex libera determinatione activa nequit esse determinatio voluntatis passiva, immanens, sed debet esse aliquid ad extra productum, cui fiat communicatio aliqua bonitatis divinae.

Schol. Hanc conciliationem varii varie tentarunt, v. g.:

1^o *Aureolus*. Deum velle, amare aliquid extra se, sunt denominationes mere extrinsecae; nam Deus constituitur formaliter liber et volens creaturam, ipsa productione reali externa seu actione transeunte et ipso effectu producto, quatenus a Deo provenit; e. nullam mutationem importat in ipso Deo.

Sed R. Falsum! nam 1) Deus vere vult et amat creaturas; a. velle, amare, gaudere, etc. sunt actus vitales, intrinsecus denominantes subjectum amans, volens; — 2) repugnat agentem indifferentem se determinare ad agendum ipso effectu vel productione externa; — 3) Deus ab aeterno est volens, productio transiens est temporalis; — e. haec sententia tollit et volitionem, et libertatem.

2^o *Cajetanus*. Actus voluntatis liber consistit in perfectione quadam Deo interna, non intensiva, sed extensiva et voluntaria, i. e. quae sine imperfectione posset a divina voluntate deficere, quia opposita volitio non esset imperfectio; et proinde novam realitatem addit, quae tamen realitas, quatenus perfectionem dicit, jam eminenter praecontinebatur in perfectione necessaria Dei.

Sed R. Falsum! nam 1) haec perfectio libera, defectibilis, aut distinguitur realiter aut virtualiter a perfectione Dei necessaria; a. si realiter, tollitur simplicitas et necessitas Dei; si virtualiter, nequit esse perfectio defectibilis; — 2) omnis perfectio Dei interna est infinita et ipse Deus; e. si qua adesset perfectio contingens, ipse Deus esset contingens; — 3) perfectio defectibilis involvit imperfectionem; e. Deo non convenit.

3^o *Platel, etc.* Divina volitio completur in esse volitionis liberae per aliquem terminum realem Deo extrinsecum, vi illius contingenter existentem.

Sed R. Falsum! nam 1) prius natura, quam effectum producat, debet causa esse complete et adaequate constituta; et repugnat causam constitui suo effectu; a. quidquid est extra Deum, est effectus liberae volitionis divinae; e. — 2) denominatio liberae voluntatis est Deo interna; e. debet adaequate provenire a forma interna; — 3) denominatio nequit esse anterior quam forma denominans; a. Deus est ab aeterno volens et amans, effectus vero est ex tempore; e.

4^o *Suarez, etc.* Actus Dei liber est ipse actus divinae voluntatis necessarius, pro nutu suo respiciens terminum contingentem. Non igitur in hoc est libertas Dei quod actus possit esse vel non esse, vel aliter et aliter esse, sed quod volitio substantialis boni infiniti possit sine ulla mutatione protendi ad terminos varios *materiales*, manente tamen semper termino volitionis *formali*; nam a) quod perfecte cognoscitur et amatur, secundum totam suam virtutem cognoscitur et amatur; a. virtus ipsius finis (i. e. Dei) non est solum ut ipse secundum se ametur, sed et ut alia fiant appetibilia propter ipsum; e. qui perfecte amat finem, utroque modo eum amat; a. nequit poni in Deo actus imperfectus; e. — b) volitio Dei infinita, sufficiens est ad attingenda omnia volibilia pro suo quodque gradu et merito; e. in ejus actu est tota actualitas necessaria, ut amet Deus seipsum propter se, ut finem, necessario, quia hoc

exigit sua bonitas; et alia propter seipsum, ut media, libere, quia non aliter exigit objecti bonitas.

Sed R. Haec est ipsa nostra sententia, clare enuntiata, pulchre evoluta; sed non sufficienter ostendens *quomodo* per eam concilientur libertas et necessaria immutabilitas.

Objic. 1° Volitio libera, ut sic, potest non esse; *a.* nihil Deo adaequate intrinsecum potest non esse; *e.* — *R. d. maj.* volitio libera in essendo (quae possit esse vel non esse), *c;* necessaria in essendo, sed libera in respiciendo terminum externum, *sd.* potest non esse directa ad hunc vel alium terminum, *c;* potest non existere, *n;* — *c. d. min.*

Objic. 2° Ex data explicatione conciliationis, sequitur eundem actum Dei necessarium adaequate identificari cum duobus actibus realiter impossibilibus, *v. c.* volitione et nolitione hujus mundi. — *R. d.* eundem actum esse simul volitionem et nolitionem, *n;* eundem actum non mutatum posse vel terminari ad mundum, et velle; vel non terminari, et nolle, *c.*

Objic. 3° Sequitur saltem volitionem et nolitionem in Deo esse formaliter idem, nam essent formaliter idem cum uno tertio (volitione necessaria). — *R. d. assert.* absolute in se, in essendo, *c;* terminative, in objecto causando, *n;* — *d. par. rat. add.*

Objic. 4° Sequitur saltem causam formalem adaequatam qua Deus constituitur volens, posse esse sine effectu formali (ita ut sit nolens). — *R. n. supp.* Deus non constituitur volens mundum per volitionem prout est immanens, sed prout haec volitio libere terminatur ad extra).

Objic. 5° Voluntas Dei, prout est indifferens ad utrumque, est in potentia; *e.* debet determinari ut fiat actus, et mutatur. — *R. d. ant.* si est indifferens ex defectu determinationis, *c;* si ex plenitudine determinationis, *n.* — *d. cons. 1^m part.* ut fiat actus si erat in potentia, *c;* secus, *n.* — *Ad 2^m part. n. supp.* (efr. argumentum propositionis).

CAPUT IV.

DE ACTIVITATE DEI AD EXTRA.

Postquam Dei intimam naturam tum in essendo tum in agendo immanenter ac vitaliter scrutati sumus, manet ut Deum in ordine ad effectus suos et activitatem ad extra contemplemur. Quae contemplatio secundum tria praecipua capita poterit institui, quum de mundi ipsa existentia quaeri possit sive quoad primum ortum sive quoad perseverantiam in existentia, quae erit quaestio de creatione et conservatione; tum vero de mundi dependentia a Deo in sua activitate naturali, quam dicemus quaestionem de concursu divino; ac tandem de mundi ordinata gubernatione, ad finem suum attingendum sive immedia-

tum naturalemque, sive mediatum supernaturali aliqua exceptione ultimum. Sit proinde :

Quaestio 1. De creatione et conservatione.

Quaestio 2. De concursu divino.

Quaestio 3. De providentia divina.

QUAESTIO 1.

De creatione et conservatione.

In prima vero hac quaestione varia includuntur; anquirendum enim primo erit cui causae efficienti competere possit actus creationis, seu quam sit Dei proprius; dein ipse actus creationis formaliter seu principiatively inspectus quid sit; postea idem actus terminative spectatus, seu effectus creationis in seipso qualis necessario sit; tandem hujus actus creativi quis Deo dignus ac necessarius finis fuerit. Erunt igitur :

Articulus 1. De causa efficiente creationis.

Articulus 2. De actu creativo.

Articulus 3. De effectu creationis.

Articulus 4. De causa finali creationis.

Articulus 5. De conservatione.

ARTICULUS 1.

De causa efficiente creationis.

Propositio 54.

Deo competit vis creandi.

Prob. 1° Creatio est productio rei ex nihilo sui et subjecti; *a.* non omnia possunt esse producta ex aliquo subjecto; *e.* debuit creari aliquod primum a Deo.

Ad min. Cfr. supr. propp. 6 et 7.

Prob. 2° Dependere in operando a materia et ejus potentia passiva, est magna imperfectio; *a.* haec in Deo esse nequit; *e.*

Propositio 55.

Nulli creaturae potest ut causae principali convenire actio creativa. ®

Stat. quaest. 1) Plura sunt hic implicite asserta distinguenda :

- a) nullam creaturam habere de facto vim sibi naturalem creandi;
- b) nullam creaturam de facto creavisse quidquam, neque in prima rerum constitutione, neque per decursum temporis;
- c) non posse ulli creaturae, etiam de potentia absoluta, tribui virtutem creandi omnia possibilea (quum ad hoc requireretur potentia infinita);

exigit sua bonitas; et alia propter seipsum, ut media, libere, quia non aliter exigit objecti bonitas.

Sed R. Haec est ipsa nostra sententia, clare enuntiata, pulchre evoluta; sed non sufficienter ostendens *quomodo* per eam concilientur libertas et necessaria immutabilitas.

Objic. 1° Volitio libera, ut sic, potest non esse; *a.* nihil Deo adaequate intrinsecum potest non esse; *e.* — *R. d. maj.* volitio libera in essendo (quae possit esse vel non esse), *c;* necessaria in essendo, sed libera in respiciendo terminum externum, *sd.* potest non esse directa ad hunc vel alium terminum, *c;* potest non existere, *n;* — *c. d. min.*

Objic. 2° Ex data explicatione conciliationis, sequitur eundem actum Dei necessarium adaequate identificari cum duobus actibus realiter impossibilibus, *v. c.* volitione et nolitione hujus mundi. — *R. d.* eundem actum esse simul volitionem et nolitionem, *n;* eundem actum non mutatum posse vel terminari ad mundum, et velle; vel non terminari, et nolle, *c.*

Objic. 3° Sequitur saltem volitionem et nolitionem in Deo esse formaliter idem, nam essent formaliter idem cum uno tertio (volitione necessaria). — *R. d. assert.* absolute in se, in essendo, *c;* terminative, in objecto causando, *n;* — *d. par. rat. add.*

Objic. 4° Sequitur saltem causam formalem adaequatam qua Deus constituitur volens, posse esse sine effectu formali (ita ut sit nolens). — *R. n. supp.* Deus non constituitur volens mundum per volitionem prout est immanens, sed prout haec volitio libere terminatur ad extra).

Objic. 5° Voluntas Dei, prout est indifferens ad utrumque, est in potentia; *e.* debet determinari ut fiat actus, et mutatur. — *R. d. ant.* si est indifferens ex defectu determinationis, *c;* si ex plenitudine determinationis, *n.* — *d. cons. 1^m part.* ut fiat actus si erat in potentia, *c;* secus, *n.* — *Ad 2^m part. n. supp.* (efr. argumentum propositionis).

CAPUT IV.

DE ACTIVITATE DEI AD EXTRA.

Postquam Dei intimam naturam tum in essendo tum in agendo immanenter ac vitaliter scrutati sumus, manet ut Deum in ordine ad effectus suos et activitatem ad extra contemplemur. Quae contemplatio secundum tria praecipua capita poterit institui, quum de mundi ipsa existentia quaeri possit sive quoad primum ortum sive quoad perseverantiam in existentia, quae erit quaestio de creatione et conservatione; tum vero de mundi dependentia a Deo in sua activitate naturali, quam dicemus quaestionem de concursu divino; ac tandem de mundi ordinata gubernatione, ad finem suum attingendum sive immedia-

tum naturalemque, sive mediatum supernaturali aliqua exceptione ultimum. Sit proinde :

Quaestio 1. De creatione et conservatione.

Quaestio 2. De concursu divino.

Quaestio 3. De providentia divina.

QUAESTIO 1.

De creatione et conservatione.

In prima vero hac quaestione varia includuntur; anquirendum enim primo erit cui causae efficienti competere possit actus creationis, seu quam sit Dei proprius; dein ipse actus creationis formaliter seu principiatively inspectus quid sit; postea idem actus terminative spectatus, seu effectus creationis in seipso qualis necessario sit; tandem hujus actus creativi quis Deo dignus ac necessarius finis fuerit. Erunt igitur :

Articulus 1. De causa efficiente creationis.

Articulus 2. De actu creativo.

Articulus 3. De effectu creationis.

Articulus 4. De causa finali creationis.

Articulus 5. De conservatione.

ARTICULUS 1.

De causa efficiente creationis.

Propositio 54.

Deo competit vis creandi.

Prob. 1° Creatio est productio rei ex nihilo sui et subjecti; *a.* non omnia possunt esse producta ex aliquo subjecto; *e.* debuit creari aliquod primum a Deo.

Ad min. Cfr. supr. propp. 6 et 7.

Prob. 2° Dependere in operando a materia et ejus potentia passiva, est magna imperfectio; *a.* haec in Deo esse nequit; *e.*

Propositio 55.

Nulli creaturae potest ut causae principali convenire actio creativa. ®

Stat. quaest. 1) Plura sunt hic implicite asserta distinguenda :

- a) nullam creaturam habere de facto vim sibi naturalem creandi;
- b) nullam creaturam de facto creavisse quidquam, neque in prima rerum constitutione, neque per decursum temporis;
- c) non posse ulli creaturae, etiam de potentia absoluta, tribui virtutem creandi omnia possibilea (quum ad hoc requireretur potentia infinita);

d) non posse dari virtutem quae, actione a Deo omnino independente, ut causa unica et integra, vel minimum creet;

e) non posse, etiam de potentia absoluta, communicari creaturae virtutem ut creet tanquam causa principalis secunda, quae scilicet agat dependenter a prima.

2) Ex his, de a) b) c) d) jam nulla manet lis inter eos qui creationem admittunt; fuit lis olim contra Arianos, et Arabes (Avicennam). — Sed probandum manet ultimum : e).

Notiones. 1) *Causa principalis efficiens* ea est quae vi propriae formae (essentiae vel accidentis), determinat existentiam alicujus effectus. — Huic opponitur *causa instrumentalis efficiens*, i. e. ea quae ad productionem effectus concurrunt vi propriae formae, sed a) mota seu applicata ad agendum ab alio quod est causa principalis, b) ita ut ipsa, vi sua, non determinet existentiam perfectionis propriae hujus effectus, sed aliquid minus, virtuti suae respondens.

2) Confundi non debet causa principalis cum causa prima : haec est agens a se et independens, solus Deus; illa esse potest causa secunda, agens dependenter a Deo. — Cfr. Suar. Met. d. 20. §. 2.

Prob. Ille solus creare potest : 1) qui habet plenum et absolutum dominium in ens, ut sic; — 2) qui ipse est absolute independens ab omni ente, ac proinde ens a se et necessarium; — 3) qui est ens infinite perfectum; — a. solus Deus talis est; e.

Ad maj. 1^m part. Qui creat, disponit de ente, ut sic, cum maxima efficacia quae sit possibilis, faciens ens quod nullo modo erat.

Ad 2^m part. Qui creat, facit ens, ut sic, sine auxilio ullius entis praejacentis; a. qui ita agit, est independens ab omni ente, et est anterior omni ente creabili, ac proin improductus, a se, necessarius; e.

Ad 3^m part. Qui creat, seu facit ens, ut sic, potest aequè producere quodcumque ens possibile (nam omnis determinatio entis est et ipsa ens, ac proin attingitur a potentia quae producat ens, ut sic); a. qui potest producere omne ens possibile, jam in se praecontinet eminenter omnem perfectionem possibilem (nam nemo dat quod non habet), ac proin est infinite perfectus; e.

Propositio 56.

Nulli creaturae potest ut causae instrumentali convenire actio creativa.

Prob. 1^o Ut instrumentum non potest assumi nisi id quod per aliquid sibi proprium cooperetur in effectum causae principalis; a. nulla creatura potest cooperari ad effectum Dei creantis; e.

Ad maj. Causa instrumentalis : 1) est *vere efficiens*, et varia pro variis operationibus; e. requiritur ut aliquid ab ea sibi proprium influatur in effectum, seu ut operetur per aliquid sibi proprium; — 2) est *secundaria*, seu est medium sub causa principali; e. id quod ab ea influatur in effectum nequit esse

ipsa perfectio specifica operis, vel ipsum opus, sed tantum dispositio quaedam secundaria, v. c. sculptrum duritie sua scindit lignum, rodit assulas, levigat statuas.

Ad min. Creatura 1) potest quidem influere, operari per aliquid sibi proprium, per propriam naturam;

sed 2) non potest, circa creationem alicujus rei, dispositionem dare secundariam qua res fiat creata; nam : creatio est productio rei ex nihilo sui et subjecti; e. non est subjectum quod disponatur ad accipiendum hunc effectum, nec divisibilis est effectus (existentia) in aliquid principale et aliquid secundarium.

Prob. 2^o Actus quo creatura aliqua concurreret ad creationem ut causa efficiens instrumentalis, aut esset transiens, aut immanens; a. neutrum dici potest; e.

Ad min. 1 part. (non transiens). Supponi deberet subjectum in quod transeat actio dispositiva secundaria instrumenti; a. in creatione hoc repugnat; e.

Ad 2 part. (non immanens). Iste actus esset voluntatis, et quidem aut Deum moventis [orando etc...] ad creandum, aut ipsam rem creatam efficientis; a. si primum, non est causa physice cooperans, sed causa moralis; si secundum, attingit effectum totum, ens, ut sic, et est causa principalis, non instrumentalis; e.

ARTICULUS 2.

De actu creativo.

Propositio 57.

Actio Dei creativa est actio formaliter immanens.

Stat. quaest. 1) Quaeritur quomodo actio Dei creativa communicet esse creaturis, seu : utrum sit formaliter immanens an formaliter transiens.

2) In quolibet effectu considerari potest : a) ejus habitudo ad causam a qua procedit; — b) ejus habitudo ad subjectum in quo recipitur; — c) ipsum fieri effectus, seu effluxus ab agente, qui est medius inter effectum et causam : — hic effluxus est motus qui relate ad causam dicitur actio, relate ad subjectum, passio (cfr. Sylv. Maur. q. 20 de actione).

3) *Affirmat Suarez* dari effluxum, verum, realem et absolutum, qui quatenus producit creaturam, a qua formaliter (i. e. ratione) tantum distinguitur, vocatur creatio activa; quatenus vero ab eo creatura esse incipit, dicitur creatio passiva; — ergo actio creativa est vera actio quae licet sit aliquid medium inter creatorem et illam creaturam quae est creationis terminus, non tamen est quid medium inter creatorem et creaturam absolute sumptam, nam haec ipsa actio creativa est quaedam creatura; ac proinde :

a) volitio divina non est ipsa creatio, sed principium creationis;

b) actio creativa formaliter sumpta est ipsum fieri creaturae, seu est effluxus

a Deo; quum autem hic effluxus sit extra Deum, creatio est actio formaliter transiens, quippe quae habet terminum factum extra causam agentem;

c) ergo creatio est aliquid in re creata, habens propriam entitatem, sed solum ab illa distinctam tanquam modum ejus, i. e. creatio est modus creaturae; — (Cfr. Suar. Met. d. 20. ss. 4, 5.)

d) ergo creatio activa est ille influxus ut emanans ex actu voluntatis divinae, nam creatio activa est illud quo formaliter principium creans communicat esse creaturis; a. illud est influxus ut emanans ab actu divinae voluntatis;

e) ergo creatio passiva est idem influxus prout eo creaturae recipiunt esse, et passive producantur; secus esset relatio realis creaturae ad creatorem; sed haec non concipitur nisi postquam creatura jam esse recepit: insuper relatio quum sit realis requirit fundamentum, quod aliud esse nequit quam creatio passiva;

f) ergo creatio est actio formaliter transiens; nam creatio est verus influxus divinae voluntatis; a. influxus ille vel est aliquid in Deo, vel in creatura; a. non potest esse aliquid in Deo; etenim influxus ibi sit oportet, ubi influit; non vero influit in Deum, sed extra Deum.

4) Negat S. Thomas talem effluxum dari, advertit enim actionem de Deo et de creatura praedicari aequivocae; annumeratis inter eas sex differentiis, quarum una est: «actio agentis, qua facit sibi simile, est aliquid egrediens ab agente in patiens; quod in Deo locum non habet, quia ejus actio est ejus substantia.» Cfr. opusc. 7. — Comm. in lib. de divin. 1. 2; — ac proinde:

a) divina voluntas est principium creaturae, non creationis (c. Gent. 2. 10);
b) creatio est ipsa divina substantia, ac proin est formaliter immanens (ib. 35);

c) creatio in creatura non est nisi relatio quaedam ad creatorem ut ad principium sui esse (1 p. q. 45. a. 3);

d) est quidem creatio activa *formaliter immanens*, quatenus respectu entitatis suae est aliquid intra Deum, identificatum cum ejus substantia; — non tamen est *simpliciter immanens*, sed *virtualiter transiens*, quatenus ex infinita sua perfectione virtutem habet ut ex ipsa, non mutata, creaturae procedant extra Deum (de pot. q. 10. a. 1);

e) ergo creatio, in ratione actionis, nihil est in creatura, sed est ipsemet actus divinae voluntatis quo res ad extra producantur;

f) ergo creatio activa designat Dei actionem quae est ejus Essentia, cum relatione ad creaturam (de pot. q. 3. a. 3). Ergo Dei volitio potest dici principium creationis passivae, at non activae; siquidem est ipsa creatio activa, quatenus ei conjungitur connotatio relationis ad creaturam;

g) ergo creatio passiva nihil aliud est realiter quam relatio quaedam ad Deum cum novitate essendi (ib.);

h) relatio datur inter Deum et creaturam: α' realis in creatura, nam dantur duo termini reales realiter distincti (Deus et creatura); et fundamentum relationis est reale in creatura (ipsum esse receptum); β' rationis in Deo, nam nihil ei reale per creationem advenit (1 p. q. 13. a. 7. c.);

i) ergo Deus est realiter Dominus creaturarum, nam eo modo dicitur dominus, quo creatura est ei subjecta; a. relatio subjectionis est in creatura realis (ib. ad 5).

5) Igitur: a) si per actionem transeuntem intelligas illam quae habet terminum extra agentem, ita in utraque sententia creatio est actio transiens;

b) si illam intelligas quae recipitur in subjecto praeeistente, ita in neutra sententia creatio est actio transiens;

c) si illam intelligas quae est medium inter agentem et terminum, ita Suarez affirmat, S. Thomas negat creationem esse actionem transeuntem formaliter.

Prob. 1° Si actio creativa non est idem cum divina essentia, sed aliquid ab ea realiter distinctum, ac medium inter creatorem et creaturam, id esset aut in creatore, aut in creatura; a. neutrum; e.

Prob. min. 1 part. (non in creatore). 1) In Deo non potest aliquid esse ad modum accidentis; e. in Deo sua actio non aliud est a sua substantia et a sua potentia (Gent. 2. 7).

2) Juxta adversarios actio creativa dicenda esset formaliter transiens ideo quia sit aliquid a Deo formaliter distinctum quod ab eo velut egredietur; a. si maneret in ipso Deo, non ab eo egrederetur; e.

Prob. 2 part. (non in creatura). In instante illo medio terminus creationis nondum concipitur esse (nam eo ipso quod est actionis terminus, concipitur esse in instante posteriore); a. quod nondum concipitur esse, nec concipi potest ut recipiens aliquid; e. (Gent. 2. 16).

Prob. 2° Actio formaliter transiens, utpote effluxus quidam medius inter causam agentem et effectum, proprie est motus; a. in creatione non datur motus; e.

Ad min. 1) Motus est actus existentis in potentia; a. ante creationem nihil est in potentia; e.

2) Realis motus requirit duos terminos reales; a. in creatione terminus a quo est nihil; e.

Objic. In creatione habetur vera actio seu effectio (i. e. actus divinae voluntatis, utpote principium immediatum efficiens creaturarum, vere eas facit): et ista actio concipitur a) aut quatenus est volitio divina immanens formaliter sumpta, b) aut ut relatio rationis creatoris ad creaturam, c) aut ut absolutus et realis influxus principii efficientis in rem effectam; a. non a) nec b); ergo solum c).

Prob. min. 1 part. (non a). 1) Volitio divina formaliter sumpta est principium creationis, non ipsa creatio; 2) volitio est aeterna, creatio temporanea; e.

Prob. min. 2 part. (non b). 1) Secus, creare nihil aliud esset formaliter, quam Deum referri ad creaturas; a. referri ad creaturas supponit creaturas esse; quod falsum; e.

2) Intelligi nequit quomodo ens rationis, qualis est relatio rationis creatoris

ad creaturas, possit esse illud quo formaliter Deus producat creaturas; *e*.

R. *d. maj. 1 part.* vera actio (seu facit) sensu univoco cum actione et effectione causarum secundarum, *n*; analogo sensu, *c*. — *c. 2 part.* — *ad min. n. 1 part.* — *c. 2 part.*

Ad prob. min. 1 part. : ad 1) n; seu *d.* principium creationis passivae, *c*; activae, *n*. — *ad 2) d.* creatio passiva est temporanea, *c*; activa, *n*.

Ad prob. min. 2 part. c. tot.

Coroll. 1^m Ergo etiam potentia Dei seu omnipotentia formaliter est ipsa voluntas Dei; nec differt nisi per connotationem termini extrinseci.

Coroll. 2^m Ergo de creatione male sentiunt aliqui dicentes :

- a) Creatio est *transitus* rei a statu ideali ad statum realem.
- b) Creatio habetur quoties *producimus* actum liberum; et similiter Deus mundum creans, educit eum non ex nihilo sed ex sua potentia causalitatis (Cousin).
- c) Creatio est individuatio entis jam existentis.
- d) Creare est actuare formaliter essentiam rei in Deo realiter contentam.
- e) Actio creandi est actus Dei, quo Deus actuando seipsum ut ens eminens, v. c. hominis, hominem formalem a seipso formaliter distinguit, negat et excludit, ac extra se actuat et ponit.
- f) Creatio sic explicari potest : Deus ipso actu speciali, quo se intelligit et vult tanquam distinctum a determinata creatura, homine v. g. creaturam producit.
- g) Res creatae sunt in Deo tanquam pars in toto, non quidem formali, sed in toto infinito, simplicissimo, quod suas quasi partes absque ulla sui divisione vel diminutione extra se ponit.

ARTICULUS 3.

De effectu creationis.

Propositio 58.

Mundus non potest ab aeterno creatus esse.

Stat. quaest. 1) Nullam esse necessitatem creationis ab aeterno, unanimes dicunt omnes qui creationem admittunt, quia necessitas talis neque a Deo libero, neque a mundo contingenti, neque a natura actus creativi oriri potest.

2) Si quaeritur quando creatus sit mundus, de facto, respondent similiter unanimes : cum tempore reali, seu aliquando, non ab aeterno.

3) Sed circa possibilitatem intrinsecam creationis ab aeterno dissentiunt : affirmant possibilitatem S. August, S. Thom, et scholastici plures; negant SS. Patres multi, S. Bonav, Alb. M, Tolet, Petav, et recentiores plurimi.

Prob. 1^o Totus mundus est successivus (etiam res permanentes habent

formaliter successivas durationes); *a.* series successionum seu rerum successivarum non potest creari ab aeterno; *e.*

Prob. min. 1^o (*de serie generationum succedentium*). Talis series, v. g. hominum, creari non potuit nisi determinatus aliquis homo crearetur a quo ceteri generarentur; *a.* ille determinatus debuit esse primus in sua serie, ipse non generatus, sed creatus, ac proin non in serie aeterna.

ad maj. Non possunt singuli creari totaliter a Deo, ubi generantur ab alio praecedente; nec potest terminari actus positivus Dei creativus ad aliquem indeterminatum.

Prob. min. 2^o (*de rebus permanentibus*). Etiam in talibus creatis rebus distingui possunt instantia successiva; *a.* ubi sunt instantia successiva, debuit aliquando esse unum instans primum; *e.*

ad min. In instante creationis non potest res annihilari; *a.* in omni instante posteriori potest res annihilari; *e.* instans creationis nullo alio est posterius, seu ipsum est primum unum quo res a non esse incipit esse.

Prob. 2^o Mundus ab aeterno creatus haberet nunc durationem successivam actu infinitam; *a.* haec repugnat; *e.*

Prob. min. 1) Talis duratio esset natura sua indestructibilis, nam non potuisset destitui ab aeterno (quia creata ab aeterno; *a.* repugnat simul creari et destitui); nec potuisset destitui in tempore (quia ante illud instans jam peracta esset infinita duratio, ac proin non destructa).

2) In tali duratione essent designabilia saecula vel horae multitudine actu infinita; *a.* haec repugnat; *e.*

3) Talis duratio infinita perveniens in hunc praesentem diem posset novo die augeri; *a.* repugnat infinitum quod possit *a*) ita pertransiri, et *b*) ita in eodem ordine augeri; *e.*

Objic. Aeterna creatio nec a parte Dei, nec a parte mundi, nec a parte actus creativi repugnat; *e.*

Ad ant. 1 part. Deus est aeternus et omnipotens.

Ad ant. 2 part. *a)* Essentia mundi abstrahit ab omni duratione, nullam (temporalem) essentialiter includit; *b)* nulli parti durationis successivae essentialiter est esse primam, sed omnis pars potest esse altera posterior.

Ad ant. 3 part. *a)* Causa debet esse prior natura suo effectu, non necessario prior duratione, ubi actio fit instantanea, sicut in creatione; — *b)* creatura debet habere esse ex nihilo, non necessario esse post nihilum.

R. *c. 1^m et 3^m part. antec.* — *n. 2^m part.* — *c. prob. 1^{ae} part.*

Ad prob. 2^{ae} part. a) : *d.* ab omni duratione distributive sumpta, *c*; collective sumpta, *n*; — seu : nullam includit determinate, *c*; nullam etiam indeterminate, ita ut possit nullam habere temporalem, sed aeternam, *n.* — *ad b) :* *d.* nulli distributive, determinatae, *c*; collective, indeterminatae, *n.*

Ad prob. 3^{ae} part : c.

Propositio 59.

Deus creavit mundum non absolute sed relative optimum.

Stat. quaest. 1) Quaeritur quasi de causa exemplari mundi, i. e. qualem mundum, quam perfectum, quibus legibus regendum, quanta stabilitate constitutum Deus creandum conceperit et voluerit.

2) Perfectio mundi, i. e. ordinis, deduci potest *specifica*, ex finis nobilitate; vel *intensiva* ex dispositione magis vel minus apta ad finem communem ultimum, scilicet ex dispositione plurium vel pauciorum, magis vel minus variorum, magis vel minus nobilium, ad finem ultimum.

3) *Absolute optimus*, i. e. per comparisonem ad omnes mundos possibles, tum quoad *speciem* suae perfectionis, tum quoad *intensitatem* seu gradum.

Relative optimus, i. e. per comparisonem ad finem ei praefixum, seu : intensitate quidem optimus intra hanc, non tamen optimam, speciem.

4) *Leibnitz* tenet *optimismum*, i. e. mundum esse absolute optimum; hoc autem esse iudicandum non ex perfectione partis alicujus, sed totius, unde a) possent quidem esse meliores aliquae species pro se solis inspectae, sed non nisi ita ut jam totus ordo in aliis speciebus minuatur; b) posset quidem pars mundi nobis nota esse melior, sed ita minueretur ordo in aliis dissitis partibus; c) posset forsitan status praesens mundi esse melior, sed ita ut in praeterito vel in futuro minor sit ordo.

Prob. 1^a pars (non absolute). 1° Ratio cur mundus debeat esse absolute optimus affertur a Leibnitzio : quod Deus optimus non possit eligere mundum minus bonum prae meliore sibi possibili; a. haec ratio nihil valet (nam Deus est circa talia bona summe liber, i. e. libertate indifferentiae); e.

Ad min. 1) Voluntas natura sua, i. e. necessario tendit solum in bonum suum perfectum, et consequenter in media ad hoc necessaria; ad media autem non necessaria voluntas se habet in statu indifferentiae; a. res creatae et quaelibet earum complexiones sunt media non necessaria ad bonum Dei perfectum, i. e. ipsam Dei perfectam bonitatem; e.

2) Voluntas est appetitus rationalis, i. e. eo modo tendit in objecta, quo modo ea iudicat bona intellectus; a. divinus intellectus infallibiliter iudicat res creatas esse media tantum, et quidem non necessaria ad bonum perfectum; e.

3) Si Deus creaturas necessario vellet et crearet, ad eas haberet relationem realem, imo esset ipse natura sua ordinatus ut medium ad eas; a. hoc est absurdum; e.

Prob. 2° Quilibet mundus creatus repugnat esse infinite perfectus, sed erit finite perfectus; a. ultra quamlibet perfectionem finitam possibilis est perfectio maior; e. intrinsece repugnat mundus creatus absolute optimus.

Ad min. Poterit semper augeri numerus specierum, intendi in specie quaelibet perfectio, ad servandum ordinem totalem intendi proportionaliter perfectio cuiusque speciei.

Prob. 2^a pars (sed relativa). 1° Repugnat aliquid inutile abundare, vel necessarium deficere in operibus Dei infinite sapientis; a. si mundus non relative optimus esset, haberetur aliquid in mundo inutile, vel deficeret necessarium; e.

Prob. min. Si mundus non relative optimus esset, seu si ordo inter res existentes non optimus esset, haberentur res aliquae ad finem ultimum (operis) destinatae, ad quem tendere ab ipso suo auctore et ordinatore impedirentur; a. ita esset aliqua rerum perfectio vel imo aliquae res ipsae inutiles in mundo, quibus deficerent media necessaria ad suum finem; e.

Prob. 2° Voluntas Dei, infinitae rectitudinis, mundum universum non nisi ut medium ad finem suum ultimum potuit velle et creare; a. si mundus in aliqua deficeret perfectione relativa, deficeret in ratione medii ad finem suum, essetque aliquomodo opus otiosum; e.

Objic. 1° Debet dari ratio sufficiens cur Deus hunc mundum potius quam alium quemlibet creaverit; a. ratio esse nequit nisi bonitas hujus mundi omnium maxima; e. — R. a) *d. maj.* ratio sufficiens sed non determinans, c; sufficiens et determinans, n. — c. *d. min.* — R. b) *d. maj.* ratio sufficiens assignanda ex parte mundi, n; ex parte bonitatis divinae quae sola propter se amatur, c.

Objic. 2° Sapientissimi et optimi est agere propter finem optimum, per media optima, modo optimo. — R. *ad 1^m* (finem optimum) c. — *ad 2^m et 3^m* (media... modo...) d. si agat ad finem acquirendum, c; si ad bonum communicandum, sd. si bonum hoc est communicabile solum optimo gradu, c; si pro lubitu, gradu majore vel minore, n.

Objic. 3° Artifex intendens suam excellentiam manifestare, facit opus quod optimum potest; e. a pari Deus. — R. *d. ant.* qui summo gradu quo potest manifestare intendit, c; secus, n. — *n. supp. cons.* (esse manifestabilem, creaturis communicabilem, gradu summo, infinito, bonitatem Dei).

Objic. 4° Infinite bonus agit ad bonitatem suam communicandam quantum potest : summo gradu. — R. *n. ass.* (talisis necessitas esset imperfectio : Deus ordinaretur ad creandum mundum, ut medium ad finem).

Objic. 5° Deus crearet mundum non optimum, aut quia nescit, aut quia nequit, aut quia non vult; a. si a), est insipiens; si b), est impotens; si c), est invidus! — R. 1) *c. maj.* — *d. min.* si ideo nescit, nequit, non vult, quia res repugnans non poterat sciri, vel fieri, n; si quia ipse tam imperfectus, c. — R. 2) *c. maj.* — *tr. min. quoad priora;* — *d. ultim.* si non vult et velle debebat juste, est invidus, c; si libere poterat, n.

Objic. 6° In mundo plurima deficiunt a fine proprio; e. non relative optimus. — R. *d. ant.* a fine proprio intrinseco immediato *singularium naturarum*, c; totius ordinis, n.

Objic. 7° Ille esset mundus relative optimus, in quo homo maxime ad virtutem et futuram felicitatem habilitaretur; a. 1) de facto, experientia teste, homo magis pronus rapitur ad bona sensuum et vitium, quam ad bona ratio-

nis et virtutem; 2) plerique homines sequuntur bona sensuum, et amittunt felicitatem; *e.* — R. *c. maj.* — *d. 1 part. min.* ex sola vi intrinseca suae naturae nude spectatae, *c;* cum extrinsecis auxiliis gratiae quae in praesenti ordine oranti sunt parata, *n;* — *d. 2 part. min.* ex defectu ordinis mundi, *n;* ex abusu libertatis, *tr.*

Coroll. Ergo poterat Deus creare mundos indefinite multos alios, sive huic nostro similes, sive dissimiles; eosque sive hoc nostro anteriores vel posteriores, sive ei simultaneos, sed interposito vacuo absoluto distantes; — de facto autem eorum existentiae nihil prorsus novimus.

ARTICULUS 4.

De causa finali creationis.

Propositio 60.

In mundo creando Deus nullum habuit finem operantis.

Stat. quaest. Quaeritur quae sit causa finalis ultima creationis mundi. — Aliqui distincte finem operantis, Dei, et finem operis, mundi, assignant; scilicet finem operantis Dei non posse bonum aliquod extra Deum existens Deo assequendum esse concedunt; sed in ipso Deo esse ipsum exercitium libertatis divinae.

Prob. Finis operantis hic intelligi deberet aut sensu proprio, stricto, aut sensu aliquo latiore; *a.* neutrum potest; *e.*

Prob. min. 1 part. (stricto sensu). Finis operantis sensu stricto diceret bonum aliquod extra Deum existens, cujus assequendi gratia Deus mundum crearet, quod Deus sibi ut bonum suum et finem intendendum proponeret; *a.* hoc est absurdum; *e.*

Prob. min. 2 part. (latiore sensu). 1) Latiore aliquo sensu dici posset finis operantis Dei, id quod facere Deus voluit, vel id ad quod opus suum dirigi voluit; *a.* sic confusio fit inter finem operantis et finem operis, et a) forsan erit lis de verbo improprio; et b) innuit tamen Deum creando mundum, propter aliquem finem operatum esse, quod absurdum; *e.*

2) Latiore alio sensu dici posset finis operantis fuisse ipsum exercitium suae libertatis divinae; *a.* hoc etiam est absurdum; *e.*

ad min. a) Finis operantis dicit bonum aliquod assequendum ab agente; *a.* exercitium libertatis nequit esse bonum Deo assequendum, et essentiae addendum, quo antea caruerit; *e.*

b) Exercitium libertatis nihil aliud est quam ipsa actualis tendentia voluntatis in res creatas; *a.* tendentia voluntatis reale bonum inducit solum tendendo in bonum formale voluntatis; *e.* res creatae essent bonum formale voluntatis Divinae; quod absurdum.

c) Finis est regula agendorum propter finem; *a.* exercitium libertatis ut sic potuisset Deus attingere etiam creando mundum inordinatissimum; *e.* po-

tuisset Deus ad eundem finem quem nunc, creare mundum inordinatum; quod absurdum.

Objic. 1° Non exercitium libertatis terminative sumptum, sed entitative, est finis Dei; *a.* in hoc nihil absurdum; *e.* — R. *n. min.* (exercitium libertatis formaliter sumptum consistit in *terminari*).

Objic. 2° Finis Dei creantis debuit talis esse, ut illum Deus aequae assecutus esset etiam non creando; *a.* talis erat solum exercitium libertatis; *e.* — R. *n. supp. maj.* (Deum posse aliquid appetere assequendum).

Propositio 61.

Finis ultimus mundi est gloria Dei extrinseca.

Notiones. 1) *Finis ultimus* est ad quem ceteri ut media, qui ipse ad nullum alium ulteriorem ut medium disponitur.

2) *Gloria* est clara notitia cum laude, i. e. notitia late pervulgata de alicujus excellentia, habens sibi conjunctum amorem ejus laudativum; et distinguitur :

- fundamentalis : ipsa excellentia alicujus sufficienter manifestata.
- intrinsicca : excellentia in seipsa et per seipsam manifestata.
- extrinsicca : excellentia in effectibus vel per signum externum manifestata.
- formalis : ipsa notio et amor laudativus de alicujus excellentia.
- intrinsicca : notio et amor quae quis habet de propria excellentia.
- extrinsicca : quae alii habent de alicujus excellentia.

Stat. quaest. Sensus thesis declaratur per duas partes : 1) finis ultimus mundi *intrinsiccus* est gloria Dei fundamentalis extrinseca, i. e. finis mundi est ut ipse sit manifestatio divinae bonitatis seu excellentiae, *per perfectionem ordinis universalis*. — 2) Finis ultimus mundi *extrinsiccus* est gloria Dei formalis extrinseca, i. e. ut ex mundi perfectione et ordine, tanquam ex signo manifestante, divina bonitas seu excellentia cognoscatur, laudetur, ametur.

Prob. 1^a pars (finis intrinsiccus). Intrinsicca rei cujuscumque perfectio judicanda est ex ejus forma; *a.* forma mundi, ut sic, est ordo universalis; *e.* mundi perfectio ultima, seu finis intrinsiccus ultimus, est perfectio ordinis universalis.

Prob. min. Mundus, ut sic, est totum aliquod compositum ex pluribus et diversis entibus tanquam ex partibus; *a.* in tali toto partes seu varia entia sunt materia, dispositio partium in unitatem seu ordo est forma totius; *e.*

Ad conseq. N. B. Perfectionem hanc ordinis universalis aestimare oportet secundum tria : a) per ordinem *subordinationis* res inferiores quam aptissime ad fines rerum superiorum ordinantur (cetera omnia ad finem hominis); — b) per ordinem *coordinationis* omnia quam aptissime disponuntur ad mutuum juvamen (plantae et animalia; inertia, solida, liquida, aeriformia ad plantas et animalia); — c) per ordinem *totalem* ad Dei potentiam, sapientiam, providentiam, uno verbo : bonitatem manifestandam disponuntur.

Prob. 2^a pars (finis extrinsiccus). 1° Deus mundum creavit eum volendo; *a.* eum velle non potuit nisi propter suam ipsius bonitatem; *e.*

Prob. min. Quidquid voluntas vult, aut est bonum propter se amatum, aut bonum propter aliud amatum, ut medium; *a.* mundus (cum perfectione sua etiam ultima) nequit esse Deo aliquid propter se amatum; *e.* solum aliquid propter Dei bonitatem amatum; et quidem non propter Dei bonitatem acquirendam (patet!), nec contemplandam (patet!), sed manifestandam et amabilem praebendam aliis.

Prob. 2° Mundus ad finem ultimum sibi intrinsicum tendit, manifestandam Dei bonitatem; est insuper in mundo homo cum innato naturali appetitu et facultate cognoscendi ex mundo ultimam causam, et amandi summum bonum; *a.* ita obtinetur gloria Dei extrinseca formalis; *e.*

Coroll. 1^m Ergo finis proximus mundi materialis est homo, ratione praeditus; nec poterat creari mundus nisi aliquando crearetur aliqua natura rationalis.

Coroll. 2^m Ergo gloria Dei intrinseca non est finis creati mundi; nam hanc Deus in seipso ab aeterno habet, neque aliunde haurire potest.

Objic. 1° Si finis mundi creati est gloria Dei, dicendus erit Deus maxime egoisticus; *a.* hoc repugnat; *e.* non gloria Dei, sed potius beatitudo hominis est finis ultimus. — *R. 1)* *n. maj.* (gloria Dei non est bonum Deo acquirendum, seu bonum in Dei utilitatem cedens). — *R. 2)* *tr. maj.* — *d. min.* repugnat ut Deus inordinato egoismo agat, *c;* ordinato, legitimo, necessario, *n.* (Deus amat suam bonitatem necessario, et hanc creaturis libero amore purissimae benevolentiae communicat).

Objic. 2° Impossibile est res tam diversarum naturarum immediate ordinari in unum eundemque finem; *e.* — *R. d. maj.* ad unum finem intrinsicum immediatum singulis, *c;* ad unum extrinsecum singulis et mediatum, sed totius collectionis (mundi) ultimum, *n.*

ARTICULUS 5.

De conservatione.

Propositio 62.

Deus positive et directe res omnes conservat.

Notiones. *Conservatio* est ratio continuationis existentiae. — Distinguitur: 1) *positiva*, i. e. actualis influxus quo res, ex propria sua natura in nihilum relapsura, in existentia retinetur; *negativa*, i. e. sola non destructio. — 2) *directa*, i. e. influxus immediatus in rem conservandam; *indirecta*, i. e. remotio causarum destruentium, et largitio mediorum ad existentiam conservandam.

Prob. 1° Quod ex natura sua est contingens, et ad existendum indifferens, manet semper ex se contingens et ad existendum indifferens; *a.* quod ex se est semper indifferens ad existendum, debet quamdiu existit ab alio determinari ut existat; *e.*

Prob. maj. Creatura quum primo momento existit, non est formaliter suum esse, nec ens formaliter necessarium (secus jam intrinsece repugnaret non existere momento secundo); — neque accipit virtutem activam se conservandi (nam virtus non potest esse perfectior subjecto, nec proin habere formalem necessitatem existendi); *e.*

Prob. min. Continuatio existentiae est effectus realis; *e.* si non ex ipsa natura creata adest aliqua necessitas permanendi, aut virtus activa conservans tanquam causa efficiens, iste effectus debet repeti a causa externa, et quidem prima (nam de omni alia secunda rediret eadem quaestio, et deberet ea dare quod non habet).

Prob. 2° Si res creatae non indigerent conservatione positiva directa, jam nec sola cessatione ab influxu, nec actu positivo posset Deus eas destruere; *a.* hoc est absurdum; *e.*

Ad maj. 1) Non cessatione ab influxu: patet, si nullus fuit influxus.

2) Non actu positivo: omnis actus positivus tendit in terminum positivum, non in nihil.

Ad min. Pertinet ad dominium Dei essentielle in res contingentes, ut tamdiu solum existant, quamdiu ipse velit.

Objic. 1° Multi effectus finitorum agentium esse perseverant, etiamsi causae operatio cesset; *e.* a fortiori effectus Dei infiniti agentis. — *R. d. ant.* multi effectus, i. e. determinationes inductae in subjecta praexistentia, quae eas sua entitate sustentent, *c;* i. e. ipsa subjecta, ut sic, *n.* — *n. cons.* et *n. par.*

Objic. 2° De facto multa sunt quae non immediate a Deo, sed a causis secundis conservantur. — *R. d.* quoad esse, ut sic, *n;* quoad sic esse, *c.*

Objic. 3° Multae naturae (spiritus) sunt immortales; *e.* in ipsis est ratio sufficiens cur perseverent. — *R. d. ant.* immortales essentialiter, *n;* exigitive (exigentia passiva connaturali), *c.* — *d. cons.* cur conserventur, *c;* cur durent a se, *n.*

Objic. 4° Deus nequit spiritus annihilare; *e.* — *R. d. ant.* spectata ejus potentia, *n;* spectata sapientia, *c.*

Objic. 5° Esset ergo tendentia entis creati in nihilum; *a.* hoc repugnat; *e.* — *R. d. maj.* tendentia positiva, *n;* negativa, i. e. incapacitas de se durandi, *c.* — *c. d. min.*

Schol. Num conservatio distinguatur a creatione. — *R. 1)* Juxta aliquos recentiores actio conservativa est iterata et continuo repetita creatio; — sed hoc falsum videtur, nam influxus conservativus est in ipsum esse quod conservatur; *a.* esse quod conservatur non est esse interruptum iteratum, sed perseverans continuum; *e.* — 2) Scholastici fere omnes tenent distinctionem non esse realem, sed rationis tantum; nam idem effectus actus, si connotatur rem illam effectam antea non fuisse, dicitur creatio; si connotatur rem jam antea fuisse, dicitur conservatio.

QUAESTIO 2.

De concursu divino.

Propositio 63.

Deus physice et immediate concurrat ad omnes actiones et effectus creatorum agentium.

Notiones. Concursus Dei generatim est cooperatio Dei cum causis secundis agentibus; et dividitur:

naturalis	— — —	cooperans in effectum ad quem producendum causa secunda habet natura sua vires proportionatas.
moralis	— — —	influens moraliter, v. c. mandato, consilio, suasionem.
physicus	— — —	influens physice et efficienter, propria activitate.
mediatus	— — —	attingens per se solam causam, et ea mediante, ejus effectum, v. c. creando et conservando causam, virtutem operandi illi dando.
immediatus	— — —	attingens per se ipsum effectum producendum, et actionem producentem causae secundae.
supernaturalis	— — —	cooperans in effectum ad quem causa secunda non habet naturaliter vires proportionatas.

Stat. quaest. De concursu supernaturali (gratia actuali) agunt theologi; nos de naturali physico. Data creatione et conservatione, evidenter affirmandum est concursus mediatus, nec jam probatur amplius; sed immediatum insuper concursum omnes scholastici, praeter Durandum, affirmant.

Prob. 1° Causae secundae, non solum quum fiunt, sed etiam quum sunt, a causa prima, essentialiter, ut a causa conservationis, quoad se totas, dependent; *a.* quod ita pendet ab alio, pendet ab eo etiam in operationibus, ut a causa coefficiente; *e.*

Prob. min. Operatio entis dependentis, est nova realis ejus perfectio actualis ad quam antea erat in potentia; *a.* omne ens, ac proin etiam haec nova perfectio, dependet a Deo tum in suo esse, tum in suo fieri; *e.* dum fit a causa secunda, fit simul a Deo.

Prob. 2° Ad dominium Dei supremum et essentielle pertinet, ut possit operationes et effectus impedire, sine laesione naturae, et sine objectione impedimenti contrarii; *a.* hoc Deus non posset, si ejus concursus coefficientis non requireretur; *e.*

Ad maj. Ille non exercet supremum et intimum dominium in ipsam aliquam essentiam, qui eam ab operando impedire non potest nisi *a.* aut ejus naturam laedendo, potentias naturales auferendo, scilicet essentialia mutando ut accidentale quid (actionem) attingat; *b.* aut opponendo aliquod impedimentum contrarium, scilicet instrumentum extrinsecum adhibendo, ejusque interpositis viribus utendo, ad vincendas et impediendas vires activas illius essentiae.

Ad min. Nisi per solam negationem concursus Deus possit actionem causae secundae impedire, jam aliud nullum manet medium impediendi quam ut per actionem positivam interveniat, sive in ipsam causam secundam influendo, atque eam mutando et laedendo, sive aliud contrarium impedimentum positivum obijciendo.

Objic. 1° Posset impedire non conservando effectum causae secundae.— **R. 1)** *d.* impediret ita durationem effectus, *c.*; ipsam positionem instantaneam et integram actus, *n.* — **R. 2)** *n. supp.* (jam nulla esset Dei conservatio necessaria, nam quae causa esset sola sufficiens ad productionem, esset etiam sufficiens ad conservationem).

Objic. 2° Causae secundae vi naturae suae sufficiunt ad producendos effectus sibi proportionatos; *e.* — **R. d. ant.** quatenus effectus sunt sic entia, *c.*; quatenus sunt entia, ut sic, *n.*

Objic. 3° Ad omnipotentiam et bonitatem Dei pertinet dare creaturis virtutem agendi completam, non vero mancā, cujus sit perpetuo complenda insufficientia; *e.* — **R. d. ant.** completam in ordine suae causalitatis (qua producant sic esse), *c.*; in ordine causalitatis universalissimae (qua producant esse, ut sic), *n.*

Objic. 4° Deus concurrente ageret aut eadem actione atque creatura, aut alia; *a.* neutrum; *e.*

Prob. min. 1) (*non eadem*). *a.* Haec actio non excedit virtutem specificam creaturae; *e.* inutilis concursus.

b. Actio numero eadem nequit esse a duobus, ita ut perfecte et immediate sit ab utroque, nisi agant per eandem numero virtutem; *a.* id dici hic non potest; *e.*

2) (*non alia*). *a.* Altera actio redundaret.

b. Actiones distinguuntur per suos terminos; *e.* ubi duae actiones, ibi duo effectus, non unus idemque effectus.

R. ad maj. agit eadem actione.

Ad prob. min. 1 part. ad a): *d. ant.* non excedit..., si consideratur particulariter, ut producens sic esse, *c.*; si consideratur universaliter, ut producens esse, ut sic, *n.*

Ad b): *d. maj.* actio una quae in omni ordine causalitatis est perfecte et immediate et totaliter ab uno..., *c.*; quae in ordine causalitatis particularis est ab uno..., *n.* — *c. min.*

Objic. 5° Si Deus concurrat, est Deus causa partialis; *a.* haec est imperfectio; *e.* — **R. d. maj.** partialis in suo ordine causae universalis (quoad ens, ut sic), *n.*; in omni ordine causae adaequatae integrae, *sd.* quia non magis posset effectum attingere, *n.*; quia ex bonitatis abundantia libere disposuit creaturis de sua potentia et activitate communicare, *c.* — *c. d. min.*

Objic. 6° Si Deus immediate concurrat, 1) ipse est causa peccati; 2) aut perit libertas humana (quia Deus voluntatem humanam ad opus applicat), aut fortuito casu fit concursus duarum causarum in unum opus. — **R. d.** si

concursum Dei esset particularis, *c*; si est solum universalis (atingens ens, ut sic), *n*.

Propositio 64.

Concursum divinum non est physice praedeterminans.

Stat. quaest. 1) Concursum potest esse *praeivus* (praedeterminans, praemovens) vel *simultaneus*. — *Praevium physicum* tenent Thomistae (post Dominic. Bannez et Didac. Alvarez), ita ut Deus non solum simul cum causa secunda in effectum, sed etiam directe ut causa prima in causam secundam ad agendum impellendam influat; — *simultaneum* hic tenemus ita ut Deus minime directe et physice (nihil ad rem utrum moraliter) in voluntatem nostram influat, sed solum cum voluntate nostra ut concausa in effectum.

2) In descriptione praedeterminationis physicae (cfr. prop. 45) duae quaestiones distinguendae: a) num praevia requiratur excitatio et applicatio causae secundae ad agendum; b) num posita excitatione inimpedibiliter ex ejus natura sequatur effectus. In secunda ut in cardine versatur tota res praesens; nam primam forsitan facile transmitteremus, revera tamen non admittimus.

3) In tota hac quaestione agitur potissimum de causis secundis liberis; nam de agentibus non liberis facilius transmitteremus, nec tamen admittimus.

Prob. 1° Praedeterminatio praevia esset necessaria: aut 1) ad complementum virtutis activae causae secundae, aut 2) ad applicationem hujus virtutis activae ad agendum; *a*. neutrum; *e*.

Prob. min. 1 part. (ad complementum). 1) Si causa secunda ne in proprio quidem suo ordine haberet virtutem completam ad agendum, jam nulla causa secunda esset causa principalis, sed instrumentalis tantum; *a*. sic aperiretur via occasionalismo et idealismo, et perit conceptus essentiarum et ordinis mundi; *e*.

2) Istud complementum, seu qualitas fluens quae esset actus primus proximus ad agendum, esset aliquid accidentale, rebus creatis connaturale; *a*. talem effectum accidentalem connaturalem possent producere aliae res naturales jam actu secundo agentes; *e*. non solus Deus.

Prob. min. 2 part. (ad applicationem). 1) Causae naturales non liberae sunt vi propriae naturae sufficienter determinatae et applicatae ad agendum; *e*. superfluit concursum Dei praevius immediatus.

2) Causae secundae liberae tales sunt ut, paratis omnibus ad agendum requisitis, ipsae seipsas ultimo determinant et applicent ad agendum, non vero ab alio determinantur, et praesertim non invincibiliter; *e*.

Prob. 2° Concursum praevius physice praedeterminans, tollit veram libertatem causae secundae, nec proinde admitti potest quoad actus voluntatis creatae (cfr. prop. 45); *e*. a pari non est necessarius pro aliis facultatibus et agentibus non liberis.

Prob. 3° Posita praedeterminatione physica: 1) Deus esset auctor peccati, 2) et praeciperet impossibilia; *a*. hoc est absurdum; *e*.

Ad maj. 1) Ad actum malum nos inimpedibiliter moveret.

2) Ad actum bonum nisi ipse movet, impossibile est nos ipsos nos movere; et ad malum si movet, impossibile est abstinere; *a*. illa ipse tamen praecipit; *e*.

Objic. 1° In omni serie causarum per se subordinatarum, inferior quaelibet non attingit effectum nisi ad hoc a superioribus moveatur; *a*. omnes causae secundae sunt per se subordinatae causae primae et universalissimae; *e*. — *R. d. maj.* nisi moveatur, i. e. concursum simultaneum habeat, *c*; praevium, *sd.* si ipsa in sua virtute operandi sit incompleta, *c*; secus, *n*. — *c. d. min.*

Objic. 2° Causae inferiores in aliqua serie causarum, agunt in virtute causarum superiorum (unde latiori aliquo sensu sunt instrumenta); *a*. omnes causae secundae sunt inferiores causa prima in ordine causandi; *e*. — *R. d. maj.* in virtute causarum superiorum: semper stricto illo sensu quo volunt adversarii, *n*; saepe alio latiori et quidem vario sensu, *c*; — *c. min.* — *N. B.* Dicuntur causae inferiores agere in virtute causarum superiorum: 1) sive quatenus a superioribus complentur in virtute activa, et applicantur ad agendum (et tunc sunt stricto sensu instrumenta); — 2) sive quatenus ab eis nativam suam virtutem agendi acceperunt, vel etiam conservatam jugiter accipiunt; — 3) sive quatenus in agendo concursum simultaneum superioris causae requirunt; — 4) sive quatenus a causis aliis, sub concursu causae superioris, producitur in eis actus primus proximus (v. c. complexus adjunctorum externorum, vel complementum ultimum virtutis accidentale); — atque ita semper aliquo vero sensu dicendae sunt agere in virtute causarum superiorum, ac semper causae secundae dependent a vero et perpetuo Dei dominio quin tamen confundi debeat causa prima et causa principalis aliqua particularis.

Objic. 3° Pertinet ad perfectam dependentiam creaturae a Deo, ad infinitatem potentiae Dei, ad perfectionem providentiae, ut causae secundae nihil operari possint nisi praemotae a Deo. — *R. a) ad dependentiam, d.* ut non nisi concurrente Deo..., *c*; praemovente, *n*; — *b) ad potentiam, d.* ut ita disponere possit, sed tollendo libertatem, *c*; eam relinquendo, *n*; — *c) ad providentiam, d.* ut non nisi gubernante Deo res singulas secundum earum naturam, *c*; etiam praemovente, et sic tollente earum naturalem libertatem, *n*.

Propositio 65.

Divinus concursum, quatenus est aliquid ad extra, est ipsa creaturae actio, prout haec dum a creatura procedit, simul a Deo ut a causa prima manat.

Prob. 1° Ista cooperatio ex natura Dei et creaturae requiritur, et praeter eam nihil requiritur; *e*.

Ad antec. Posita ista cooperatione salvatur omnis dependentia essentialis causae secundae a prima in causando; et ratione talis concursus prima causa vere dici potest immediate et per se omnia efficere; servatur et perfectio causae secundae.

Prob. 2° Concursus in eo dicendus est consistere, quod ejus conceptui plane respondet; *a.* huic explicatio nostra plane respondet; *e.*

Ad min. Habemus: 1) simultaneam actionem Dei et creaturae, 2) actionem creaturae subordinatam actioni Dei, et ab ea dependentem.

Coroll. 1^m Ergo concursus Dei cum singulis naturis creatis agentibus, proportionatur iisdem; estque determinatus ad unum in agentibus naturalibus; est autem in actu primo indifferens in agentibus liberis, ac determinandus ad unum oppositorum ab ipsa voluntate creata libere se determinante.— Neque ulla apparet Dei indignitas, in eo quod, Dominus quum sit, permittat tamen a libera creatura determinari suum concurrenti actum, non quidem entitative sed terminative spectatum.

Coroll. 2^m Ergo non sequitur ex nostra sententia Deum fore mali moralis seu actus peccati auctorem; nam concurrens Deus attingit actum solum ut causa efficiens universalissima attingit omne ens, concursu immediato, sed de se indifferente ad opposita, qui determinatur ad unum a creatura; hanc autem determinationem Deus, ut legislator, praecepto, suasionem, minis, impedit moraliter; verum ut auctor naturae impedire physice non vult, sed permittit, satis sapiens et potens qui vincat tandem in bono malum.

QUAESTIO 3.

De providentia divina.

Propositio 66.

Deus providentia sua res omnes gubernat.

Notiones. 1) *Providentia* est ratio divina ordinans res ad suos fines per media convenientia, seu: «ratio ordinis rerum in finem, aeternaliter praeexistens in mente divina (S. Thom.)» — Includit ergo: a) intentionem finis, — b) electionem mediorum, — c) rationem ordinantem res ad suos fines per media electa.

2) *Gubernatio* est aeternae providentiae executio et effectus temporalis.

Prob. 1° Si Deus providentiam non habet, hoc est aut quia res non cognoscit, et media adhibenda, — aut quia eis providere non potest, — aut quia non vult; — *a.* haec respective repugnant divinae sapientiae, potentiae, bonitati; *e.*

Prob. 2° Ordo pulcherrimus nequit esse nec praesertim durare casu; *a.* 1) in universo mirabilis est et perseverat ordo et unitas; 2) nulla creatura directe ordinem universalem intendit et gubernat; *e.*

Objic. 1° Deus peccata permittit tantum, nec disponit, nec dirigit creatu-

ras ad ea; *e.* — *R. d. ant.* non ordinat peccata ut committantur, *e;* peccata commissa, aut praevisa non dirigit ad suos fines, *n.*

Objic. 2° Si Deus haberet providentiam, haberet undique perfectam; *a.* 1) non est sapiens, nam mundum multis perturbationibus agitari sinit, — 2) non est justa, nam justos affligi patitur, impios laetari, — 3) non est bona, nam mala non excludit; *e.* — *R. d. maj.* si ordo universalis complexive spectatur, *c;* si pro aliqua parte vel pro aliquo phaenomeno particulari, *n;* — *ad min.* 1) *d.* perturbationibus physicis partialibus, quae oriuntur ex ipsis naturalibus legibus et ordinatione mundi; et moralibus particularibus, quae oriuntur e libertate creata, postea conversione vel poenis in ordinem reducenda et ad finem dirigenda, *c;* secus, *n;* — *ad 2) d.* ita semper patitur, *n;* passim, *sd.* ob subordinationem bonorum vitae praesentis ad bona aeterna, *c;* secus, *n;* — *ad 3) d.* ob libertatem creatam servandam ad majorem perfectionem ordinis universalis, *c;* secus, *n.* (cfr. ethic.).

Schol. 1^m Num Deus provideat immediate omnibus etiam minimis. — *R.* In providentia distinguenda est ordinis praemeditatio, est ordinis praemeditati executio; — praemeditatio eo perfectior est quo magis a fine universalissimo ad minima ordinanda descendit; executio eo dignior et perfectior est quo est universalior, et per plura ministeria explicat suam praemeditationem. — Unde patet: a) quid de Deo, perfectissimo, dicendum sit, — b) cur et quomodo natura agat ad opulentiam, — c) cur et quomodo in gubernationis mundi partiale consortium videantur vocatae creaturae, intelligentia et libertate sua utentes, — d) quomodo Deus sit tamen omnium, etiam minimarum rerum, Dominus summus et immediatus.

Schol. 2^m Utrum providentia principaliter et in recto importet actum intellectus, an potius actum voluntatis, an utrumque aequè principaliter. — *R.* a) Videtur potius de verbo, nam de facto uterque admitti debet actus ut essentialis; — b) ergo videtur tertius dicendi modus accommodatior.

Schol. 3^m Quanam sint providentiae divisiones. — *R.* 1) Ratione *objecti*, est providentia *physica*: circa agentia naturalia necessaria; et *moralis*: circa agentia libera.

2) Ratione *finis*, est *naturalis*: disponens ad fines naturales; et *supernaturalis*: ad finem supernaturalem (cfr. theolog. de praedestinatione).

3) Ratione *mediorum*, est *sufficiens*: disponens media ita ut finis (particularis hujus naturae, vel hujus operis...) attingi possit; et *efficax*: ita ut finis reapse obtineatur.

4) Ratione *amplitudinis*, est *universalis*: disponens in finem simpliciter ultimum; et *particularis*:... in finem particularem alicujus naturae.

5) Ratione *decreti*, est:

- antecedens — aliquid circa creaturam decernens, ante (in signo priori ad) praevisum usum libertatis creatae.
- absoluta — decernens id facere, quicumque sit futurus usus libertatis (decretum semper efficax).
- conditionata : decernens id facere, si iste... sit futurus usus libertatis, alias non facere (decretum semper sufficiens, non semper efficax).
- consequens — aliquid circa creaturam decernens, post (in signo posteriori ad) praevisum usum libertatis (decretum semper efficax).

Schol. 4^m Quomodo se habeat Deus ad mala quae sunt in mundo. —

R. 1) Malum metaphysicum potest Deus velle; — imo si quid creare vult, debet illud velle; nam malum metaphysicum est limes perfectionis, negatio infinitatis.

2) Non repugnat mala physica a Deo permitti, praesertim ratione alterius boni, quod ex eis sequi potest et debet; nam malum physicum sequitur ex malo metaphysico, et ex coordinatione et subordinatione finium particularium superiorum et inferiorum.

3) Etsi Deus non possit malum physicum per se intendere, potest illud tamen intendere tanquam medium alterius boni; nam etsi non possit Deus odisse creaturas et in earum malo quiescere ac delectari, potest tamen illum ordinem bonum velle, quo fines particulares inferiores subordinati, saepe cedere debeant finibus particularibus superioribus; a. hoc jam importat mala physica inferiorum naturarum, ut media, propter naturas superiores, ut fines; e.

4) Deus etsi malum morale neque ut finem, neque ut medium possit intendere, potest illud tamen permittere propter bonum majus, quod intendit et assequetur non obstante peccato, variis nempe modis etiam ex ipso peccato manifestando suam bonitatem, sanctitatem, justitiam et misericordiam. Ista enim attributa sua potuisset manifestare non data nobis libertate physica peccandi (v. c. manifestando seipsum magis evidenter et immediate, vel minuendo sensuum illecebras et passiones, impediendo tentationes, etc.), sed tunc fuisset minor nostra simul beatitudo, non ex merito obtenta, et Dei gloria extrinseca, a nobis non libere tributa; nunc autem Deus voluit majorem hunc gradum gloriae suae et beatitudinis nostrae; a. ad hunc necessarium erat nobis dare tempus probationis et libertatis, non solum specificationis (amandi, admirandi, laudandi, adorandi, etc.), sed etiam contrarietatis (serviendi vel peccandi); e.

Propositio 67.

Ad providentiam sapientem hujus mundi, moraliter necessarium est miraculum.

Notiones. 1) Naturale est id omne quod fundatur in vi activa vel in exigentiis naturae. Supernaturale est id omne quod superat et omnem vim activam, et omnem exigentiam naturae creatae; — potest autem dici aliquid supernaturale absolute, i. e. quod superat omnem omnino naturam creatam, nec proinde nisi soli Deo subjacere potest; vel relative, i. e. quod aliquam naturam, v. c. corporalem, superat, non tamen aliam, v. c. spiritualem creatam.

2) Miraculum hic intelligimus factum supernaturale (relative ad mundum corporeum), insolitum, sensibile; — vel aliter : factum insolitum, sensibile, derogans legibus naturae creatae aspectabilis.

Stat. quaest. 1) Nondum quaerimus quae sit causa efficiens miraculi : semper solus Deus immediate agens, an Deo jubente, vel permittente, spiritus creatus bonus vel malus; — sed utrum leges mundi, quas in cosmologia vidimus hypothetice necessarias esse, quarum auctorem in theologia naturali vidimus Deum esse, tales sint ut debeant semper servari in singulis, sitque per eas sufficienter provisum ad finem mundi ultimum : gloriam Dei extrinsecam.

2) Respondemus distinguendo. Si de solis mere materialibus naturis agitur, affirmandum esse nemo negabit : finis enim illarum est ordo physicus stabilis mundi, tum staticus tum dynamicus (cfr. cosmol.); et per eum, gloria Dei extrinseca fundamentalis; a. sufficienter obtinetur ille finis per solam constantiam legum naturalium.

3) Si inter mundi aspectabilis entia etiam hominum genus connumeratur, a) considerabis ordinem elevationis supernaturalis et revelationis et redemptionis; et tunc affirmandam esse miraculi necessitatem nemo negabit (rationalistae negant quia ipsum ordinem elevationis negant et negare volunt); nam finis talis mundi est gloria Dei extrinseca formalis, non solum gradu proportionato his naturis ac manifestationi Dei per eas factae, sed gradu et modo omnino superiore et essentialiter differente; a. ad hunc finem in alia vita plene obtinendum sed nunc jam per actus supernaturales praeparandum et merendum, aptum medium non erat sola constantia legum naturalium, sed requirebatur Dei manifestatio altior; e.

b) Vel considerabis ordinem naturalem (quem nunc non existere novimus ex revelatione), quasi supponatur homo destinatus ad finem ultimum, beatitudinem naturalem, et gloriam Dei extrinsecam formalem, proportionatam naturae humanae et manifestationi Dei per mundum aspectabilem nostrum; — de hoc ordine propositionem nostram tenemus, abstrahendo ab elevatione quae nunc est.

Prob. Finis immediatus miraculi est manifestatio specialis Divinae bonitatis et sanctitatis : 1) *per sanctionem*, sive puniendo ad terrorem scelera hominum, sive remunerando ad fiduciam bona eorum opera et orationes; — 2) *per doctionem*, manifestando veritatem alicujus doctrinae, vel alicujus praecepti et obligationis; — *a.* iste finis immediatus miraculi moraliter (non physice, nec metaphysice : cfr. logic.) necessarius est ut medium ad finem ultimum hujus mundi etiam in ordine naturali; *e.*

Prob. maj. Divisio miraculorum (duplici modo) datur :

<p><i>quoad substantiam facti</i> : si illud fit quod natura nunquam, nullo modo, in nullo subjecto facit, v. c. compenetratio corporum, corporis transfiguratio.</p> <p><i>quoad subjectum facti</i> : si illud fit quod natura producit quidem sed nunquam in tali subjecto,</p> <p>quia nulla dispositio praevia et aptitudo, v. c. locutio in asino, resurrectio, i. e. vita in defuncto.</p> <p>quia praevia dispositio contraria, et remanens exigentia contrarii, v. c. ignis non urens sed refrigerans.</p> <p><i>quoad modum facti</i> : si illud fit quod natura facit, et in tali subjecto, sed numquam tali modo vel medio, v. c. fractum crus subito sanatur,</p> <p>immediate, i. e. sine ullo medio naturali, v. c. solo verbo vel nutu;</p> <p>mediate, i. e. cum medio naturali sed non proportionato, v. c. contactu crucis, vel potu aquae benedictae...</p>	<p>supra naturam.</p> <p>contra naturam.</p> <p>praeter naturam.</p>
---	--

Atqui de tali aliquo facto si constat, necessario concludunt homines interventum alicujus agentis extramundani qui se hominibus manifestet, sive ad sanctionem sive ad doctrinae vel praecepti confirmationem; *e.*

Prob. min. 1 part. (per sanctionem). Teste experientia quotidiana satis tristi, genus humanum adeo passionibus et variis difficultatibus a via rectitudinis abripitur ut : *a.* prone ad indifferentiam practicam vel etiam ad scelera multimoda declinet (quia caro est) — *b.* etiam theoretice ad materialismum, vel ad idealismum, inde ad pantheismum, ac tandem ad scepticismum doctiores sint proclivi, plebs vero ad fetichismum, polytheismum, inde ad neglectum et oblivionem prolabatur; — *c.* omnes proinde providentiam mox negligant, bona opera omitant, etc. — *a.* contra tanta mala Deus medium aliud quidem multipliciter adhibere potuisset, de facto tamen nullum adhibuit naturale; efficax vero sufficienter est miraculum, rarum quidem sed clarum; *e.*

Prob. min. 2 part. (per doctionem). Ad ipsam cognitionem sufficientem veritatum aliquarum naturalium, est generi humano moraliter necessaria revelatio supernaturalis (cfr. logic. prop. 82); *a.* revelatio haec : *a.* ipsa generatim jam est miraculum (sensibilis locutio, visio, etc...), *b.* non melius agnosci vel promulgari potest quam miraculo stipata; *e.*

Objic. Miraculum dicitur factum quod exigentias naturae excedat; *a.* simul affirmatur esse necessarium in mundo, i. e. debitum; *e.* fit confusio conceptuum ordinumque. — *R. d. maj.* exigentias physicas, *c.* secus, *n.*; — *c. d. min.* necessarium physice, et debitum, *n.*; necessarium moraliter, i. e. spectata infirmitate morali hominum, et passionum vehementia, *sd.* necessarium per se, *n.*; per accidens, i. e. quia Deus de facto nullum aliud remedium naturale providit, *e.*

Inst. Sed ita in mundo naturali aliquid naturale necessarium deficere conceditur; *e.* mundus nullo modo optimus, ne relative quidem, esset. — *R. 1) d. ant.* deficere, si abstrahas ab alio excellentiore, quo abunde suppletur, *c.*; deficere in mundo sicut de facto est, *n.* — *d. cons.* abstracte consideratus partialiter, *c.*; concrete consideratus prout reipsa est, *n.* — *R. 2)* ex sola ratione vix aliam suspicamus explicationem; sed theologi ex revelatione melius factum praesens experientiae explicant per originale peccatum, et statum lapsam ac reparatum.

Coroll. Ergo vere dici debet Deus non solum generali quidem providentia omnes creaturas, sed etiam speciali providentia homines gubernare; nimirum : 1) majore amore et praedilectione, quum propter genus humanum reliqua creaverit, regatque; — 2) majore suavitate et benignitate, quum hominum libertatem minime laedere, etiam abutentem, velit, sed dulci imperio morali regere; — 3) majore cura, quum etiam extraordinaria et miraculosa non recuset interventione sua adesse, quoties opus est ad infirmitatem humanam juvandam, voluntatem erigendam.

Propositio 68.

Miracula sunt intrinsece et extrinsece possibilia.

Stat. quaest. 1) Ex ultima propositione nova oritur difficultas solvenda; scilicet quaeritur quomodo possibilia sint miracula sic concepta sicut supra ea definivimus.

2) Agitur autem de miraculis non solum praecisive sumptis, prout sunt talia facta : hoc enim jam sufficienter patet ex cosmologiae propositione 56, leges mundi naturales non esse absolute necessarias; sed agitur de miraculis concrete sumptis, in sensu composito stantis ordinis stabilis, ita ut miraculum sit factum non leges mundi mutans, sed illis manentibus per exceptionem derogans.

3) Respondemus nec intrinsece repugnare, nec extrinsece, i. e. cum perfectionibus Dei agentis, vel jubentis, vel permittentis.

Prob. 1^a pars (intrinsicè). Miracula derogant vel legi positivae (si non fit quod secundum legem fieri debet), vel legi negativae (si fit quod secundum legem fieri nequit); *a.* neutrum est intrinsicè impossibile; *e.*

Prob. min. 1 part. (legi positivae). In tantum haec derogatio internam involveret repugnantiam, in quantum res creatae per solam suam naturam essent causa completa sufficiens effectuum suorum naturalium; *a.* hoc falsum est; *e.*

ad min. Res quaeque naturalis evadit causa complete sufficiens, in quantum ejus natura completur per conditiones quasdam accidentales, partim intrinsicas, partim extrinsecas (v. c. passio ab aliis, excitatio ad agendum, concursus divinus...).

Prob. min. 2 part. (legi negativae). Deus potest effectus producere ad quos efficacia causarum naturalium pertingere non potest; proinde contradictio ex eo deberet oriri quod repugnet in materia corporali recipi id quod per causas naturales fieri nequit: *a.* ita non est; *e.*

ad min. a) Ordinario per miraculum *non eo sensu* producitur aliquid quod vires naturae producere nequeunt, ac si per ipsum fieret aliquid in materia quod nunquam naturaliter in materia vigeat; *sed eo sensu* ut id quod etiam naturaliter producitur in materia, producat sine praevia dispositione materiae, vel sine successione temporis, vel sine aliqua praejacente materia; *a.* Deus omnipotens et in operando independens haec potest sic producere; *e.*

b) Aliquando tamen producitur quod etiam quoad substantiam facti nunquam naturaliter producitur in corpore, at *non eo sensu* hoc fit quod subiectum patiens mutetur in aliam speciem, vel sit simul haec res et non haec res sed alia; *sed eo sensu* quod aliquod accidens (v. c. operativa potentia, vel modus essendi), quod naturaliter nulli corpori tamquam debitum vel proportionatum competat, ei competat tamquam per exceptionem gratis datum; *a.* in hoc nulla est intrinsicè repugnantia, sed physica hypothetica tantum; *e.*

Prob. 2^a pars (extrinsicè). Id solum repugnat sapientiae divinae quod repugnat procurationi debitae finis *ultimi*; *a.* miracula, licet interdum repugnent procurationi alicujus finis *particularis*, non tamen repugnant debitae procurationi finis *ultimi*; *e.*

Ad min. 1) Procuratio finis *particularis*, v. c. finis hujus alicujus naturae *particularis*, potest in aliquo casu *particulari*, cedere debere procurationi finis *particularis* superioris fini ultimo propinquioris, v. c. naturae humanae. — 2) Miracula sunt media moraliter necessaria ad inculcandum dogma providentiae naturalis. — 3) Generatim positiva revelatio veritatum religionis naturalis est moraliter generi humano necessaria (cfr. supra); *e.*

Objic. 1^o Leges naturae fluunt ex ipsis essentiis virium naturae; *e.* repugnat intrinsicè, iis remanentibus essentiis, induci exceptionem illis legibus. — *R. d. ant.* fluunt necessitate absoluta, *n*; hypothetica, *e.*

Objic. 2^o Sapiens agit per causas simplicissimas ad plurimos effectus; *e.* repugnat Dei sapientiae miraculum esse inducendum. — *R. d. ant.* per

causas relative simplicissimas (i. e. quantum permittit finis), *c*; absolute, *n*.

Objic. 3^o Sapientis est machinam efficere cui non sit opus posterior interventio extraordinaria. — *R. d.* relate ad fines per machinam intentos, *c*; relate ad alios superiores, *n*.

Instant. Atqui, ex propositione praecedente, ad finem etiam non superiorem, sed ad proprium finem mundi, necessaria esset interventio extraordinaria. — *R. a)* Melius et verius respondebunt theologi ex dogmate peccati originalis. — *R. b) d.* quia sic potius quam aliter Deus providere voluit, medio excellentiore, *c*; secus, *n*.

Objic. 4^o Miracula tollunt ab operibus Dei rationem ordinis (i. e. stabilis dispositionis ad finem). — *R. d.* si miracula essent relative multa, *c*; si relative paucissima, *sd.* tollunt ordinem, *n*; tollunt aliquem effectum ad finem particularem qui ita frustratur quia cedere debet fini superiori et ordini universali, *c*.

Objic. 5^o Deus est immutabilis; *a.* leges mundanae sunt decreta Dei; *e.* — *R. c. maj;* — *d. min.* sunt decreta Dei entitative, *n*; terminative, *sd.* totalia, *n*; partialia, *c.* (sanxit eodem decreto et leges et exceptiones).

Objic. 6^o Theoriae a priori de impossibilitate miraculi non obstat etiam ipsa experientia factorum quae miraculosa dicuntur; nam haec explicanda sunt per causas naturales, vel per statum et facta psychologica. — *R. d.* si sanioris est criticae, systematica praeoccupatione, et ceterum gratis, prae-supponere omnia adjuncta quae essent probanda, *c*; secus, *n*.

Propositio 69.

Miracula sunt certo cognoscibilia.

Stat. quaest. 1) De miraculis iterum ita intellectis sicut hucusque, quaeritur utrum possint ab hominibus cognosci ut facta, et certo dignosci ut miraculosa.

2) Difficultas est quod saepe naturales causae agunt occulte, sive quia per fraudem adhibentur, sive maxime quia ipsae nobis ignotae sunt. Quod non semel accidisse testatur experientia.

Prob. Sufficit ut possit cognosci factum, et constare possit hoc non esse ex causis occultis naturae; *a.* factum cognoscitur historice sicut alia facta; et contra causas occultas naturae sufficit ut cognoscamus certo: *a)* quasdam leges generales naturae, *b)* peculiare leges, conditiones, et effectus naturarum quae hic et nunc agunt, *c)* naturas tales, his adjunctis, hoc vel illud producere non posse; *e.*

Objic. 1^o Eo minus jactantur miracula quo magis proficiunt scientiae; *e.* ignorantiae testium tribuenda sunt miracula. — *R. a) n. singula.* — *R. b) tr. ant.* — *d. cons.* tribuenda sunt omnia, *n*; aliqua, *sd.* ignorantiae legum naturae, *n*; defectui crisis historicae, *c.*

Objic. 2^o Ad dignoscendum miraculum deberemus omnes naturae leges

cognoscere. — R. *d.* deberemus nosse quid non possit natura, *c*; quid possit, *sd.* in quantum hic et nunc necesse est, *c*; omnino omnia, *n.*

Propositio 70.

Miracula sunt efficaciter probativa veritatis in cujus confirmationem patrantur.

Stat. quaest. 1) Vidimus causam finalem miraculi esse manifestationem specialem divinitatis, per modum sanctionis vel per modum doctionis; sed quum ex ratione possibile appareat, imo ex revelatione certum sit, existere alia entia extramundana, spiritus, qui possunt miracula saltem aliqua efficere suis viribus naturalibus; inde jam quaeritur utrum possint spiritus illi malitiam et potentiam expeditam habere ut interveniant ad deceptionem hominum.

2) Concedimus a malo daemone fieri posse miracula, qualia hucusque definitivimus (sed cfr. mox infra, coroll. 1^m et 2^m), ita tamen ut haec ad malum alium finem fiant, a Deo permissum, v. c. ad juvandam malitiam liberam hominis perversi compliceis, magi; non tamen explicite et directe ad confirmandum falsum dogma (cfr. tamen infra, coroll. 4^m).

3) Concedimus etiam fieri posse ut idem homo magus, qui ad alios fines malos miracula a malo daemone complice obtinet, etiam falsum doceat sive antea sive postea, et ita, sibi conciliata auctoritate, turbas fallat.

4) Sed negamus fieri posse ut Deus permittat talia facta a daemone patrari, quoties ad illa *tanquam ad argumenta* sua explicite appellaret *ipse magus*, in cujus doctrinae falsae favorem illa viderentur produci.

Prob. Nec Deus sapientissimus et veracissimus per seipsum intervenire potest in testimonium doctrinae quae vera non esset; nec miraculum per interventum mali daemonis ad finem illum potest permittere; nec daemon id facere potest sine Dei permissione; *e.*

Ad antec. 1 part. Non Deus per seipsum : patet!

Prob. ant. 2 part. (non daemon Deo permittente). Eo ipso quod Deus posset vel semel permittere decipi homines miraculo, miraculum pro nullo amplius casu esset signum certum divinae confirmationis; *a.* homines certe deciperentur miraculo, si permetteretur in confirmationem falsi; *e.*

prob. min. Dijudicare divinum miraculum a diabolico vix possumus nisi ex fine propter quem fiunt; *a.* hic quaestio ipsa esset utrum finis, doctrina confirmanda, esset bona : et haberes circulum vitiosum; *e.*

Ad ant. 3 part. (non daemon Deo non permittente). Daemonis creator dominus est, nec potest virtus creaturae non esse subjecta dominio et providentiae Dei; *e.*

Objic. Daemon, licet non habeat vim ad certa aliqua miracula contra leges naturae, potest tamen, eas cognoscens multo perfectius quam nos, mirabiles effectus producere naturales (praestigia); *a.* talia praestigia quoad nos miracula videbuntur; *e.* miraculum non est probativum. — R. *d. maj.* potest

habere vim naturalem, sed ligatam, *c*; expeditam, *sd.* ad alios fines, facillime dignoscibiles, *c*; ad probationem doctrinae falsae, sub Deo provido, sapiente, justo, *n.*

Coroll. 1^m Ergo sensu aliquo strictiore quam in superioribus, potest intelligi miraculum, quatenus distinguitur a praestigiis et miris a daemone oriundis : factum insolitum *soli Deo* producibile, superans scilicet *omnem vim creatam*, non solum mundi sensibilis, sed et omnis spiritualis mundi.

Coroll. 2^m Ergo etiam sola ratione docente, possunt dari aliqua facta quae sint strictiore sensu miracula. Quae vero illa sint, et quomodo distinguenda sint ab aliis daemone possibilibus, forsitan non clare nobis patet : auctores certe varii satis varia docent.

Coroll. 3^m Haec de possibilitate dicta sint; de facto autem, quum eadem quae daemone suntabilia etiam Deus facere possit, et soleat, auctorem miraculi generatim in praxi ex moralibus potius quam ex physicis criteriis iudicamus, v. c. *ex fine* malo, *ex objecto* ipso malo, ridiculo, impio, obsceno, *ex adjunctis* turpibus, ludicris, Deo indignis.

Coroll. 4^m Ergo in nostris regionibus, ubi abunde satis divinitus comprobata existit infallibilis auctoritas, iudex doctrinae et morum (supernaturale scilicet perpetuum medium dignoscendi verum et bonum a falso et pernicioso), satis providit Deus nobis media ne in errorem inducamur; ac proinde, *in talibus regionibus*, forsitan non intrinsece repugnat Dei sapientiae, sanctitati et iustitiae, permittere miracula daemonis mali etiam in falsi confirmationem; qui enim tunc erraret, libere in errorem abiret, illam non audiens quam Deus infallibili magisterio supernaturaliter donavit, Ecclesiam. — Sed qualem propositionem statuimus, abstrahendo ab Ecclesiae supernaturalis existentia, ex solo rationis lumine, talem dicimus tenendam ubicumque Ecclesia illa catholica non omnibus sufficienter nota est.

Coroll. 5^m Ergo ordinario non dicuntur miracula, facta illa quae soli Deo quidem suntabilia, sed mere spiritualia, nullo modo sensibilia, v. c. gratia sanificans vel actualis.

Coroll. 6^m Ergo falsas miraculi notiones afferunt :

1) *Spinosa* : opus naturae, cujus causam naturalem exemplo alterius rei solitae explicare non possumus. — R. Ratio miraculi non a parte rei agnoscitur sed in ignorantia humana reponitur.

2) *Locke* : operatio sensibilis, quae quum spectatoris captum superet, ipsiusque opinione cursui naturae constituto contraria sit, ab eo pro divina habetur. — R. Ratio miraculi in praepiudiciis et ignorantia humana reponitur.

3) *Clarke* : effectus consueto naturae ordini contrarius, ab alicujus entis intelligentis, homineque superioris, insueto interventu productus. — R. a) Videtur supponere interventum *ordinarium* entis intelligentis in cursu consueto naturae, fere ad modum occasionalistarum; — b) etiam naturalia quaedam sunt contra *consuetum* ordinem naturae, v. c. terrae motus, insulae novae ex oceano eVectio.

4) *Bonnet* : effectus consueto naturae cursui contrarius, ex occulto causarum naturalium ordine, Deo praeparante, promanans. — R. a) Supponit leges naturales necessarias et absolute inviolabiles; — b) ratio miraculi reponitur in duplici ordine naturae : altero ordinario, altero ab obstupesciendis homines praeparato, extraordinario.

5) *Houtteville* : effectus insuetus ab occultis naturae legibus procedens. — R. Ratio miraculi reponitur in naturalibus et in nostra ignorantia, ac negatur supernaturale.

APPENDIX AD THEOLOGIAM.

DE MESMERISMO.

Propositio 71.

Somnus magneticus, in se spectatus, non superat vires naturales.

Stat. quaest. 1) *Mesmerismi* seu *magnetismi animalis* nomine non una res intelligitur, sed multae passim sunt idearum confusiones. Ad conceptuum claritatem de singulis per singulas propositiones quaeramus.

2) *Mesmer* (1733-1815) artem se invenisse gloriabatur morbos curandi, adhibitis quibusdam attractionibus circa aegrotos, cum voluntate firma sanitatis procurandae. Utebatur initio magnetismo ad phaenomena procuranda; quia vero in viventibus potissimum haec producuntur, datum est nomen magnetismi animalis.

Notiones. 1) Varia sunt phaenomenorum genera, saepe connexa, quorum primum est *somnus artificialis* seu magneticus, cujus *producendi media* sunt vel gestus, attractio, manipulatio, oculorum fixus obtutus, et similia a magnetisatore facta, et vocatur somnus magneticus vulgaris; — vel fixus oculorum obtutus in corpus aliquod luminosum vel splendens, a subjecto magnetisando retentus, donec obdormiat, et vocatur somnus hypnoticus. — De utroque nunc agimus.

2) Hujus somni *phaenomena* sunt : a) *physiologica* : spasmus, seu convulsio membrorum in magnetisato, sub influxu magnetisantis; — dilatatio et contractio pupillae et nervorum; — rigor membrorum et frigus musculorum; — b) *physica* : saepe post talem somnum, sanati manent aliquanto tempore, qui aliquo musculorum vel nervorum morbo laborabant; sed raro, forsitan nunquam, fuit sanatio perfecta et perpetua; neque obtinetur nisi somnus tranquillus habeatur, sine somniis magneticis nempe (de quibus mox dicemus).

Prob. Sicut somnus naturalis ordinarius est interruptio aequilibrum inter facultates, orta ex generali ordinaria fatigatione virium vegetaliu; ita somnus aliquis esse potest interruptio aequilibrum facultatum, etiam vegetaliu

inter se, quae oriri potest ex fatigatione extraordinaria alicujus particularis facultatis vegetalis, quae proinde magis impediatur, magisque restauranda sit; a. ita omnia phaenomena somni magnetici, in se spectati, explicantur, et nulla invocatur causa praeter causas naturales; e.

Ad maj. 1) *Effectus* erit naturalis : nam naturale est ut potentiae non mere spirituales, sed dependentes a materia, fatigentur exercitio, et fatigentur inaequaliter exercitio inaequali, et refectione inaequali indigeant; et interrumpatur proinde variis modis aequilibrium inter varias etiam ejusdem ordinis potentias, nec semper eisdem cum apparentiis adsit somnus nunc in uno membro nunc in alio.

2) *Causa* erit naturalis : nam naturale est exercitium, etiam inaequale, potentiarum.

Ad min. 1) *Sola causa* erit : acrior exercitatio phantasiae, ejusque organi fatigatio, ex expectatione effectus ignoti, ex debilitate personae aptae magnetisandae, ex aestimatione superioritatis personae magnetisantis; acrior item fatigatio visus, ejusque organi, in hypnotismo, vel in longo usu gestuum, etc.

2) *Omnes effectus* ad hoc reducuntur, ut aliqua pars corporis, prae aliis, vel aliquod infirmius organum, magis sopitum teneatur.

Propositio 72.

Somnia magnetica suggestionis, in se spectata, vires naturales non superant.

Notiones. 1) Praeter somni statum, saepe adsunt actiones externae, et verba a somniantem prolata; et mira narrantur, quae quidem omnia credere stolidum esset, nam multae sunt fraudes; verum omnia negare obstinati scepticismi est, nam testimonio humano debitis conditionibus verum subest.

2) Duplicis generis somnia magnetica distinguere licet : altera communiora seu suggestionis; altera « lucida ». — Nunc de prioribus.

3) In somniis suggestionis, phaenomena sunt, praeter generalia somni magnetici phaenomena, alia *cognitiva* et *locomotiva* : dormiens sub actione magnetisantis, ejusdem voce, et haec sola, ducitur; ei respondet, quae ille suggerit imaginationi, haec se videre, amare, fugere, etc. dicit, correspondentesque gestus externos edit; ad ejus nutum venit, vadit, saltat, etc; ab eo tandem ex somno excitatus nullius rei se memorem testatur.

Prob. Somnus magneticus certis sub adjunctis contrahitur, scilicet : 1) persona nervis debilis (aptum subjectum!) magnetisatur, — 2) a persona robustiore, quam sibi superiorem aestimat, — 3) et cui se subjicit voluntate, vel se subjectam esse imaginatur, — 4) expectans mirabilia a suo magistro obdormiscit; — 5) somno magnetico, i. e. imperfecto illo, detinetur, quo facultates aliae plane sopiuntur, aliae vix sopiuntur; — a. ita nihil mirum quod possit naturali influxu per aliquos sensus externos in phantasia ad omnia praeparatam, impedito per somnum libero usu rationis, immitti imago

4) *Bonnet* : effectus consueto naturae cursui contrarius, ex occulto causarum naturalium ordine, Deo praeparante, promanans. — R. a) Supponit leges naturales necessarias et absolute inviolabiles; — b) ratio miraculi reponitur in duplici ordine naturae : altero ordinario, altero ab obstupesciendis homines praeparato, extraordinario.

5) *Houtteville* : effectus insuetus ab occultis naturae legibus procedens. — R. Ratio miraculi reponitur in naturalibus et in nostra ignorantia, ac negatur supernaturale.

APPENDIX AD THEOLOGIAM.

DE MESMERISMO.

Propositio 71.

Somnus magneticus, in se spectatus, non superat vires naturales.

Stat. quaest. 1) *Mesmerismi* seu *magnetismi animalis* nomine non una res intelligitur, sed multae passim sunt idearum confusiones. Ad conceptuum claritatem de singulis per singulas propositiones quaeramus.

2) *Mesmer* (1733-1815) artem se invenisse gloriabatur morbos curandi, adhibitis quibusdam attractionibus circa aegrotos, cum voluntate firma sanitatis procurandae. Utebatur initio magnetismo ad phaenomena procuranda; quia vero in viventibus potissimum haec producuntur, datum est nomen magnetismi animalis.

Notiones. 1) Varia sunt phaenomenorum genera, saepe connexa, quorum primum est *somnus artificialis* seu magneticus, cujus *producendi media* sunt vel gestus, attractio, manipulatio, oculorum fixus obtutus, et similia a magnetisatore facta, et vocatur somnus magneticus vulgaris; — vel fixus oculorum obtutus in corpus aliquod luminosum vel splendens, a subjecto magnetisando retentus, donec obdormiat, et vocatur somnus hypnoticus. — De utroque nunc agimus.

2) Hujus somni *phaenomena* sunt : a) *physiologica* : spasmus, seu convulsio membrorum in magnetisato, sub influxu magnetisantis; — dilatatio et contractio pupillae et nervorum; — rigor membrorum et frigus musculorum; — b) *physica* : saepe post talem somnum, sanati manent aliquanto tempore, qui aliquo musculorum vel nervorum morbo laborabant; sed raro, forsitan nunquam, fuit sanatio perfecta et perpetua; neque obtinetur nisi somnus tranquillus habeatur, sine somniis magneticis nempe (de quibus mox dicemus).

Prob. Sicut somnus naturalis ordinarius est interruptio aequilibrum inter facultates, orta ex generali ordinaria fatigatione virium vegetaliu; ita somnus aliquis esse potest interruptio aequilibrum facultatum, etiam vegetaliu

inter se, quae oriri potest ex fatigatione extraordinaria alicujus particularis facultatis vegetalis, quae proinde magis impediatur, magisque restauranda sit; a. ita omnia phaenomena somni magnetici, in se spectati, explicantur, et nulla invocatur causa praeter causas naturales; e.

Ad maj. 1) *Effectus* erit naturalis : nam naturale est ut potentiae non mere spirituales, sed dependentes a materia, fatigentur exercitio, et fatigentur inaequaliter exercitio inaequali, et refectione inaequali indigeant; et interrumpatur proinde variis modis aequilibrium inter varias etiam ejusdem ordinis potentias, nec semper eisdem cum apparentiis adsit somnus nunc in uno membro nunc in alio.

2) *Causa* erit naturalis : nam naturale est exercitium, etiam inaequale, potentiarum.

Ad min. 1) *Sola causa* erit : acrior exercitatio phantasiae, ejusque organi fatigatio, ex expectatione effectus ignoti, ex debilitate personae aptae magnetisandae, ex aestimatione superioritatis personae magnetisantis; acrior item fatigatio visus, ejusque organi, in hypnotismo, vel in longo usu gestuum, etc.

2) *Omnes effectus* ad hoc reducuntur, ut aliqua pars corporis, prae aliis, vel aliquod infirmius organum, magis sopitum teneatur.

Propositio 72.

Somnia magnetica suggestionis, in se spectata, vires naturales non superant.

Notiones. 1) Praeter somni statum, saepe adsunt actiones externae, et verba a somniantem prolata; et mira narrantur, quae quidem omnia credere stolidum esset, nam multae sunt fraudes; verum omnia negare obstinati scepticismi est, nam testimonio humano debitis conditionibus verum subest.

2) Duplicis generis somnia magnetica distinguere licet : altera communiora seu suggestionis; altera « lucida ». — Nunc de prioribus.

3) In somniis suggestionis, phaenomena sunt, praeter generalia somni magnetici phaenomena, alia *cognitiva* et *locomotiva* : dormiens sub actione magnetisantis, ejusdem voce, et hac sola, ducitur; ei respondet, quae ille suggerit imaginationi, haec se videre, amare, fugere, etc. dicit, correspondentesque gestus externos edit; ad ejus nutum venit, vadit, saltat, etc; ab eo tandem ex somno excitatus nullius rei se memorem testatur.

Prob. Somnus magneticus certis sub adjunctis contrahitur, scilicet : 1) persona nervis debilis (aptum subjectum!) magnetisatur, — 2) a persona robustiore, quam sibi superiorem aestimat, — 3) et cui se subjicit voluntate, vel se subjectam esse imaginatur, — 4) expectans mirabilia a suo magistro obdormiscit; — 5) somno magnetico, i. e. imperfecto illo, detinetur, quo facultates aliae plane sopiuntur, aliae vix sopiuntur; — a. ita nihil mirum quod possit naturali influxu per aliquos sensus externos in phantasia ad omnia praeparatam, impedito per somnum libero usu rationis, immitti imago

quaelibet, et dirigi somnium pro lubitu magnetisantis; — et propter defectum reflexionis nulla superstes manere memoria; e.

Propositio 73.

Plura quae suggestionum magnetica phaenomena passim dicuntur, vires naturales superant saltem quoad modum.

Notiones. 1) In praecedente propositione explicari posse dicebantur somnia magnetica, quae a magnetisante suggererentur, verbis suis phantasmata provocante apud dormientem, quae actiones varias conformes producerent. — Sed ultimis hisce temporibus medici aliqui etiam alia phaenomena procurare coeperunt, eaque etiam extra somnum magneticum, imo etiam diu postea, perficienda; et suggerunt sive dormienti, sive vigili, sive praesenti, sive etiam absenti et longe distanti; primis vicibus non nisi consentienti, sed postea etiam nolenti et reluctanti.

2) Phaenomena illa sunt: a) *pathologica*: accelerantur vel retardantur vel sine ordine succedunt cordis pulsationes, — oriuntur determinatae locales sanguinis congestiones, rubrae notae, maculae, sudores sanguinis, stigmata, plagae hiantes vel purulentae; — oriuntur vel sanantur morbosae affectiones nervosae;

b) *physiologica*: acuuntur vel obtunduntur potentiae sensitivae: visus, auditus, tactus, et musculorum; — oritur subito ad solum imperium somnus, et ex eo excitatio;

c) *sensitiva*: hallucinatione apparent quae non existunt, vel disparent quae adsunt aliis testibus sensibilia;

d) *executiva*: efficiunt magnetisati ad amussim omnia quae iubentur, eoque tempore ac modo quo dicta sunt, idque sine libertate reluctandi, aliquando reputantes se liberos, aliquando sentientes se invitos in agendo;

e) *mentalia*: ordinario extra somnum nulla manet memoria eorum quae intra somnum imperata fuerunt, sed intra novum somnum tota iterum adest; — aliquando extra somnum ea manet; — potest ejus permanentia vel reviscentia imperari; — potest tota aboleri etiam pro futuro somno.

3) Post tales magnetisationes effectus manent: a) potestas magnetisantis in magnetisati animum tanta, ut vix ulla maneat libertas in posterum ejus imperiis quibuscumque resistendi; — b) vires physicae magnetisati, aliquando etiam magnetisantis, multum debilitantur; — c) quae interdum morborum sanationes apparent, in posterum non permanent diuturnae; — d) saepe tum apud magnetisantem, tum apud magnetisatum, vehementes remanent tentationes et carnales commotiones minus castae, impurique amores.

4) Media ad illa phaenomena provocanda, non determinata aliqua physica et uniformia sunt, sed pro lubitu a magnetisante adhiberi possunt: sufficiunt enim signa quaevis voluntatis. Communius hodie verbis imperium suum affirmant.

Stat. quaest. 1) De his phaenomenis quaeritur utrum possint viribus naturalibus explicari; — quod negamus.

2) Explicare ea omnia conantur mera phantasmatum suggestione; i. e. eo quod magnetisatus in suo magnetico statu praedispositus ultra modum ordinarium sit, ad accipiendas et alte retinendas vehementes phantasiae impressiones, iisque resistere, eas moderari, eas animadvertere prorsus nequeat, quum sint omnes aliae facultates debilitatae vel etiam totaliter impeditae; unde fiat ut secundum solam phantasiae repraesentationem efficiantur omnes operationes, non solum sensitivae, sed et intellectivae et vegetativae, atque omnia phaenomena illa producant.

3) Porro hanc ipsam phantasiae praedispositionem et statum magneticum alii reducunt ad concentratam vim attentionis in unam rem suggestam, seu ad congeriem totius energiae nervosae in unam attentionem activitatemque, ac repentinam suspensionem influxus nervei circa alias actiones.

4) Alii illam praedispositionem reducunt ad naturalem morbum corporeum: hysteriam, qua crises producuntur, variis successivis phasibus aliquando certo ordine, aliquando tamen non certo, agnoscibiles. Sunt illae phasae: catalepsis, paralysis, variae convulsiones, somnambulismus, ac suggestionibus quibuslibet apta praedispositio passiva.

5) Illas materialisticas explicationes multi etiam non materialistae circumferunt, affirmantium audacia decepti vel territi.

Prob. Potest quidem vehementer turbata phantasia phaenomena similia aliqua naturaliter producere; at nulla est turbatio phantasiae in factis qualia passim narrantur, quae sufficiat ad illa producenda; nec ulla alia explicatio probabilis excogitari potest, fatentibus ipsis adversariis; — a. ita habemus facta naturalia quidem quoad substantiam et quoad subjectum, sed supernaturalia quoad modum; e.

Ad maj. 1 part. (potest turbata). Propter unitatem substantialem humanam, et facultatum omnium connexionem naturalem, fit ut si una vehementer turbetur, ac tanto impetu agat ut reliquae vel impediuntur vel ejus ductu pertrahantur, externa varia phaenomena proportionata sequantur; v. c. violenti terrore vel somnio homo una nocte canescit, vel feбри, phthysi, corrumpitur, cholera abripitur; si diutius duraverit vehemens illa turbatio etiam ulcera vel plagae apparebunt.

Prob. maj. 2 part. (nulla... quae sufficiat). Si phantasiae aliqua turbatio fuerit tanta ut facultates reliquas impediat, ac sufficiat ad tantos effectus producendos, ea non potest simul esse tantilla ut perfecte sedata perfectam pacem et plenum usum facultatum restituat, ac nullam sui memoriam relinquat, idque subito, ad solum nutum et imperium alterius; — et iterum, praedicta die et hora, tanta ut violenter omnes facultates ceteras et ipsam libertatem suspendat, omnesque operationes tum intellectuales, tum sensitivas, tum ipsas vegetativas despotice regat; — et iterum postea subito nullum sui vestigium proportionatum relinquat; — a. ad haec omnia redu-

ceretur explicatio per meram suggestionem phantasmatum; *e.* (cfr. facta ipsa!).

ad maj. 1) Repugnat ut transitus ab alio ad alium statum tam oppositum tamque naturali cursui ordinario violentum, fiat subitus et solo verbi imperio, i. e. maxima intensitate et efficacia, medio debilissimo et mere extrinseco, ac proinde non proportionato.

2) In aliis morbis sunt quidem crises quae vel subitae ac violentae sint, vel etiam rationis ac libertatis usum impediunt, vel nullam relinquunt memoriam; sed tunc a) causae sunt internae, proportionatae, permanentes dispositiones, b) aliqua praecedunt prognostica, c) remanent effectus et vestigia, d) non totum fit ad solum nutum jubentis medici.

3) Ad effectus naturaliter procurandos, leges naturales dantur quae necessario servandae sunt; — possunt quidem aliqua variatione applicari media naturalia, non tamen pro solo nutu operatoris variari indefinite, et quasi casu et joco, media maxime disparata et improporcionata.

Prob. maj. 3 part. (fatentibus adversariis). Initio variis mediis stabiliter utebantur magnetisantes, quibus vim efficientem tribuebant; sed paulatim minoribus et simplicioribus mediis multo majora et complicatiora obtinere coeperunt; neque jam aliud adhibent nisi solam jussionem voce expressam, imo aliquando ne voce quidem expressam, sed sola cogitatione imperant personae longe distant, nihil tunc exspectanti; — et fatentur nullo medio physico ea explicari; sed soli subjectivae patientis imaginationi omnia tribuunt, cui per operatoris verba vel signa suggerantur phantasmata tantae virtutis, ut totam patientis naturam potentiasque omnes absorbeant ac regant. — Ideo autem ad talem explicationem recurrunt quia a) nullam aliam naturalem inveniunt, — b) nullam supernaturalem admittere volunt, idque a priori ante omne examen, — c) proportionem necessariam inter causam et effectum pensare non audent vel non cogitant.

Prob. maj. 4 part. (non alia excogitabilis). Omnis excogitabilis causa efficiens, sufficienter proportionata, deberet 1) aut magnetisanti interna esse, — 2) aut magnetisato interna, — 3) aut utrique interna, — 4) aut utrique externa; — *a.* nihil horum esse potest; *e.*

Ad min. 1 part. (magnetisanti interna). Haec esset ei soli immanens cogitatio vel volitio, vel aliqua qualitas transeunter operativa voluntati parens; — *a.* a) cogitatio et volitio sunt actus stricte immanentes, ad extra nihil producentes; — b) qualitas transeunter operativa esset materialis, neque ullam habere posset proportionem ad effectus *tali modo* (tam longinquos, tam subitos, talibus mediis, tam intensos, tam variabiles, actus patienti immanentes...) producendos; *e.*

Ad min. 2 part. (magnetisato interna). Haec ut obedientiam ad vocem jubentis producat, deberet certe esse facultas cognitiva quae jussa percipiat et simul in organismum corporalem agat; — *a.* ita recidimus in phantasiae turbationes de quibus supra; *e.*...

Ad min. 3 part. (utrique interna). Haec, fatentibus omnibus, nequit esse fluidum materiale, jussa non intelligens, certis legibus constantibus subjacens; sed deberet esse in utroque actus immanens; — *a.* ita recidimus in agentis cogitationem et volitionem, et patientis phantasia, de quibus supra; *e.*

Ad min. 4 part. (utrique externa). Haec 1) eadem esset erga omnes, nec requireret personas specialiter aptas agentes vel patientes; 2) esset materialis, quantumvis subtilis, nec jusso et verbo pro lubitu liberae voluntatis imperantis obediret; — 3) si diceretur esse spiritualis, jam concessum teneremus quod in propositione defendere volumus; *e.*

Objic. 1° Ergone omnes isti magnetisati sunt a daemone possessi? — *R. d.* omnes isti apud quos varia alia phaenomena vel aliis modis inveniuntur, *n.*; apud quos illa de quibus in praesente propositione et illis modis et improporcionatis mediis producuntur, *sd.* sunt possessi perpetuo et continuo, *n.*; pro illo tempore quo dicuntur in statu magnetico esse, cui seipsos, initio saltem, voluntarie submiserunt, *e.*

Objic. 2° Optima fide, nihil de daemone cogitantes, haec faciunt. — *R. d.* nihil cogitantes quia vel credere nolunt, et contemnunt, vel bona fide incipientes, paulatim insana curiositate sciendi ad ulteriora satis similia pertrahuntur, *c.*; secus, *n.* (bonae conscientiae catholici in illis ludis non diutius occupantur).

Objic. 3° Fixa phaenomena praevidentur; *e.* secundum legem physicam. — *R. d. ant.* aliqua fixitate quae leges naturales imitari quidem conatur, quae tamen satis mutabiliter deflectit, ut deprehendi debeat ab observatore cordato veritas, *c.*; secus, *n.*

Objic. 4° Ergone studiis novis non jam liceret vacare? — *R. d.* quoties studiorum, vel alio quovis nomine, devenitur ad effectus qui virium naturalium superent proportionem, *c.*; secus, *n.*

Objic. 5° Leviter miraculum clamat qui causam ignotam non quaerit. — *R. d.* quoties non satis clara est improporcionatio objectiva medii ad finem, causae ad effectum, *c.*; secus, *n.*

Objic. 6° Nulla apparet causa cur daemon in illis occupari vellet. — *R. n.* (dummodo incredulitatem augeat, tentationes spargat, amicitiam sibi hominum conciliet et fiduciam soli Deo debitam, omni medio, etiam medicinae vel physiologiae specie, utetur, omnia finget, etiam legem naturalem, omnibus obediunt, etiam iis qui in ipsum non credunt vel non credere fingunt).

Objic. 7° Ratio sufficiens illis rebus studendi est spes therapeuticae scientiae promovendae quoad multa, imo et moralisationis (nam suggestionem etiam vitia et defectus morales curantur). — *R. a.* etiamsi haec adesset spes, ea tamen naturam istorum phaenomenorum non mutaret; — *R. b.* nec in seria ulla experientia nititur illa spes, nam de nulla adhuc vera et perpetua sanatione illis mediis procurata constat.

Objic. 8° Ad talia phaenomena a daemone obtinenda requireretur pactum

cum daemone; *a.* nullum pactum feriunt magnetisatores; *e.* — *R. d. maj.* pactum formale, explicitum, *n;* virtuale, implicitum, *c;* — *c. d. min.* (tale est in ipsa praxi voluntaria, scilicet in usu mediorum ad finem non proportionatorum, praesertim si finis extraordinarius et mirus intenditur sine ratione sufficiente).

Propositio 74.

Somnia magnetica lucida superant vires naturae.

Notiones. 1) Altera somnia vocantur lucida, seu lucidae visionis, seu duplicis visionis, seu elevatae facultatis, seu sublimatae cognitionis.

2) Horum phaenomena sunt: a) *phaenomena cognitionis*: somnians miris facultatibus instructus apparet, v. c. videndi oculis clausis, trans corpora opaca et parietes; — pedibus, manibus, stomacho, occipite videndi, legendi; — cognoscendi internas personarum affectiones et cogitationes; — perscrutandi intimum humani corporis organismum, indicandi remedia morbis curandis; — disserendi de rebus scientificis aliunde plane ignotis; — loquendi varias linguas aliunde ignotas; — videndi res, personas, actusque, ad magnas distantias.

b) *Phaenomena mechanica*: rotationes, attractiones, elevationes, alii corporis motus et status contra leges aequilibrum physicas.

3) Explicationes per causas naturales passim tentantur:

a) *Per fluidum magneticum physicum*: tale fluidum existere in corpore humano, plene subjectum voluntati movendis membris inserviens, quod etiam emitti possit ad penetranda alia corpora; quo utatur magnetisans ad sibi subjicienda cetera corpora, eosque effectus producendos quos miramur; proprias nempe vires cum viribus magnetisati communicans.

b) *Per voluntatem magnetisantis* quae in personam magnetisati immediate operetur (item *per intellectum* in altero reflexum).

c) *Per facultates naturales* humanas, in statu ordinario *occultas*, in statu magnetico apparentes et ad agendum expeditas.

4) Quatuor sint probationis partes quibus hae tres explicationes refutentur, et veritas statuatur.

Prob. 1^a pars (non fluidum). Tale fluidum: 1) ut materiale, est improporcionatum ad causanda phaenomena spiritualia, et alia contra leges physicas materiae; — 2) gratis asseritur existere in corpore humano; — 3) ut vitale, gratis asseritur posse projici extra corpus; — 4) si projicitur, absurde asseritur subesse potestati animae, quae illud quo vult dirigat, et in corpus alterius immittat (nam dissociatur ab organismo quem anima informat, ejus vita destituitur, ejusque influxu liberatur); *e.*

Prob. 2^a pars (non voluntas). Voluntas est facultas formaliter immanenter tantum agens; solus Deus voluntatis solo imperio ad extra agit creando (cfr. theolog.); voluntas creata solum influit in aliam facultatem executricem

ejusdem subjecti (utpote immanens); *e.* repugnat influxus ille immediatus transiens in personam aliam. — Idem valet de intellectu immanenter se rei conformante, non transeunte.

Prob. 3^a pars (non facultates occultae). Vires illae deberent esse aliae physicae mechanicae, aliae physiologicae organicae, aliae intellectuales, pro variis objectis et effectibus; *a.* tales nullae possunt naturales esse; *e.*

Ad min. 1 part. (mechanicae). Proprietates genericae corporum, gravitas universalis, impenetrabilitas, sunt de essentia omnium corporum, habentque suas leges analyticas; *a.* inde sequitur facultatem quae has proprietates tolleret, has leges turbaret, fore contra essentiam corporum; *e.* non naturalem.

Ad 2 part. (organicae). Tales potentiae sunt essentialiter materiales, ac proinde: a) dependent intrinsece a materia ejusque legibus generalibus; b) dependent intrinsece a materiae specifica apta dispositione et conformatione; *e.* contra naturam esset facultas ab his independens.

Ad 3 part. (intellectuales). Essentiale est homini non per ideas innatas, nec per intuitum immediatum, sed solum ex sensatione hauriendo cognitiones, et paulatim addiscendo, intelligere.

Prob. 4^a pars (superant). Repugnat in talibus personis in concreto sumptis, tales supponere cognitiones rerum occultarum, etc. — quod et ipsae fatentur; suntque verae pythiae. — Neque alia, praeter supradictas, explicatio excogitabilis est, quae non ad unam ex illis reducat.

Coroll. Ergo talia facta sunt supernaturalia quoad subjectum, contra naturam.

Propositio 75.

Spiritismus, sive communis sive transcendentalis, vires naturae superat.

Notiones. 1) Spiritismus generatim est interrogatio *mediorum* (ut aiunt) ad cognoscendas res occultas. — Haec media sunt vel res quaedam materiales v. c. mensa, petasus, lebes, pelvis... et vocatur spiritismus communis; — vel sunt personae viventes, sive vigiles sive magnetico somno occupatae..., et vocatur spiritismus transcendentalis.

2) Spiritismi communis phaenomena sunt: a) res, v. c. mensa, ad solum digitorum levissimum contactum in gyrum agitur, interrogata respondet saltibus, ictibus, inclinationibus; calamo pedi alligato responsa variis linguis scribit; — b) responsa haec sunt etiam de rebus occultis, interioribus, distantibus, futuris.

3) Spiritismi transcendentalis phaenomena: a) invocatus spiritus occultus se communicat, non immediate omnibus astantibus per seipsum, sed mediante persona mediatrice, qua spiritus veluti mero instrumento utitur; editque cantus, scripturas, dissertationes scientificas et religiosas (sed has saepe absurdas et impias); — b) apparent aliquando umbrae mortuorum, quae quandoque tactui resistunt tanquam impenetrabilia corpora; quandoque penetran-

tur tanquam verae umbrae; agnoscuntur eorum voces, scribendi et loquendi modi; — c) aliquando etiam apparent solae manus in pariete scribentes, vel in mensa jacentes, vel cytharizantes, etc; vel sola quasi abscissa capita in vacuo aere, aspicientia, loquentia, etc.

4) Sunt quidem in his praecipue fraudes frequentes, sed et certa omnino sunt facta multa.

Prob. 1^a pars (communis). Absurdum est ut sive in re mere materiali sint potentiae intellectuales et liberae, et contra leges physicas locomotivae; sive in circumstantibus sint vires cognitivae rerum ignotarum, et effectivae talium effectum sine proportionata activitate; e.

Prob. 2^a pars (transcendentalis). Horum phaenomenorum nulla alia causa potest esse nisi spiritus aliquis; a. talis apparitio et actio spiritus superat vires naturales mundi nostri; e.

Ad maj. (est spiritus). 1) Haec phaenomena sunt intellectualia, exiguntque causam intelligentem; e.

2) Alia quaevis causa aut esset in persona mediatrice, ut dicitur, aut in adstantibus, aut emanans ex illis in interposito aere etc... inhaerens; — a. a) *persona mediatrice* ordinario lethargia jacet correpta, saepe adstantibus visibilis; neque eos noverat quorum excitantur umbrae, audiunturque voces ac videntur formae; — b) *personae adstantes* et interrogantes, ordinario res nesciunt circa quas responsa petunt; nec proinde intellectu nec voluntate potuerunt ea producere, nec hallucinatione, neque ulla actione sibi imminente; neque ulla transeunte imperata a voluntate, neque evidenter ulla non imperata necessaria; — c) in *medio interposito* inhaerens causa debuisset emanare aut ex persona mediatrice, aut ex adstantibus, de quibus jam rediret integra quaestio; — e.

Ad min. (superat). Ille spiritus apparet sive cum corpore aliquo suo, sive sine corpore; — a. 1) proprium ejus *corpus* jam diu mortuum, corruptum, solutum, nequit adhiberi; neque ullum aliud adest proportionatum; neque ullum potest nunc naturaliter subito ad nutum rogantium adaptari ac praeparari; nec etiamsi adesset, posset exigere naturaliter animae reditum momentaneum, pro lubitu adstantium; — 2) spiritus *sine corpore* nullo modo subjacet actionibus physicis agentium corporeorum secundum leges physicas materiae, neque hominum agentium etiam per intellectum et voluntatem sibi immanentem, non transeuntem; neque alias facultates spirituales homo habet quibus spiritum attingat, naturaliterque arbitrio suo subjiciat; — e.

Coroll. Ergo talia phaenomena sunt supernaturalia quoad subjectum, supra naturam.

Propositio 76.

Causa phaenomenorum mesmerismi praeternaturalium, nec Deus est, nec angeli boni, nec animae defunctorum, sed angeli mali.

Prob. 1^a pars. Deus vel angeli boni concurrere nequeunt ad tales actus saepe inhonestos, impios, ludicros; ad sermones falsos, inutiles.


Prob. 2^a pars. Animae defunctorum sunt aut in statu gloriae, aut expiationis, aut damnationis; a. haec omnes subsunt Dei dominio, neque ulla ratio est cur Deus permittat eas ad libitum nostrum ad tales actus evocari; e.

Ad min. 1) *De gloriosis*: patet eas nobis non subesse! — 2) *de purgantibus* scimus: a) eas a Dei justitia detineri in purgatorio, unde non exeant « donec solverint novissimum quadrans » (Matt. 5, 26); b) eas in caritate sancta Dei existentes, non posse ad tales actus concurrere, et nobis pro lubitu subesse; — 3) *de damnatis* certum est nec ad earum solatium et malignam vindictam permitti; nec eas bonam voluntatem exercere ad nostrum bonum et gloriam Dei; nec etiam si exercere vellent, permitti, nam viventes « habent Moysen et Prophetas » i. e. S^m Ecclesiam quam audiant (Luc. 16, 29).

Prob. 3^a pars. Angeli mali (quos ex sola naturali ratione cum animabus damnatis forsitan confunderemus, sed ex revelatione distinctos esse novimus) exclusis omnibus aliis causis, soli manent qui dicantur causae.

Schol. Cur ergo potius malo daemone quam malis hominum damnatorum animis permittit Deus, ut nobiscum in commercium veniant, varieque appareant, loquantur, insidias parent, etc? — R. *Daemone* permittit: 1) ad nostram probationem et meritum, 2) quia ipse Deus nobis gratias sufficientes ad resistendum paravit, 3) quia ex revelatione satis cognoscimus daemonis malitiam, neque ulla naturalis affectio ad eum nos impellet; — sed *damnatis* non permittit: 1) quia nimia nobis esset tentationis vis, si illi nos tentarent quos etiam maxime amavimus, 2) quia ad tantas luctas proportionata auxilia nobis Providentia parare noluit.

Coroll. generale. Diximus initio, somnum magneticum et somnia suggestionis, *in se spectata* seu *in abstracto*, posse naturalia esse; sed 1) *concrete*, valde pronus est transitus ad alia experimenta, quapropter rarissime, si unquam, licita erunt; nimis enim libenter ulterius procedit et abutitur humana sciendi vana curiositas, nimisque libenter se ingerit malus daemon, ad fines scilicet suos, apparetque sero cauda serpentina; — 2) quinimo etiam si certe sola illa producerentur phaenomena quae forsitan non superant vires naturales, nondum ideo generatim licita essent; non enim licet, etiam naturalibus mediis, personam humanam, cum omnibus suis viribus et libertate, voluntati alienae ita physice subjugare, ut et ejus dignitas pereat, et facultates ac sanitas mentis et corporis corrumpantur.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INDEX.

LIBER V. — PSYCHOLOGIA.

PROOEMIUM	4
SECTIO I. DE ACTIBUS ET FACULTATIBUS INTELLECTUALIBUS	2
CAPUT I. — De intellectu	<i>ib.</i>
QUAESTIO 1. DE EXISTENTIA INTELLECTUS	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 1. Praeter sentiendi facultatem, est in homine superior quaedam cognoscendi facultas, quae intellectus dicitur	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 2. Discrimen essenziale inter brutum et hominem est intellectus.	4
QUAESTIO 2. DE OBJECTO INTELLECTUS	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 3. Objectum intellectus est aliquomodo quidquid habet rationem entis, dummodo rite ei proponatur	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 4. Objectum intellectus proportionatum pro praesentis vitae statu, est ens sensibile	5
<i>Prop.</i> 5. Intellectus rerum essentias penetrat	6
<i>Prop.</i> 6. Licet intellectus singularia proprie et distincte percipiat, proprium tamen et immediatum objectum ejus est universale.	8
QUAESTIO 3. DE ACTIBUS PRIMARIIS INTELLECTUS	<i>ib.</i>
ARTICULUS 1. <i>De idea</i>	9
<i>Prop.</i> 7. Idea quae per reflexionem percipitur ut objectum, habet necessario, quatenus est idea, objectum a se distinctum	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 8. Nullam ideam, in statu praesente, habet humana mens distincte intuitivam	10
<i>Prop.</i> 9. Idea neque est judicium, neque includit sive judicium sive reflexionem	11
ARTICULUS 2. <i>De judicio</i>	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 10. Judicium non est actus a voluntate elicitus, sed ab intellectu	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 11. Judicii objectum materiale sunt duo termini objectivi	12
<i>Prop.</i> 12. Judicii objectum formale est objectiva identitas, saltem apparens, terminorum	<i>ib.</i>

<i>Prop.</i> 13. Omnia iudicia humana sunt comparativa	13
<i>Prop.</i> 14. Assensus mentis iudicantis non nisi connotative differt a perceptione objectivae identitatis terminorum	14
ARTICULUS 3. <i>De ratiocinio</i>	
<i>Prop.</i> 15. Omne ratiocinium est discursivum per medium	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 16. Ratiocinium est actus unus mentis	17
<i>Prop.</i> 17. Ratio non est potentia diversa ab intellectu	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 18. Ratio theoretica et ratio practica non sunt duae facultates diversae	19
<i>Prop.</i> 19. Ratio superior et ratio inferior non sunt duae potentiae speciei diversae	<i>ib.</i>
QUAESTIO 4. DE ACTIBUS SECUNDARIIS INTELLECTUS	
ARTICULUS 1. <i>De reflexione</i>	
§ 1. De existentia et speciebus reflexionis	
<i>Prop.</i> 20. Jure distinguuntur reflexio vulgaris seu recogitatio, et reflexio philoso- phica seu recognitio ipsius cognitionis praecedentis; quae iterum jure distinguitur in ontologicam et psychologiam	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 21. Admittenda est in homine vis spontanea cogitandi, sine omni reflexione	22
<i>Prop.</i> 22. et vis spontanea reflectendi	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 23. et vis reflectendi sub influxu voluntatis	23
§ 2. De objecto proprio reflexionis	
<i>Prop.</i> 24. Per conscientiam non immediate et directe attingimus essentiam animae	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 25. nec proprias potentias, nec corpus proprium	25
<i>Prop.</i> 26. neque etiam mediantibus speciebus univocis, sed solum speciebus ana- logis, attingimus propriam animam et potentias	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 27. attingimus actus proprios et potentias primo spontanee exercite, dein voluntarie signate	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 28. attingimus actus nostros non intuitive, sed solum ex parte objecti; et potentias in actibus	26
<i>Prop.</i> 29. et propriam substantiam animae et corporis in actibus et potentiis nostris	27
<i>Prop.</i> 30. Vis reflectendi ab intellectu non differt	<i>ib.</i>
ARTICULUS 2. <i>De memoria</i>	
<i>Prop.</i> 31. Admittenda est in homine memoria intellectiva	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 32. Memoria intellectiva non est distincta facultas ab intellectu	29
<i>Prop.</i> 33. Actus memoriae non conficitur nova species impressa objecti, sed revoca- tur in actum quae conservata fuit	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 34. Intellectus est facultas inorganica	30
QUAESTIO 5. DE ORIGINE IDEARUM	
ARTICULUS 1. <i>De systematibus rejiciendis</i>	
§ 1. De systemate idearum innatarum	
<i>Prop.</i> 35. Originem idearum male explicat Plato	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 36. et Cartesius	33
<i>Prop.</i> 37. et Leibnitz	34
<i>Prop.</i> 38. et Rosmini	35
<i>Prop.</i> 39. Rejiciendae sunt generatim omnes ideae innatae	37
<i>Prop.</i> 40. Originem idearum male explicant generatim transcendentales idealistae	38
§ 2. De systemate ontologismi	
<i>Prop.</i> 41. Originem idearum male explicat Malebranche	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 42. et Gioberti	40
<i>Prop.</i> 43. et omnes ontologistae recentiores, sive rigidiores, sive mitigati	42

§ 3. De systemate traditionalismi	
<i>Prop.</i> 44. Originem idearum male explicat de Bonald	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 45. Falsus etiam est traditionalismus mitigatus a Bonnetty et Ventura	47
<i>Prop.</i> 46. et traditionalismus a recentioribus mitigatus	48
<i>Prop.</i> 47. Sermonem homo ratione utens invenire potuisset	50
ARTICULUS 2. <i>De systemate peripatetico</i>	
<i>Prop.</i> 48. In praesenti vitae statu, ad originem idearum praerequiritur cognitio sensitiva, et phantasma rei expressum	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 49. Admittendus est intellectus agens qui producat species impressas, enti- tative et repraesentative intelligibiles	53
<i>Prop.</i> 50. Species impressa recipitur in intellectu patiente, qui cum illa speciem expressam producit	56
<i>Prop.</i> 51. Ad producendam speciem impressam intelligibilem nequit phantasma concurrere per meram sui illuminationem objectivam ab intellectu agente	57
<i>Prop.</i> 52. nec ut causa efficiens instrumentalis stricte dicta	58
<i>Prop.</i> 53. nec ut mera causa exemplaris, vel materialis	59
<i>Prop.</i> 54. sed concurrens ut causa efficiens instrumentalis latius dicta et mediata	61
<i>Prop.</i> 55. Intellectus agens et patiens realiter distinguuntur	63
<i>Prop.</i> 56. In ordine directo et spontaneo cognitionis intellectualis, mens exorditur a conceptibus universalioribus seu maxime indeterminatis	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 57. Singularia corporea ut talia intellectus non directe, sed per quandam reflexionem in sensationem cognoscit	64
CAPUT II. — De voluntate	
QUAESTIO 1. DE VOLUNTATIS OBJECTO	
<i>Prop.</i> 58. Objectum proportionatum voluntatis est omne ens, dummodo proponatur ut bonum	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 59. Bonum appetitum est semper aliquomodo bonum appetentis	66
QUAESTIO 2. DE ACTIBUS ET LIBERTATE VOLUNTATIS	
<i>Prop.</i> 60. Voluntati repugnat actus caecus, et actus coactus, sed non repugnat actus necessarius	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 61. Humana voluntas in praesenti vitae statu praedita est vera libertate indif- ferentiae	68
<i>Prop.</i> 62. Sola voluntas est formaliter libera	71
<i>Prop.</i> 63. Ad veram libertatem arbitrii requiritur sed non sufficit indifferentia ob- jectiva	73
<i>Prop.</i> 64. et indifferentia subjectiva passiva	74
<i>Prop.</i> 65. sed requiritur activa, non negativa sed positiva	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 66. nec requiritur indifferentia ad bene vel male agendum, quae potius ad imperfectiorem subjecti liberi spectat	76
<i>Prop.</i> 67. neque requiritur subjectiva mutabilitas voluntatis, quae potius ad im- perfectiorem subjecti liberi spectat	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 68. Ad exercitium libertatis sufficit iudicium speculativum, non requiritur iudicium practicum	77
<i>Prop.</i> 69. Voluntas, posito etiam ultimo iudicio practico, remanet libera sive quoad exercitium, sive quoad specificationem actus	78
QUAESTIO 3. DE EXTENSIONE ET RADICE LIBERTATIS	
<i>Prop.</i> 70. Nec bonum in genere, nec beatitudo indeterminate sumpta, nec media ad eam quae appareant ut necessario connexa, electioni subjiciuntur	<i>ib.</i>

<i>Prop.</i> 71. Bonum infinitum, ubi intuitive cognoscitur, necessario diligitur; sed in praesenti vita ejus dilectio electioni subjacet.	80
<i>Prop.</i> 72. Bona determinata omnia, dummodo ut media cum beatitudine contingenter connexa proponantur, electioni subjacent	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 73. Electio non fertur necessario in id quod ut melius apprehenditur	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 74. Voluntas movet, ad modum agentis, intellectum et potentias sensitivas	81
<i>Prop.</i> 75. Imperium rationis et voluntatis in appetitum sensitivum non est despoticum sed politicum	82
<i>Prop.</i> 76. Radix propinquior libertatis est intellectus universalitas in judicando de omnibus rebus, etiam reflexe de suo judicio	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 77. Radix remotior libertatis est immaterialitas seu spiritualitas intellectus, et voluntatis	83
QUAESTIO 4. DE IMPEDIMENTIS VOLUNTATIS ET LIBERTATIS	84
<i>Prop.</i> 78. Omnis ignorantia actualis impedit volitionem actualem et liberam quoad objectum vel objecti respectum ignotum	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 79. Passiones prosecutivae boni, augent voluntarium, sed minuunt liberum actus in quem ipsae influunt	85
<i>Prop.</i> 80. Passiones aversativae mali non tollunt quidem, sed minuunt tum voluntarium, tum liberum actus quo ad bonum oppositum tendit voluntas, et in quem influunt.	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 81. Omnes et solae potentiae vitales subjectum habituum esse possunt. Entibus tamen intelligentibus solis competit habitus in se efformare.	86
<i>Prop.</i> 82. Habitus stricte dictus auget voluntarium, sed minuit liberum actus qui ex illo procedit	87
SECTIO II. DE PRINCIPIO VITAE INTELLECTIVAE	88
CAPUT I. — De natura animae in se spectatae	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 83. Existit in homine principium vitale, essentialiter a corpore distinctum, quod anima vocatur	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 84. Anima rationalis non est accidens corporis, sed substantia	89
<i>Prop.</i> 85. ...est simplex; nec partibus essentialibus, nec integrantibus composita	90
<i>Prop.</i> 86. ...est essentialiter independens a materia, seu spiritualis.	92
CAPUT II. — De animae natura relate ad corpus	94
QUAESTIO 1. DE UNITATE ET SEDE ANIMAE	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 87. Unum est in homine principium vitae, nempe anima rationalis, quae quoad substantiam non differt a principio vitae sensitivae et vitae vegetativae	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 88. Anima humana non per intelligentiam et rationem ac voluntatem est principium vitae vegetativae.	96
<i>Prop.</i> 89. ...non residet in solo cerebro, sed quoad substantiam est tota in toto corpore, et tota in singulis partibus, non tamen secundum omnes potentias est in qualibet parte.	97
QUAESTIO 2. DE UNIONE ANIMAE ET CORPORIS	99
<i>Prop.</i> 90. Anima humana cum corpore ita conjungitur ut una ex utroque resultet natura seu substantia	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 91. Unitatem substantialem hominis male explicat systema assistentiae seu causarum occasionalium.	101
<i>Prop.</i> 92. ...et systema harmoniae praestabilitae	<i>ib.</i>

<i>Prop.</i> 93. ...et systema influxus physici	102
<i>Prop.</i> 94. ...et systema perceptionis fundamentalis	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 95. Anima humana cum corpore unitur tanquam forma substantialis cum materia	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 96. In homine nulla est alia forma substantialis praeter animam rationalem, et per hanc homo non solum est homo, sed animal, et vivum, et corpus, et substantia, et ens	106
QUAESTIO 3. DE EFFECTIBUS CORPORALIBUS ANIMAE.	110
<i>Prop.</i> 97. E corporis conformatione probabilia tantum indicia de hominis interiore statu haberi possunt	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 98. E calvariae protuberantiis nihil omnino de hominis interiore statu concludere licet.	<i>ib.</i>
QUAESTIO 4. DE DISTINCTIONE ANIMARUM	112
<i>Prop.</i> 99. Tot sunt animae, quot sunt homines	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 100. Absurda est metempsychosis, seu transmigratio animarum ab uno corpore in aliud	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 101. Non sunt omnes animae humanae perfectione substantiali omnino aequales	113
CAPUT III. — De origine animae	115
<i>Prop.</i> 102. Anima humana non est aliquid productum ex substantia divina	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 103. ...nec propagatur a parentibus per traducem sive materialem sive spiritualem	116
<i>Prop.</i> 104. ...neque ex nihilo, actione generantis.	117
<i>Prop.</i> 105. ...nec derivatur a parentibus tanquam prius sensitiva anima, quae postea mutetur in intellectivam per manifestationem entis	118
<i>Prop.</i> 106. ...sed immediate a Deo per creationem producitur	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 107. ...nec ante creatur quam corpori uniatur	119
<i>Prop.</i> 108. In generatione hominis non tres animae successive produciuntur	120
CAPUT IV. — De animae immortalitate et vita futura	121
<i>Prop.</i> 109. Anima humana natura sua est immortalis.	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 110. ...et a corpore separata vivere potest	122
<i>Prop.</i> 111. ...neque annihilari potest a seipsa	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 112. ...nec ab ulla vi creata, neque ab ipso Deo naturaliter	123
<i>Prop.</i> 113. ...et post hominis mortem superstes de facto servabitur.	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 114. Vita futura erit sempiterna.	124
<i>Prop.</i> 115. Resurrectio nec physice nec moraliter debetur homini secundum solam naturam	127
APPENDIX. DE NATURALIBUS ANIMAE HUMANAЕ DEFLECTIONIBUS	128
ARTICULUS 1. De somno	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 116. Somnus est naturalis interruptio aequilibrum inter varias hominis facultates, orta ex fatigatione virium vegetalium, et naturaliter ad has vires reficiendas ordinata	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 117. Somnus primo et directe est in potentiis vitae vegetativae, consequenter et secundario est in ceteris omnibus humani compositi facultatibus	129
ARTICULUS 2. De somnio	130

<i>Prop.</i> 118. Somnium humanum est series actuum phantasiae, cum virium intellectualium congrua cooperatione, in subjecto dormiente	130
<i>Prop.</i> 119. Somnia oriuntur non solum a peculiari statu corporis, sed etiam a peculiari statu animae	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 120. Actus somnambulismi est somnium producens in ordine externo actiones sibi convenientes	131
ARTICULUS 4. <i>De amentia</i>	132
<i>Prop.</i> 121. Amentia est somnium vigilantis permanens et invincibile	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 122. Amentiae universim duae causae sunt : certae laesiones corporis, et passiones animi vehementiores	<i>ib.</i>

LIBER VI. -- THEOLOGIA NATURALIS.

PROOEMIUM	135
CAPUT I. -- De existentia Dei.	137
QUAESTIO 1. DE ARGUMENTIS VALIDIS EXISTENTIAE DEI	<i>ib.</i>
ARTICULUS 1. <i>Argumenta physica</i>	138
<i>Prop.</i> 1. Causa efficiens mundi formatrix male assignatur casus vel series infinita causarum	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 2. vel evolutio materialis, vel anima mundana, vel evolutio logica, vel conceptus aseitatis	139
<i>Prop.</i> 3. Existentia Dei, ut causae efficientis formatrix mundi, probatur ex existentia varietatis naturarum	140
<i>Prop.</i> 4. Causa efficiens mundi ordinatrix male assignatur casus, vel necessitas naturae	141
<i>Prop.</i> 5. Existentia Dei, ut causae efficientis mundi ordinatricis, probatur ex admirabili ordine mundi	143
<i>Prop.</i> 6. Existentia Dei, ut causae efficientis mundi creatricis, probatur ex existentia corporum materialium mundanorum	144
ARTICULUS 2. <i>Argumenta metaphysica.</i>	146
<i>Prop.</i> 7. Existentia Dei, ut entis necessarii, probatur ex existentium rerum contingentia	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 8. Existentia Dei, ut primi motoris immobilis, probatur ex rerum existentium mutabilitate	147
<i>Prop.</i> 9. Existentia Dei, ut entis perfectissimi, probatur ex existentium entium majore aut minore perfectione	148
<i>Prop.</i> 10. Existentia Dei, ut ultimi omnis veritatis fundamenti necessarii, aeterni, immutabilis, probatur ex necessitate, aeternitate, immutabilitate veritatis totius ordinis idealis	<i>ib.</i>
ARTICULUS 3. <i>Argumenta moralia</i>	150
<i>Prop.</i> 11. Existentia Dei, ut supremi et colendi numinis probatur ex universali et constanti generis humani consensione	<i>ib.</i>

<i>Prop.</i> 12. Ex. D., ut summae veritatis et bonitatis, pr. ex natura humani intellectus et voluntatis	152
<i>Prop.</i> 13. Ex. D., ut supremi legislatoris, judicis, vindicis, pr. ex lege naturali quae conscientiae voce innoscit	153
<i>Prop.</i> 14. Ex. D., ut fundamenti totius moralitatis et ordinis, pr. ex utilitate in ordine physico et morali, quae provenit in genus humanum ex persuasione existentiae divinae	155
QUAESTIO 2. DE ARGUMENTIS INVALIDIS	157
<i>Prop.</i> 15. Existentia Dei nullo argumento a priori ostendi potest	<i>ib.</i>
<i>Scholion.</i> Alia argumenta a posteriori	159
QUAESTIO 3. DE NOSTRA COGNITIONE DEI	160
<i>Prop.</i> 16. Deum existere, quamvis sit immediate evidens quoad se, non tamen est immediate evidens quoad nos	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 17. In hac vita non habemus continuam necessariamque intuitionem immediatam Dei	162
<i>Prop.</i> 18. Quamquam non repugnat dari atheos sive practicos, vel positivos, repugnat tamen dari atheos negativos	164
CAPUT II. -- De essentia Dei.	165
QUAESTIO 1. DE ADMIRABILI SIMPLICITATE DEI	166
<i>Prop.</i> 19. In Deo nulla est compositio ex potentia et actu	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 20. neque ex partibus integrantibus	167
<i>Prop.</i> 21. neque ex materia et forma	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 22. neque ex natura et individuatione	168
<i>Prop.</i> 23. neque ex natura et supposito	170
<i>Prop.</i> 24. neque ex essentia et existentia	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 25. neque ex genere et differentia specifica	171
<i>Prop.</i> 26. neque ex substantia et accidente	172
<i>Prop.</i> 27. In Deo inter essentiam et attributa est distinctio rationis ratiocinatae tantum	173
<i>Prop.</i> 28. Ex Deo et alio tanquam comparte nulla fieri potest compositio	174
QUAESTIO 2. DE OMNIMODA INFINITATE DEI	175
<i>Prop.</i> 29. Deus est infinitus perfectione, seu ens realissimum	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 30. et infinitus duratione, seu aeternus	177
<i>Prop.</i> 31. et infinitus praesentia, seu immensus	178
<i>Prop.</i> 32. et prorsus immutabilis, tum physice, tum moraliter	179
QUAESTIO 3. DE ULTIMO CONSTITUTIVO ESSENTIAE DIVINAE	181
<i>Prop.</i> 33. Constitutivum divinae naturae optime exprimitur per hoc quod Deus est ens a se	<i>ib.</i>
CAPUT III. -- De activitate Dei ad intra	184
QUAESTIO 1. DE INTELLECTU DIVINO	<i>ib.</i>
ARTICULUS 1. <i>De natura scientiae Dei</i>	185
§ 1. De perfectione scientiae Dei	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 34. Est in Deo scientia perfectissima, ab omni nostra cognitione essentialiter diversa	<i>ib.</i>
§ 2. De objecto materiali scientiae Dei	186
<i>Prop.</i> 35. Deus seipsum intelligit et adaequate comprehendit	<i>ib.</i>

<i>Prop.</i> 36. Possibilia omnia cognoscit Deus	186
<i>Prop.</i> 37. Deus cognoscit omnia absolute futura, sive necessaria, sive libera	187
<i>Prop.</i> 38. Deus cognoscit omnes actus liberos conditionate futuros	188
ARTICULUS 2. <i>De ideis divinis</i>	189
§ 1. De principiis idearum Dei	190
<i>Prop.</i> 39. Deus, omnia quae cognoscit, seipso, i. e. essentia sua tanquam principio proximo cognitionis cognoscit	<i>ib.</i>
§ 2. De objecto formali idearum Dei	191
<i>Prop.</i> 40. Deus, omnia quae cognoscit, in seipsis cognoscit tanquam in objecto formali proximo cognitionis	<i>ib.</i>
ARTICULUS 3. <i>De iudiciis divinis</i>	192
<i>Prop.</i> 41. Deus seipsum immediate in seipso cognoscit	193
<i>Prop.</i> 42.possibilia, et creata, et necessario futura iudicans esse talia, in seipso tanquam in medio cognoscit	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 43.eadem etiam in seipsis immediate	194
<i>Prop.</i> 44.etiam seipsum in creaturis tanquam in medio cognoscit	195
<i>Prop.</i> 45.libere futura iudicans esse talia, non in seipso, i. e. in decretis suis praedeterminantibus, tanquam in medio, cognoscit	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 46.neque in causis immediatis	197
<i>Prop.</i> 47.sed immediate in seipsis	198
<i>Prop.</i> 48. Deus libera absolute futura iudicans esse talia, ea etiam cognoscit complexu scientiae mediae de futuritione conditionata, et decreti sui de procuranda conditione	<i>ib.</i>
QUAESTIO 2. DE VOLUNTATE DIVINA	199
<i>Prop.</i> 49. Deus seipsum vult tanquam objectum primum	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 50. Deus volendo se, vult alia a se, tanquam objectum secundarium	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 51. Deus necessario seipsum vult et amat	200
<i>Prop.</i> 52. Deus res alias libere vult vel amat	201
<i>Prop.</i> 53. Perfectae Dei immutabilitati non obstat perfecta ejus libertas	<i>ib.</i>
CAPUT IV. — De activitate Dei ad extra	204
QUAESTIO 1. DE CREATIONE ET CONSERVATIONE	205
ARTICULUS 1. <i>De causa efficiente creationis</i>	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 54. Deo competit vis creandi	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 55. Nulli creaturae potest ut causae principali convenire actio creativa	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 56. Nulli creaturae potest ut causae instrumentali convenire actio creativa	206
ARTICULUS 2. <i>De actu creativo</i>	207
<i>Prop.</i> 57. Actio Dei creativa est actio formaliter immanens	<i>ib.</i>
ARTICULUS 3. <i>De effectu creationis</i>	210
<i>Prop.</i> 58. Mundus non potest ab aeterno creatus esse	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 59. Deus creavit mundum non absolute sed relative optimum	212
ARTICULUS 4. <i>De causa finali creationis</i>	214
<i>Prop.</i> 60. In mundo creando Deus nullum habuit finem operantis	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 61. Finis ultimus mundi est gloria Dei extrinseca	215
ARTICULUS 5. <i>De conservatione</i>	216
<i>Prop.</i> 62. Deus positive et directe res omnes conservat	<i>ib.</i>
QUAESTIO 2. DE CONCURSU DIVINO	218

<i>Prop.</i> 63. Deus physice et immediate concurrat ad omnes actiones et effectus creatorum agentium	218
<i>Prop.</i> 64. Concursus divinus non est physice praedeterminans	220
<i>Prop.</i> 65. Divinus concursus, quatenus est aliquid ad extra, est ipsa creaturae actio, prout haec dum a creatura procedit, simul a Deo et a causa prima manat	221
QUAESTIO 3. DE PROVIDENTIA DIVINA	222
<i>Prop.</i> 66. Deus providentia sua res omnes gubernat	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 67. Ad providentiam sapientem hujus mundi, moraliter necessarium est miraculum	225
<i>Prop.</i> 68. Miracula sunt intrinsece et extrinsece possibilia	227
<i>Prop.</i> 69. Miracula sunt cognoscibilia	229
<i>Prop.</i> 70. Miracula sunt efficaciter probativa veritatis in cujus confirmationem patentur	230
APPENDIX. DE MESMERISMO	232
<i>Prop.</i> 71. Somnus magneticus, in se spectatus, non superat vires naturales	<i>ib.</i>
<i>Prop.</i> 72. Somnia magnetica suggestionis, in se spectata, vires naturales non superant	233
<i>Prop.</i> 73. Plura quae suggestionum magnetica phaenomena passim dicuntur, vires naturales superant saltem quoad modum	234
<i>Prop.</i> 74. Somnia magnetica lucida superant vires naturae	238
<i>Prop.</i> 75. Spiritismus, sive communis, sive transcendentis, vires naturae superat	239
<i>Prop.</i> 76. Causa phaenomenorum mesmerismi praeternaturalium, nec Deus est, nec angeli boni, nec animae defunctorum, sed angeli mali	241

